C. VALERII CATVLLI
ALBII TIBVLLI
SEXTI AVRELII
PROPERTII

CARMINA CASTIGATA

ET SELECTIS INTERPRETATIONIBVS ILLVSTRATA

OPERA, ET STVDIO

ALOISII PORTELLI

IN GREGORIANA VNIVERSITATE PROFESSORIS
EMERITI

ROMAE 1853.

EX TYPOGRAPHIA VEN. HOSPITII APOSTO

Cum Privilegio.

Corsetti G.

POETICAE FACVLTATIS ALVMNIS

BIBLIOPOLA

CAJVM VALERIVM CATVLLVM, ALBIVM TIBVLLVM, SEXTVM AVRELIVM PROPERTIVM elegantissimos aetatis aureae Poetas cum interpretationibus, quas, duce Joanne Antonio Vulpio Patavii Professore, clarissimi viri atque optime de literis meriti Alumnis Seminarii, et Collegii Faliscoduni, atque adeo Urbi nostrae degustandos anno 1790. *exhibebant, aequo libentique animo excipias velim Romana iuventus; quum praesertim nonnulla identidem ad praestantium hujusmodi Poetarum mentem aptius adsequendam ex recensione NICOLAI HEINSII, FRIDERICI GVLIELMI DOERINGII, HEYNII, KVINOELII in hac emendatiori Romana editione fuerint adjecta.. Ita fiet ut selectissima ejusmodi carmina, quae hactenus*

mendorum illuvie corrupta in lucem prodire verebantur, jam nitidiora, et ornatiora vel oculis doctissimorum hominum summa cum laude obversentur. Valete.

DE VITA CATULLI

EX JO. ANTONIO VULPIO

Veronensem fuisse Catullum, liquido constat, cum ex Ovidio, Plinio Majore, Martiale, Ausonio, ceterisque; tum ex ipsius testimonio, qui a Bithynia redux (*) Sirmionem, Lacus Benaci peninsulam, alloquens, ad Larem domesticum salvum se advenisse gaudet. Natus est anno ab Urbe condita 667. L. Cornelio Cinna, Cn. Octavio Consulibus. Parentem habuit Valerium ex honesta familia municipali, cujus nimirum hospitio, si Tranquillum audimus, C. Julius Caesar uti solitus fuit. Non amplissimam quidem pecuniam possedit; patrimonio tamen satis lauto fuisse videtur. Nam et Romae, in Urbe sumptuosa, diutius commoratus est, ac fundum in Agro Tiburtino possedit: navi sua in Pontum navigavit, ac se *Sirmionis herum* appellare non veretur: quae omnia profecto sunt hominis locupletis,

(*) *Carmina XX.*

et cui familiares copiae non desint. Mollissimis versibus haud minorem consecutus est gloriam, quam sublimi Aeneidos poemate vates Mantuanus. Graecis literis non leviter imbutum fuisse, ex eo colligi potest, quod suavissimam Oden Poetissae Sapphus et Callimachi Elegiam de Coma Berenices mundissimis carminibus Latine reddiderit: ob id etiam fortasse a Tibullo, Ovidio, Martiale *doctus* appellatus. Quintilianus et Diomedes inter Poetas Jambicos *Catullum* recensent, qui profecto ante Horatium, jambicis versibus gloriam adeptus fuerat. Hieronymus Lyricis annumerat: reliqui επιγραμματογραφοις. Ambigitur jure a nonnullis, utrum pauciora haec solum, quae hodie extant, ab illo scripta fuerint, an vero longe plura, quae vetustas nobis inviderit. Ansam ad dubitandum dat Plinius, qui de Incantamentis aliquid a *Catullo* exaratum innuit, cujus ne vestigium quidem superest. Decessit annos aliquot natus supra quadraginta.

C. VALERII CATVLLI

VERONENSIS

AD CORNELIUM NEPOTEM

Modeste dedicat Libellum suum Cornelio Nepoti, Chronicorum Scriptori.

Quoi dono lepidum novum libellum.
Arida modo pumice expolitum?
Corneli, tibi: namque tu solebas
Meas esse aliquid putare nugas
Jam tum, cum ausus es unus Italorum
Omne aevum tribus explicare chartis
Doctis, Jupiter! et laboriosis.
Quare habe tibi quidquid hoc libelli est.

V. 1. *Quoi*: scil. *cui donò*? Cui me oportet donare? ***Lepidum***, venustum. *Novum*, recens confectum. *Expolitum*, depolitum, perfectum, quia omnes perfectiones antiqui politiones dicebant: de pumicis autem usu in laevigandis libris, nihil est, cur multa dicamus.

V. 4. *Meas esse aliquid nugas.* Locutio Latinis Scriptoribus familiaris, quum rem *non omnino contemnendam* significare volunt, *Vulp*. *Unus Italorum.* Nam etsi alii historias scripsere, nemo tamen aggressus est id, quod tu, omnis aevi memoriam tribus voluminibus exponere.

V. 6. *Omne aevum*, Chronica scripserat Cornelius Nepos, teste Gellio lib. 17. Noct. Attic. cap. 21. *Omne aevum*, tria tempora interpretatur Vossius, scil. obscurum, fabulosum, historicum. Nisi mavis intelligere omne tempus praeteritum ab urbis, vel orbis primordio; quasi vero Cornelius quidquid ab orbe condito populi omnes et reges gesserant, paucis libellis comprehendisset. *Doctis*, eruditionis plenis. *Jupiter*! Admirationi inservit. *Laboriosi* Maximi enim laboris fuit hujusmodi opus conficere. *Habe tibi*, Formula in divortiis usitata: maritus enim uxorem dimittens ajebat: Res tuas tibi habe. *Quicquid* libellum hunc, quicumque sit.

Qualecumque ; quod o patrona Virgo.
Plus uno maneat perenne seclo.

V. 9. *Qualecumque*, qualiscumque pretii sit. *Patrona Virgo*. Haud dubie est Minerva, quae perpetuo epitheto dicitur *casta*, scil. Virgo. Nec minus ingeniorum et artium celebratur fautrix. Hor. A. P. 385. *Tu nihil invita dices, faciesque Minerva*, Doering.

CARMEN I.

Passeris a Lesbia dilecti obitum lamentatur.

Lugete o Veneres, Cupidinesque,
Et quantum est hominum venustiorum.
Passer mortuus est meae puellae,
Passer deliciae meae puellae
Quem plus illa oculis suis amabat:
Nam mellitus erat, suamque norat
Ipsam tam bene, quam puella matrem:
Nec se se a gremio illius movebat;
Sed circumsiliens modo huc, modo illuc,
Ad solam dominam usque pipilabat.
Qui nunc it per iter tenebricosum
Illuc, unde negant redire quemquam;
At vobis male sit, malae tenebrae
Orci, quae omnia bella devoratis.
Tam bellum mihi passerem abstulistis.

V. 1. *Cupidinesque*, Amores. *Quantum est*, quotquot sunt homines venusti. *Oculis* Amorem scil. quo res carissimas prosequimur, oculorum caritate vulgo metiri solemus. *Mellitus*, dulcis, suavis. *Norat*, scil. illam tam bene, quam puella ipsa noscit matrem suam. *Dominam* Lesbiam.

V. 11. *Per iter*. Eo usque vani fuerunt poetae, ut vel avicularum umbras ad Elysios migrare docerent. *Male sit*, ital. *mal ne abbiate, venga il malanno a voi*, o malignae tenebrae inferorum. *Bella*, venusta.

V. 15. *Bellum*, carum, venustum. *O factum*. O rem indignam! O acerbum casum! Ita exclamabant in rebus adversis, in prosperis autem, O factum bene! *Tua opera*, tua caussa. *Turgiduli*, diu enim flentibus tument oculi.

O factum male! o miselle passer!
Tua nunc opera meae puellae
Flendo turgiduli rubent ocelli.

CARMEN II.

Phaselum quendam emeritum, quo e Ponto Bithyniaque Sirmionem vectus fuerat, ab origine, eeleritate, itineribus laudat, Castorique ac Polluci navium servatoribus consecrat.

Phaselus ille, quem videtis, hospites,
Ait fuisse navium celerrimus,
Neque ullius natantis impetum trabis,
Nequisse praeterire, sive palmulis
Opus foret volare, sive linteo.
Et hoc negat minacis Adriatici
Negare litus, insulasve Cycladas.
Rhodumve nobilem, horridamve Thraciam,
Propontida, trucemve Ponticum sinum,
Ubi iste, post Phaselus, antea fuit
Comata silva. Nam Cytorio in jugo
Loquente saepe sibilum edidit coma,

V. 1. *Quem videtis.* Intento digito hoc pronuntiandum. *Ait fuisse celerrimus*, graeca Syntaxis, pro, ait se fuisse celerrimum. *Neque Nequisse*, scil. potuisse praeterire velocem cursum. *Palmulis*, remis. *Linteo*, carbaso, velo. *Negat negare*, i. e. affirmat, hujus rei testes esse litus etc. *Cycladas*, in Aegaeo mari sitas circa Delum.

V. 8. *Rhodum*, insulam Carpathii maris, nobilem disciplinis, mercatura, egregiis artificum operibus, praecipue Solis colosso spectatissimam. *Horridam*, fortasse ob Aquilonem, ventum e Thracia flantem. *Propontida.* Propontis est pars mediterranei maris, quae inter Hellespontum et Bosphorum Thracium porrigitur. *Ponticum sinum*, mare Eusinum. Sinum dicit trucem, quia importuosus est, nebulosus, fervens atque agitatus.

V. 10. *Ubi.* Nam Ponti regio silvis frequens, unde materies navibus compingendis. *Comata.* Antea fuit frondosa arbor, post factus phaselus. *Cytorio.* Cytorus Paphlagoniae mons, buxo abun-

Amastri Pontica, et Cytore buxifer,
Tibi haec fuisse, et esse cognitissima
Ait phaselus; ultima ex origine
Tuo stetisse dicit in cacumine,
Tuo imbuisse palmulas in aequore,
Et inde tot per impotentia freta
Herum tulisse; laeva, sive dextera
Vocaret aura, sive utrumque Jupiter
Simul secundus incidisset in pedem.
Neque ulla vota litoralibus diis
Sibi esse facta, quum veniret a mare
Novissimo hunc ad usque limpidum lacum,
Sed haec prius fuere; nunc recondita
Senet quiete; seque dedicat tibi.
Gemelle Castor, et gemelle Castoris.

dans, ex quo pectines fiebant. *Loquentem*, strepentibus frondibus. *Amastri*, Amastris, oppidum Cytoro proximum.

V. 15. *Ultima*, a prima origine; ortum a te traxisse dicit. *Imbuisse*, remos navigandi rudes tuo mari primum expertum fuisse. Impotentia, procellosa. Laeva, sive sinistrorsum aura impelleret, sive ventus aequabilis et propitius (hic enim *Jupiter* ventus est) impleres utramque extremitatem veli, ita ut rudentes, quibus extremae veli partes dextra laevaque navi colligantur, aeque distenderentur. Hi rudentes, a latinis *pedes*, ab italis *poggia*, *ed orza* vocari consueverunt, *Vulpius*.

V. 22. *Vota*, quod prospero semper vento usus fuerit. *Litoralibus*, qui fana in litoribus habebant. *Novissimo*, remotissimo, scil. Ponto Euxino. *Lacum*, Benacum. *Prius fuere*, transierunt. *Recondita*, privato otio senescit; recondito in loco senescens quiescit. *Dedicat*. Castori et Polluci naviculas dedicabant e maris periculis, aut naufragio servati.

CARMEN III.

Admonitu mortis ad hilariter vivendum socios cohortatur.

Vivamus, socii, jocosque amemus,
Rumoresque senum severiorum
Omnes unius aestimemus assis.
Soles occidere et redire possunt:
Nobis, quum semel occidit brevis lux
Nox est perpetua una dormienda.

V. 1. *Vivamus*, ital. *attendiamo a vivere*. Ita loquuntur quibus animum simul cum corpore extingui persuasum est, nullumque fore de rebus, quas in vita gesserimus, judicem, unde et virtutum praemia, et flagitiorum poenas expectare debeamus. Nos contra, qui maximo Dei beneficio Christiani sumus, tantum abest, ut mortis cogitatione pro vitiorum illecebra abutamur, ut ea potissimum effrenatas cupiditates coercere soliti simus: aeterna scil. bona spectantes, quae pie atque honeste vitam agentibus summus ille actionum humanarum arbiter pollicetur, *Vulpius*.

V. 2. *Rumores*, ital. *barbottamenti*, clamores senum rigidorum nihil faciamus. *Occidit*, extincta est. *Perpetua*. Noctem perpetuam vocat tempus illud aeternum, quod statim a morte incipit, *V*.

IV.

Laetatur, Verannium amicum suum salvum ex Hispania rediisse.

Veranni, omnibus e meis amicis
Antistans mihi millibus trecentis:
Venistine domum ad tuos Penates,

V. 2. *Antistans mihi*, quem unum prae ceteris amicis omnibus facio plurimi; qui primum locum tenes inter omnes trecentos mille amicos meos.

Fratresque unanimes, anumque matrem?
Venisti! O mihi nuntii beati!
Visam te incolumem, audiamque Hiberum
Narrantem loca, facta, nationes.
Ut mos est tuus: applicansque collum,
Jucundum os, oculosque suaviabor.
O quantum est hominum beatiorum,
Quid me laetius est, beatiusve?

V. 4. *Anumque matrem.* Sic legunt Heins. et Doeringius: hic *anum* sumendum est adjectivae ut Carm. 68. 47. *charta loquatur anuus.* *Venistine*, ex Hispania scilicet. *Loca facta nationes*, oppida Hispanorum, res tuas gestas; diversas nationes. Triplex Hispaniae natio: Tarraconensis, Baetica, Lusitana.

V. 8. *Applicansque*, manumque collum molliter inflectens. *Quantum est*, inter omnes homines feliciores quis est me laetior, aut felicior?

V.

Furio, et Aurelio, sodalibus suis mandat, ut verbis ipsius, amico infideli vale dicant.

Furi et Aureli, comites Catulli,
Sive in extremos penetrabit Indos,
Litus ut longe resonante Eoa
Tunditur unda:

V. 1. *Furi.* Achilles Statius Furium hunc fuisse Furium Bibaculum, elegantis ingenii poetam: Aurelium autem L. Aurelium Cottam praetorem, opinatur. *Comites*, subaudi *futuri*. Ea enim amicitia Furio et Aurelio cum Catullo intercedebat, ut, si res ita ferret, usque ad extremas Indiae oras.

V. 3. *Ut*, positum pro *ubi*, ut etiam alibi *Eoa*, orientali oceano

Sive in Hircanos, Arabasque molles,
Seu Sacas, sagittiferosque Parthos
Sive qua septemgeminus colorat
Aequora Nilus;
Sive trans altas gradietur Alpes
Caesaris visens monumenta magni
Gallicum Rhenum, horribilesque ulti-
mosque Britannos:
Omnia haec, quaecumque feret voluntas
Caelitum, tentare simul parati,
Pauca, vos Rufo modo nuntiate
Non bona dicta:
Ne meum respectet, ut ante, amorem,
Qui illius culpa cecidit; velut prati
Ultimi flos, praetereunte postquam
Tactus aratro est.

V. 5. *Hircanos*, populos ultra Armeniam sitos ad mare Caspium, proximos Parthis ad meridiem. *Arabas*. Arabia Asiae regio non procul ab Aegypto. *Molles*, luxu perditos, imbelles, ob soli fertilitatem caelique clementiam, *Vulpius*. *Sacas*, Sacae populi proximi Scythis.

V. 6. *Parthos*, Persidis populos, qui ab equis pugnabant, et simulata fuga hostem in insidias trahebant. *Septemgeminus*, septem ostiis in mare sese effundens. *Colorat*, nigro limo inficiens, turbat. *Monumenta*, trophaea Caesaris, Gallis debellatis. *Rhenum*, Germaniae flumen. *Gallicum*, ad discrimen Rheni Bononiensis. *Horribiles*, hospitibus feros, vel orribiles adspectu. Vitro enim se inficiebant, quod caeruleum efficit colorem. Vide Caesar. lib. 7. de Bello Gall. c. 14. *Ultimos*, toto orbe divisos vocat Virgilius.

V. 13. *Omnia haec*: quasi diceret: mox videbo, quo tandem recasura sint promissa vestra magnifica; utrum scil. rem adeo facilem minimique laboris, a me vobis mandatam, suscepturi sitis, nec ne, *Vulp. Caelitum*, deorum. *Tentare*, experiri omnia haec: loca mecum adire cum prompti sitis. *Non bona*, non jucunda, minime placitura. *Respectet*, exspectet. *Cecidit*, elanguit, veluti flos, qui, quum esset in extrema prati parte prope arvum colendum, a praetereunte aratro succiditur.

VI.

Asinium furem ad raptum sudarium sibi remittendum satis minaciter hortatur.

Marrucine Asini, manu sinistra
Non belle uteris in joco atque vino:
Tollis lintea negligentiorum,
Hoc salsum esse putas? fugit te, inepte;
Quamvis sordida res, et invenusta est.
Non credis mihi? Crede Pollioni
Fratri, qui tua furta vel talento
Mutari velit: est enim leporum
Disertus puer, et facetiarum.
Quare aut hendecasyllabos trecentos
Exspecta, aut mihi linteum remitte
Quod me non movet aestimatione;
Verum est mnemosynon mei sodalis.
Nam sudaria Saetaba ex Hiberis
Miserunt mihi muneri Fabullus,
Et Verannius. Haec amem necesse est
Ut Veranniolum meum et Fabullum.

V. 1. *Marrucine.* Italiae populi fuerunt Marrucini inter Vestinos atque Pelignos, quorum caput *Teate*, hodie *Chieti*. Vul. *Sinistra.* Laeva apud antiquos furto erat infamis. *Non belle*, non satis polite. *In joco atque vino*, in jocoso convivio. *Lintea*, ital. *fazzoletti*. *Salsum*, rem facto homine dignam. *Fugit te*, hoc te late, non bene sentis, erras. *Quamvis*, quantum vis.

V. 6. *Pollioni.* Hic est Asinius Pollio, Augusti Caesaris amicus, orator egregius. *Mutari.* Qui vel ingentem pecuniae summam expendere sit paratus, ne fratrem habeat furem, vel qui tuam innocentiam, et ab alieno abstinendam, vel talento libenter permutaverit, *Vulp.* *Puer*, juvenis plenus leporum, ital. *di maniere civili*, *di grazia*. *Facetiarum*, ital. *di tutto garbo*.

V. 12. *Aestimatione*, sui pretio. *Mnemosynon*, monumentum. *Saetaba.* Sudaria Saetaba ex lino Saetabo ab urbe et fluvio Setabi in Hispania sic dicto, ubi optimus lini proventus fuit, *Doering*. *Fabullum*, Cognomen a Fabio derivatum. *Idem.*

VII.

Fabullum ad coenam invitat, ea lege, ut Fabullus quidem coenam secum afferat, ipse autem nihil suppeditet praeter unguentum.

Coenabis bene, mi Fabulle, apud me
Paucis, si tibi Dii favent, diebus,
Si tecum attuleris bonam, atque magnam
Coenam, non sine candido sodali,
Et vino, et sale, et omnibus cachinnis.
Haec si, inquam, attuleris, venuste noster,
Coenabis bene: nam tui Catulli
Plenus sacculus est aranearum.
Sed contra accipies meros amores:
Seu quid suavius, elegantiusve est:
Nam unguentum dabo, quod mihi benigne
Donarunt Veneres Cupidinesque;
Quod tu quum olfacies, Deos rogabis,
Totum ut te faciant, Fabulle, nasum.

V. 1. *Bene*, laute, opipare. *Paucis diebus*, intra paucos dies. *Favent*, annuunt, permittunt. *Bonam*, bene conditam. *Magnam*, lautam, copiosam. *Sale*, pro facetiis, lepore. *Cachinnis*, omni genere cachinnorum, quotquot habes.

V. 8. *Sacculus*, crumena. Sacculus tui Catulli diu jam pecunia caret; ita ut aranea telum texens in eo opus fecerit. *Meros amores*, meram ipsam suavitatem. Sic unguentum, quod ei daturus erat, appellat. Animum hilarem ingenuum interpretantur alii.

V. 10. *Seu quid*, scil. aut siquid *Veneres*, cujus odor ea jucunditate praeditus est, ut ex Venerum et Cupidinum myropolio profectus videatur, *Vulp. Totum*, tanta erit odoris suavitas, tanta olfaciendi voluptas.

VIII.

Licinio Calvo, sodali suo, quod sibi Saturnalibus malorum poetarum carmina dono misisset, per jocum irascitur.

Ni te plus oculis meis amarem,
Jucundissime Calve, munere isto
Odissem te odio Vatiniano
Nam quid feci ego, quidve sum locutus,
Cur me tot male perderes poetis?
Isti Dii mala multa dent clienti,
Qui tantum tibi misit impiorum
Quod si, ut suspicor, hoc novum, ac repertum
Munus dat tibi Sullâ literator,
Non est mi male, sed bene, ac beate,
Quod non dispereunt tui labores.
Dii magni, horribilem, et sacrum libellum!
Quem tu scilicet ad tuum Catullum

V. 2. *Calve*, Hic est C. Licinius Calvus et poeta et orator insignis. *Vatiniano*, vel eo odio, quo boni omnes Vatinium prosequebantur (apud Macrob. Sat. II. 6) vel eo quo Vatinius ipse oderat C Lic. Calvum, oratorem acerrimum, qui eum de ambitu accusaverat, Vulp. *Quid feci.* Num te facto, vel dicto laesi? *Mále* misere perderes, malum infortunium afferre mihi deberes. *Tot poetis*, tot malis carminibus.

V. 6. *Clienti*, tuo scil. qui tibi patrono suo munusculi loco misit tanta malorum carminum copiam. *Repertum*, excogitatum, magnaque cura inventum. *Vulp.*

V. 9. *Sulla litterator*. Cornelium quemdam Epicadum, L. Sullae Libertum, Sullam hunc suspicatur fuisse Muretus, qui a patrono manumissus, sibi de more, patroni cognomen sumpserit. Erat hic grammaticus non contemnendus, poetarum scil. interpres.

V. 10. *Non mi male*, non queror, sed gaudeo, tibique gratulor, quod labores, quos sustinuisti, Sullam defendendo tam bene compensentur. *Dii magni*, Exclamatio cum admiratione. *Sacrum* exsecrandum, detestabilem.

Misti, continuo ut die periret
Saturnalibus, optimo dierum.
Non, non hoc tibi, salse sic abibit.
Nam, si luxerit, ad librariorum
Curram scrinia: Caesios Aquinios,
Suffenum, omnia colligam venena,
Ac te his suppliciis remunerabor.
Vos hinc interea valete, abite
Illuc unde malum pedem tulistis,
Saecli incommoda, pessimi poetae.

V. 16. *Misti*, misisti. *Continuo*, ut acceptus a Catullo, statim periret, i. e. vel in ignem mitteretur, vel fieret piperi cucullus

V. 15. *Die saturnalibus.* Festa haec erant in honorem Saturni, conviviis, ludis hilaritate, mense Decembri celebrari solita. Vide Macrob. l. 1. c. 10. *Optimo dierum.* Primus Saturnaliorum dies duobus, aut quatuor sequentibus dignitate praestabat; quod scil. antiquiores eum unum diem solemnem habuissent. Eum porro *bonum*, optimumque dierum appellabant. In iis munusculis quae pauperes divitibus clientes patronis per hosce dies mittere solebant et libri munerabantur, ex Vulp. *Non non hoc*, non impune feres.

V. 6. *Salse* ital. *grazioso*, vel derisor. *Si luxerit*, quum primum dies ortus fuerit. *Scrinia*, capsulas, in quibus bibliopolae libros venales adservabant. *Vulp. Caesios*, poetas insigniter malos. *Aquinius* duae ultimae syllabae in unam coalescunt, *Venena*, inepta et mala carmina. *Suppliciis*, pari merce te remunerabor, Scalig. *Valete*, discedite. *Malum*, laevum, *Unde malum pedem tulistis*: unde malis avibus huc venistis. *Incommoda*, dedecus, hujus aetatis.

IX.

Coloniam rogat, ut de suo ipsa ponte Sublicio stolidum quemdam hominem Veronensem in suppositam paludem mitti patiatur.

O Colonia, quae cupis ponte ludere longo
Et salire paratum habes, sed vereris inepta
Crura ponticuli adsulitantis, inredivivus
Ne supinus eat, cavaque in palude recumbat:
Sic tibi bonus ex tua pons libidine fiat,
In quo vel Salisubsulis sacra suscipiantur:
Munus hoc mihi maximi da, Colonia, risus.
Quemdam municipem meum de tuo volo ponte
Ire praecipitem in lutum per caputque pedesque:

V. 1. *Colonia*. Coloniam hanc oppidum esse haud procul Verona, quod hodieque nomen illud retinet, conjicit Muretus. Novum comum, Coloniam paulo ante a Caesare deductam a poeta intelligi Scaliger credit. Ad genus carminis quod attinet, est; ait Muretus, genus quoddam hexametri ex heroico effictum, describendis rebus tantum ludicris aptum. Ab heroico distinguitur, quod primo quartoque loco, pro spondaeo choreus, jambusve; tertio, creticus pro dactylo ponitur. *Ludere*, ludos facere. In pontibus olim spectacula edebant, quemadmodum et nostro tempore fit in Italia, Pisis atque Venetiis, ubi pugilatu certatur, *Vulp. Longo*. Ubi in promptu tibi est saliendi facultas, *Doering*.

V. 2. *Paratum habes*, parata es salire. *Inepta*, *crura* ligneas columellas ad pontem fulciendum infirmas, nec satis aptas, Doering. *Adsulitantis*; vid. Var. *Inredivivus*, eleganter de rebus inanimatis, quae irreparabiles sunt: denuo excitari, et restitui nequeunt, *Doering*. *Cava*, profunda palude, quae ponti suberat, *Sic*, utinam. *Bonus*, firmus. *Libidine*, voluntate, ex animi tui sententia.

V. 6. *Salisubsulis*, scil Saliis saltantibus, ut sit sensus *fiat pons tantae firmitatis ut in eo Salii saltare securi queant*. Vide Forcellinium. *Sacra*, ita firmus fiat, ut etiam Salii saltantes rem divinam in eo facere possint. *Da*, fac videam spectaculum hoc maxime mihi voluptatis, joci. *Municipem*, Veronensem.

V. 9. *Per caputque*, cum capite et pedibus. Luto totus obrua-

Verum totius ut lacus putidaeque paludis
Lividissima, maximeque est profunda vorago,
Insulsissimus est homo: nec sapit pueri instar
Bimuli, tremula patris dormientis in ulna.
Nec se sublevat ex sua parte: sed velut alnus
In fossa Liguri jacet supernata securi,
Talis iste meus stupor nihil videt, nihil audit,
Ipse qui sit, utrum sit, an non sit, id quoque nescit,
Nunc eum volo de tuo ponte mittere pronum,
Si pote stolidum repente excitare veternum,
Et supinum animum in gravi derelinquere coeno:
Ferream ut soleam tenaci in voragine mula.

tur, ut nulla ejus pars extet. *Ut* pro *Ubi*, ut supra: qua parte vorago, sive solum (ital. *fondo*) lacus totius et maleolentis paludis est maxime sordidum ac profundum.

V. 14. *Sublevat*, nec se excutit. *Ex sua parte*, quantum in ipso est. *Liguri*, Ligurii cujusdam fossae possessoris ut recte Vossius, *Vulp*. *Supernata*, h. e. succisa, ut ducta methaphora sit ab iis quibus in modum pernarum suillarum femina excisa sunt. Doering. *Stupor*, pro insigniter stupido. *Utrum sit*, nescit utrum sit vivus, an mortuus. *Si pote*, si possit. *Veternum*, lethargum, qui eum stolidum reddit. *Supinum*, inertem, segnem animum; animi toporem. *Soleam*, Graece υποδημα: Ital. *il ferramento*. *Tenaci*, in tenaci profundo luto.

X.

Lucum Priapo dedicat.

Hunc lucum tibi dedico consecroque Priape.
Qua domus tua Lampsaci est quaque silva Priape
Nam te praecipue in suis urbibus colit ora
Hellespontia, ceteris ostreosior oris.

V. 1. *Priape* Priapus hortorum Deus et custos, Bacchi et Veneris filius, Lampsaci in Asiae minoris urbe ad Hellespontum, praecipue colebatur. *Qua*, scil. ratione; quomodo tua, i. e. sacra est tibi, domus Lampsaci et silvae, sive vineta. *Te colit*. Priapus colebatur in litoribus, quod navigationi et mercaturae praeesse crederetur, *Vulp*. *Hellespontia*, pro Hellespontiaca. *Ostreosior*, ostreis abundantior.

X I.

Inducitur hortorum Deus fures admonens, ut ab horto sibi commisso manus abstineant.

Hunc ego, juvenes, locum villulamque palustrem
Tectam vimine junceo, caricisque maniplis,
Quercus arida, rustica conformata securi
Nutrivi, magis, et magis ut beata quotannis.
Hujus nam Domini colunt me, Deumque salutant
Pauperis tugurii Pater filiusque
Alter assidua colens diligentia, ut herba
Dumosa asperaque a meo sit remota sacello:
Alter parva ferens manu semper munera larga.
Florido, mihi ponitur picta vere corolla
Primitu', et tenera virens spica mollis arista:
Luteae violae mihi, luteumque papaver,
Pallentesque cocurbitae, et suave olentia mala;

V. 1. *Palustrem*, in palustri loco sitam, *Tectam*, circumseptam juncis, et densa carice. *Quercus*, ego nimirum Priapus jam quernus stipes, sculptus non a perito statuario, sed, securi per manus villici elaboratus. *Nutrivi.* Auxi et beavi fecunditate, *Doering. Beata*, fertilis fiat.

V. 5. *Salutant*, venerantur. *Colens*, scil. agrum. *Ferens*, offerens parva munera; *Primitu*, in primis. *Picta*, corona mihi affertur ex floribus variis. *Virens*, etiamnum virens. *Luteum*, grana papaveris luta sunt, folia vero sanguinea. *Vulp.*

V. 13. *Pallentes* flavae. *Educata*, ad maturitatem perducta. *Mihi*, in meum honorem. *Tacebitis*, hac de re verbum non facietis. Cur Priapus hoc vetet, non adeo compertum est. Hoc inserit, inquit Muretus, quia legibus XII. Tabularum sacra facere peregrinis Diis, nisi qui publice adsciti essent, non licebat. Alii existimant majoribus tantum diis hostias mactare licitum fuisse, non item ruricolis. At Priapum asini sanguine publice placari solitum fuisse nemo ignorat Polyaenus autem ille Petronianus hircum, arietem, porcellum lactantem Priapo vovet. Alio igitur confugiendum est, inquit Vulpius. Nocturno plurimum tempore sacris Priapi operabatur antiquitas: eoque perditissimi quique confluebant, ubi nullus

Uva pampinea rubens educata sub umbra.
Sanguine hanc etiam mihi (sed tacebitis) aram
Barbatus linit hirculus, cornipesque capella,
Pro queis omnia honoribus haec necesse Priapo
Praestare, et domini hortulum vineamque tueri.
Quare hinc, o pueri, malas abstinete rapinas,
Vicinus prope dives est, negligensque Priapus.
Inde sumite; semita haec deinde vos feret ipsa.

flagitiis modus. Quare consciis tam turpium sacrorum, nihil magis commendabatur quam silentium. Priapus itaque taceri vult polluta haec sacrificia, quae severos homines ad iracundiam provocassent. Haec tamen explicatio non arridet, ut auctor est Doeringius; nondum enim sacra Priapeja viderant pueri.

V. 16. *Cornipes*, cujus ungula duritiem corneam imitatur *Vulp.* *Vicinus*, Hortulus hic vicinus est dives, et custos Priapus in eo tuendo negligens est; rapinas non curat. *Sumite*, surripite, furamini. *Semita*, haec autem via ipsa eo vos ducet.

XII.

Idem Priapus rapaci viatori mulctam indicit.

Ego haec, ego arte fabricata rustica,
Ego arida, o viator, ecce populus.
Agellulum hunc sinistra, tute quem vides,
Herique villulam, hortulumque pauperis
Tuor, malasque furis arceo manus.
Mihi corolla picta Vere ponitur:
Mihi rubens arista Sole fervido:
Mihi virente dulcis uva pampino:
Mihique glauca duro oliva frigore.
Meis capella delicata pascuis

V. 1. *Rustica*, rudi. *Arida*, ego jam aridus stipes populeus.
V. 3. *Sinistra*, e regione agelli ad sinistram sita. Muret. *Tuor*, Lucretianum verbum, pro tueor, custodio. *Rubens*, flava, matura, sole torrida, *Vulp. Glauca*, subviridis. *Duro* ital. *crudo*.
V. 10. *Delicata*, tenera ex meis pascuis. *Adulta*, distenta ob lactis copiam. *Gravem*, aere, pecunia. *Dexteram*, heri manum:

In urbem adulta lacte portat ubera;
Meisque pinguis agnus ex ovilibus
Gravem domum remittit aere dexteram;
Tenerque, matre mugiente, vaccula
Deum profundit ante templa sanguinem,
Proin' viator hunc deum vereberis,
Manumque sorsum habebis. Hoc tibi expedit.

herum remittit domum manibus pecunia onustis. Aperta est imitatio Virgilii Eclog. I, 36. *Non unquam gravis aere domum mihi dextra redibat.*

V. 14. *Tener.* Nomina, quae *er* syllaba finiuntur, veteribus maximam partem communia fuerunt, *Muret. Templa*, ante aras Deorum mactatur. *Sorsum*, seorsum continebis, ne quid surripias, ital. *terrai a te le mani. Expedit*, ital. *ti torna conto.*

XIII.

Mali poetae Suffeni, mire sibi placentis in scribendo carmine, ridiculum φιλαυτιαν describit.

Suffenus iste, Varre, quem probe nosti,
Homo est venustus, et dicax, et urbanus,
Idemque longe plurimos facit versus.
Puto esse ego illi millia aut decem, aut plura
Perscripta, nec sic, ut fit in palimpsesto

V. 2. *Venustus*, ital. *grazioso, garbato, gentile. Dicax*, qui salsa in quemlibet dicteria jactat; nobis *motteggevole, Vulp. Urbanus.* Urbanus is est, qui hujusmodi salibus et jocis utitur, quibus non rure, sed in urbe natum, vel saltem educatum se probet. Urbano latinorum fere respondet is, quem Itali dicunt *cortigiano, uomo di corte*, Vulp. *Uomo culto, polito.*

V. 3. *Longe plurimos*, quamplurimos. *Millia aut*, aut decem millia habere penes se scripta. *Nec sic*, nec negligenter notata, ut fieri solet in charta deletitia. *Palimpsestum* erat membrana, ex qua deleri poterat quidquid in ea scriptum fuerat, ut aliud denuo scriberetur.

Relata: charta e regiae, novi libri,
Novi umbilici, lora rubra, membrana
Directa plumbo, et pumice omnia aequata.
Haec quum legas, tum bellus ille, et urbanus
Suffenus unus caprimulgus, aut fossor
Rursus videtur: tantum abhorret, ac mutat.
Hoc quid putemus esse? Qui modo scurra,
Aut si quid hac re tritius videbatur,
Idem inficeto est inficetior rure,
Simul poemata attigit; neque idem unquam
Aeque est beatus ac poema cum scribit:
Tam gaudet in se, tamque se ipse miratur.
Nimirum idem omnes fallimur, neque est quisquam,

V. 6. *Regiae* scil. *sunt.* Chartae insigni specie ac magnitudine, Italis *carte reali, imperiali*, ex Vulp. Cic. ep. 26. ad Att. lib. 13. appellat mecrocola. *Novi libri*, recenter compacti sunt, vel nova sunt librorum tegumenta. *Umbilici*, globuli sive circuli quidam umbilicorum figuram imitantes, qui volumine absoluto, bacili extremitati utrinque ad ornamentum addebantur, ital. *Pomi.* Vide Tibullum l. 3. el. 1. v. 13. *Lora*, corrigiae scil. rubro colore, majoris elegantiae caussa, quibus claudebantur et constringebantur libri in cylindri figuram convoluti. *Vulp.*

V. 7. *Membrana*, charta pergamena, plumbo ad libellam exacta, vel plumbo lineis distincta, ital. *rigata. Aequata*, expolita, complanata, abrasa, ne pilus, aut aliqua asperitas deprehendatur. *Haec*, at si haec carmina tam eleganter ornata legere incipias. *Bellus*. ital. *grazioso e gentile.*

V. 10. *Caprimulgus*, unus e caprimulgis (qui capras mulget) qui inelegantes versus facit. *Rursus*, contra. *Abhorret*; tam diversus est a se ipso. *Mutat*, pro *mutatur Vulp.* formam immutat. *Scurra*, fortasse hic pro *urbano*, est: initio enim urbanum vocavit, ital. *cortigiano accorto. Tritius*, ital. *se v'ha gente più accorta, et altra, raffinata di questa*, nimirum urbanis, vel scurris, qui probe exercitati sunt et minime fatui.

V. 14. *Inficeto*, inepto ital. *goffo*. *Rure*, pro *rustico.* cujus sermo et mores incompti et inepti *Simul*, simul ac poetam agere aggreditur. *Beatus*, contentus. *In se*, intus, in animo laetetur, sibi placet. *Miratur*, admiratur, extollit, diligit se. *Nimirum*, ital. *pur troppo. Idem*, eadem in re, eodem modo; quia omnes nostra nimis diligimus.

Quem non in aliqua re videre Suffenum
Possis. Suus quique adtributus est error:
Sed non videmus, manticae quid in tergo est.

Suffenum, Suffeni similem, ad sua vitia conniventem, amantem sui. *Muret.*

V. 20. *Error.* Unusquisque habet sua vitia, ital. *ciascuno ha il suo debole. Manticae*, non videmus peram propriis vitiis repletam, quam post tergum gestamus. Phaed. lib. 4. Fab. 9.

XIV.

Ut Furium mendicum irrideat, paupertatis commoda ειρωνικως enumerat.

Furi, quoi neque servus est, neque arca,
Nec cimex, neque araneus, neque ignis:
Verum est et pater et noverca, quorum
Dentes vel silicem comesse possunt:
Est pulchre tibi cum tuo parente;
Et cum conjuge lignea parentis.
Nec mirum: bene nam valetis omnes,
Pulchre concoquitis, nihil timetis:
Non incendia, non graves ruinas,
Non facta impia, non dolos veneni,
Non casus alios periculorum.

V. 1. *Arca*, ubi pecuniam condat, aut vestes, *Vulp. Cimex.* Facete, ut omnia deesse affirmat, quae non habere potius quilibet, quam habere praeoptet sibi. *Muret.* cimicem pro lectulo, araneum pro angusta domo usurpavit, *Vulp. Silicem*, etiam silicem rodere possent.

V. 5. *Est pulchre*, bene tibi est. *Lignea*, arida, ligni instar exsicca, macie confecta. *Nec mirum*, scil. si pulchre vobis est. *Pulchre concoquitis*, bene digeritis; cruditate non laboratis, quum parum comedatis. *Nihil timetis*, quum nihil habeatis. *Incendia.... ruinas*, qui domum non habetis.

V. 10. *Facta*, facinora quae a perditis hominibus patrantur ob divitiarum cupiditatem ut caedes etc. *Dolos*, insidias. *Casus alios*, aliorum periculorum casus. *Vulp.*

Atqui corpora sicciora cornu,
Aut si quid magis aridum est, habetis,
Sole, et frigore, et esuritione,
Quare non tibi sit bene, ac beate?
A te sudor abest, abest saliva,
Mucusque, et mala pituita nasi.
Haec tu commoda tam beata, Furi,
Noli spernere, nec putare parvi:
Et sestertia, quae soles precari
Centum desine: nam sat es beatus.

V. 12. *Atqui*, praeterea. *Sole*, ob solem, frigus, et esuritionem. Nam, ut ait Muretus, sol exsiccat, frigus contrahit, et esuritio extenuat.

V. 16. *Sudor abest*, nunquam sudas, sudori non es obnoxius, non sputo; liber es a muco, a molesta nasi pituita, distillatione, iis omnibus excrementis cares, quibus voraces abundant. *Beata*, quae te beatum ac felicem reddunt.

V. 20. *Sestertia.* Centum sestertia, ex Buddaeo, sunt centena millia sestertiorum, quum singula sestertia valeant mille sestertiis nummis; quam pecuniae summam duo millia et quinquaginta scutata exaequant. *Precari*, desine tibi voto exposcere Diis centum sestertia, quae soles petere; nam satis felix es ac dives.

XV.

Conqueritur cum Juventio, quod Furium, mendicum hominem, in amicitiam suam adscripserit.

O qui flosculus es Juventiorum,
Non horum modo, sed quot aut fuerunt,
Aut posthac aliis erunt in annis:

V. 1. *Flosculus.* Praecipuum Juventiae familiae ornamentum, *Muret.* Juventiam gentem plebejam fuisse constat e municipio Tusculo; sed Romae postea, quo commigraverat, magistratus curules adepta, et hac ratione nobilitata est. Ex ea fuerunt plures viri clarissimi. *Vulp. Horum* qui vivunt.

Mallem divitias, mihi, dedisses
Isti, cui neque servus est, neque arca;
Quam sic te ab illo amari.
Qui? non est homo bellus? inquies. Est:
Sed bello huic neque servus est, neque arca.
Haec tu, quam lubet, abjice elevaque:
Nec servum tamen ille habet, neque arcam.

V. 4. *Mihi*, quantum ad me attinet, mallem divitias dedisses isti Furio egentissimo, quam permitteres, ut tibi amicissimus haberetur. *Qui?* qua de caussa? *Bellus*, ital. *gentile*, *garbato*. Isti cum contemptu pro ipso nomine.

V. 9. *Abjice*, contemne. *Elevaque*, et verbis extenua: dedecet tamen ingenuum adolescentem cum homine egentissimo familiariter versari.

XVI.

Interrogaverat Furius Catullum, cui vento ejus villa opposita esset, sive in quam caeli regionem spectaret. Poeta, ut erat festivo ingenio et ad jocandum parato, respondet, non vento, sed pignori oppositam esse, ob certam pecuniae summam.

Furi, villula nostra non ad Austri
Flatus opposita, nec ad Favoni;
Nec saevi Boreae, aut Apeliotae,

V. 1. *Austri*, Quatuor cardinales ventos memorat. *Auster* ventus est qui flat a meridie. *Opposita est*, objecta, obnoxia est. Jocatur in ambiguitate vocabuli *opposito*, quod significat etiam oppignorare. Vide Senec. de Benef. VII. *Favoni*, ab occasu spirantis.

V. 3. *Boreae*, Aquilonis, inter exortum aestivum et Septentriones flantis. *Apeliotae*, qui ab oriente equinoctiali spirat, et a Romanis nauticis, inquit Gellius, subsolanus nominatur.

Verum ad millia quindecim et ducentos,
O ventum horribilem atque pestilentem!

V. 4. *Ad quindecim* etc. subaudiendum IIS. *Muret.* Haec autem summa 380. scutat. rom. conficit. Alii de ventis haec intelligenda esse contendunt, subaudiendumque ventos.

V. 5. *Ventum orribilem*, graece πνεῦμα φοβερὸν: scil. ventum formidabilem.

XVII.

Cyathos meri vetustioris a ministro poscit.

Minister vetuli puer, falerni,
Inger mi calices amariores,
Ut lex Posthumiae jubet magistrae,
Ebriosa acina ebriosioris,
At vos, quo lubet, hinc abite, lymphae.
Vini pernicies, et ad severos
Migrate: hic merus est Thyonianus.

V. 1. *Minister*, pocillator; o famule, qui mihi Falernum ministras. Quem hic Poeta *ministrum* appellat a Latinis dicitur etiam puer ad cyathum, et servus a potione. *Falerni.* Falernum, vinum a Campaniae agro sic dictum. *Inger* pro *ingere*, porrige, identidem appone. *Amariores*, mero annoso plenos, quod vetustate amaritiem quamdam contraxerit, *Vulp.* austeriore vino plenos.

V. 3. *Posthumiae* Mulieris nomen convivio praefectae, seu dictatricis; ut vocat Plautus in Persa, quae scil. dictabat bibendi modum, *Vulp.* Veteres talorum jactu sortiebantur, quis e convivis, quantum quisque vini biberet, praescripturus esset. *Ebriosa.* Indicat Catullus, Posthumiam illam convivi magistram vinolentam adeo fuisse, ut ipsos quoque acinos succo turgentes, ebrietate superaret, *Vulp.* Vino deditae, ebrietati obnoxiae, Ital. *avvinazzata.*

V. 5. *Limphae* aquam rejicit. *Severos*, sobrios, siccos. *Thyonianus*, Nomen est Bacchi a Thyone ipsius matre quae et Semele in fabulis appellatur. *Hic merus est.* Scil. hic bibitur merum vinum, merus vini liquor.

XVIII.

Veranni et Fabulli amicorum suorum, et suam ipsius in sequendis praetoribus fortunam sinistram indignantur.

Pisonis comites, cohors inanis,
Aptis sarcinulis et expeditis,
Veranni optime, tuque, mi Fabulle;
Quid rerum geritis? Satisne cum isto
Vappa, frigoraque, et famem tulistis?
Ecquidnam in tabulis patet lucelli
Expensum? ut mihi, qui meum secutus
Praetorem, refero datum lucello.
Sed, quantum video, pari fuistis
Casu: i nunc: pete nobiles amicos.
At vobis mala multa Dii, Deaeque
Dent, opprobria Romuli Remique.

V. 1. *Pisonis.* Cn. Calpurnium Pisonem in provinciam Hispaniam sequuti fuerunt Verannius et Fabullus. *Comites.* Comites magistratuum provincias regentium erant legati, praefecti, quaestores, scribae, et reliqui, qui cum magistratibus in provincias mittebantur. *Cohors inanis*, comitatus miserabilis. Cohors aliquando pro familia et amicis magistratuum. Cohortem inanem vocat Catullus, quae nihil compendii fecerat in provincia; cûm nihil erat in loculis.

V. 2. *Aptis*, commodis, vel etiam parvis aut paucis. *Expeditis*, minime gravibus aut molestis sarcinulis, ital. *di poche e leggiere bagaglie*, *valigette*, *fardelli*. *Vappa*, homine nihili, *Muret. Ecquidnam*, quoduam expensum apparet, legitur in codice accepti (*dell' entrata*) in quo lucrum scribi debuisset? Indicat in eorum tabulis nihil patere, praeter expensum; lucri eos nihil omnino fecisse.

V. 7. *Ut mihi*, scil. accidit. *Praetorem.* C. scil. Memmium, quem in Bithyniam secutus fuerat. *Refero*, in tabulis accepti scripsi expensum pro lucro, ital. *notai lo speso ad entrata. Quantum video*, quantum intelligo pari fortuna usi estis.

V. 10. *I nunc*, ital. *or va, coltiva le amicizie de' grandi:* Stomachantis verba, *Vulp. Mala multa* ital. *malanni*, Vobis quidem o praetores hujusmodi, amicis inutiles, multa incommoda inferant superi, qui romanis omnibus, ipsisque adeo Urbis fundatoribus estis dedecori.

XIX.

Alphenum Varum (de quo Horatius Sat. 3. l. 1.) *jurisconsultum, sodalem suum, acriter objurgat, quod promissis non steterit, ac fidem sibi datam violaverit. Fortasse Alphenus caussam Catulli aliquam defendendam susceperat, et postea praevaricatus fuerat.*

Alphene immemor, atque unanimis false sodalibus;
Jam te nil miseret, dure, tui dulcis amiculi:
Jam me prodere, jam non dubitas fallere, perfide.
Nec facta impie fallacum hominum caelicolis placent,
Quae tu negligis, ac me miserum deseris in malis.
Eheu! quid faciant dehinc homines cuive habeant fidem?
Certe tute jubebas animam tradere, inique, me
Inducens in amorem, quasi tuta omnia mi forent.
Idem nunc retrahis te, ac tua dicta omnia, factaque

V. 1. *Immemor*, promissorum, aut beneficiorum, quae in eum Catullus contulisset *Vulp.* Ingrate. *Fallax*, infidelis amicis conjunctissimis. *Dure*, inhumane, crudelis. *Amiculi*, vox est blanditiarum, *Vulp.*

V. 3. *Prodere*, religio tibi nunc non est me deserere, mihique fidem frangere, me frustrari. *Nec* pro *non facta*, facinora, scelera, ital. *inique azioni. Fallacum*, pro *fallacium* scil. proditorum, perfidorum.

V. 5. *Negligis*, parvi pendis, tamquam levia peccata et contemnenda, *Vulp. Malis*, in calamitatibus, ital. *ne' guai*, *nelle miserie*, in luctu. *Habeant fidem*, cui credent, si jurisconsultus perfidus est, *Parthen. Jubebas*, cogebas. *Animam tradere*, me totum, meaque omnia tuae fidei credere, et in ea penitus conquiescere, *Vulp.* Ital. *ad aprirti il mio cuore*, *ad abbandonarmi del tutto ciecamente alla tua fede.*

V. 7. *Inique*, o inique, perfide. *Inducens*, ital. *impegnandomi* impellens ad te amandum. *Tuta*, quasi nihil mihi timendum esset. *Retrahis*. ital. *ti ritiri.*

Ventos inrita ferre, et nebulas aërias sinis:
Si tu oblitus es, at Dii meminerunt, meminit Fides:
Quae, te ut poeniteat postmodo facti, faciet, tui.

V. 10. *Inrita*, nullo effectu. *Si tu*, scil. ea es oblitus, Dii tamen ec. *Fides*, quae divinis honoribus apud Romanos colebatur. Hujus Aedes vicina fuit Jovi in Capitolio. *Quae te*, quae faciet, ut aliquando te poeniteat facinoris tui, ital. *ti farà pentire ec.*

XX.

E Bithynia hilariter domum suam se recipiens, Sirmionem, lacus Benaci peninsulam amoenissimam, salutat.

Peninsularum, Sirmio, insularumque
Ocelle, quascumque in linquentibus stagnis,
Marique vasto fert uterque Neptunus:
Quam te libenter, quamque laetus inviso!
Vix mi ipse credens Thyniam, atque Bithynos
Liquisse campos, et videre te in tuto.
O quid solutis est beatius?

V. 1. *Sirmio*, peninsula in lacu Benaci, *Lago di Garda*, in agro Veronensi. Ibi non solum agros, villamque commodam Catullus possedisse videtur, sed et totius peninsulae dominus fuisse. *Ocelle*, quae pulcherrima, carissima es omnium peninsularum. Quae magno aestimabant, ea *oculos*, et *ocellos* antiqui vocabant. *Fert*, sustinet, habet, continet. *Uterque Neptunus*, mare superum et inferum significat, *Muret.* Alii marinum et palustrem Neptunum intelligunt, alterum scil. mari, lacubus alterum et aquis dulcibus imperitantem.

V. 5. *Credens*, vix mihi persuadens. *Thyniam*, Bithyniae finitimam regionem. *In tuto*, in tranquillo, extra periculum. *Solutis*, expeditis, submotis curis; animo curis soluto, scil. libero et quieto; vel potius: quid beatius, scil. quis felicior est iis

Cum mens onus reponit, ac peregrino
Labore fessi venimus Larem ad nostrum,
Desideratoque acquiescimus lecto.
Hoc est, quod unum est pro laboribus tantis.
Salve: o venusta Sirmio, atque hero gaude:
Gaudete vosque, Lydiae lacus undae:
Ridete quidquid est domi cachinnorum.

hominibus, qui soluti sunt curis? *Onus*, scil. curarum deponit, quo premitur. *Peregrino*, laboribus, quos in exteris regionibus sustinuimus. *Larem*, domum nostram.

V. 10. *Desiderato*, quem toties desideravimus. *Hoc est*, hoc unum premium est, quod retuli pro tot ac tantis molestiis; una haec merces est meorum laborum, ut scil. domum reversus in desiderato lecto quiescerem. Nullum enim aliud lucrum retulerat, culpa et negligentia C. Memmii praetoris, quem in Bithyniam secutus fuerat.

V. 12. *Salve*, ital. *sii la ben trovata*. Mos erat, ut qui primum ingrederentur regionem aliquam, ad eamve reverterentur, religiose eam salutarent, *Muret*. *Hero*, heri tui caussa, qui sospes domum revertitur, *Vulp*. *Gaude*, ital *fa festa*, laetare. *Lydiae*. Lacus Benaci undas *Lydias* Catullus appellat, quoniam is in Veronensi agro situs est. Verona pertinet ad Rhaetos: Rhaeti a Tuscis oriundi; Tusci a Lydis ex Maeonia. Id jampridem Anton. Parthenius recte monuerat. Hasce origines ultimas, poetae venari solent, Catullus praecipue, *Vulp*. Tuscae aquae hujus lacus.

V. 14 *Ridete* etc. Ridete maximum risum et effosum; ital. *Tripudiate pur con quanta forza mai avete*. *Esse domi*, pro *haberi et possideri*, dixerunt veteres. Porro neque id praetermittendum est, *cachinnum* usurpatum fuisse a Catullo pro fremitu fluctuum marinorum, de Nuptiis Pelei ac Thetidos Carm. 33. v. 273. Lacus autem Benacus maris instar fremit, *Vulp*.

XXI.

Laudis saecularibus pueri puellaeque Apollinis ac Dianae laudes canere consueverant. In eum igitur usum hymnus hic factus est, quo Dianae laudes continentur.

Dianae sumus in fide
Puellae, et pueri integri;
Dianam pueri integri,
Puellaeque canamus.
O Latonia maximi
Magna progenies Jovis,
Quam mater prope Deliam
Deposivit Olivam;
Montium domina ut fores,
Silvarumque virentium,
Saltuumque reconditorum,
Amniumque sonantum.

V. 1. *In fide*, in tutela, patrocinio. *Puellae*, nos puellae et pueri casti, innocentes. *Canamus*; celebremus; hymnum Dianae canamus. *Latonia*, o Diana. Latona enim ex Jove Dianam et Apollinem peperit. *Magna*, clara, illustris filia summi Jovis. *Mater*, Latona. *Deposivit*, antique pro deposuit, enixa est.

V. 8. *Olivam*. Apollinem prope palmam, Dianam apud oleam, illum in Delo, hanc in Ortygia a matre Latona editam, hymno in Apollinem scribit Homerus; ubi Ortygiam a Delo manifeste distinguit. Delum olim Ortygiam vocatam admonet Strabo; Ortygiam, Delum vocat etiam Ovidius; Tacitus aliique aperte distinguunt. Nec minus habet dubitationis, ad quam arborem Latona pepererit. Catullus hic olivam nominat; In eadem sententia sunt Strabo et Hyginus. At palmam, ait Plinius, in Delo, Apollinis et Dianae natalibus nobilem conspici; idque alii comprobant. Quaestionem solvit Aelianus, qui narrat Latonam parturientem, altera manu oleam, altera palmam valide pressisse, atque ita gemellos edidisse.

V. 9. *Domina*, Montium nemorumque custodem appellat Horatius, Carmine saeculari. Nam Diana venationum Dea est, et montium, silvarum saltuumque abditorum praeses, et fluminum.

Tu Lucina dolentibus
Juno dicta puerperis:
Tu potens Trivia, et notho es:
Dicta lumine Luna.
Tu cursu, dea, menstruo
Metiens iter annuum,
Rustica agricolae bonis
Tecta frugibus exples.
Sis quocumque placet tibi
Sancta nomine, Romulique,
Ancique, ut solita es, bona
Sospites ope Gentem.

V. 13. *Lucina*. Tu Juno *Lucina* appellata es a puerperis laborantibus. Juno a *juvando*; Lucina quae eadem est, ac luna, *a lucendo* est dicta, quod partum in lucem edat.

V. 15. *Trivia*. Eadem enim est cum Hecate, quae in triviis colebatur, *Muret*. Non solum *Trivia*, sed et *triformis*, dicebatur, nimirum in caelo *Luna*, in terris *Diana*, apud inferos *Hecate*, sive Proserpina. *Notho*, lumine alieno, non tuo. Nam lumen quo luna fulget, a sole proficiscitur. Graecis Νοθος est quod Italis *estraneo*.

V. 17. *Menstruo* tu complens menstruo spatio annuum cursum. Nam *Sol*, ait Cicero lib. 5. de Nat. Deor. *Duabus unius orbis ultimis partibus definiens motum, cursus annuos conficit. Hujus hanc illustrationem, ejusdem incensa radii, menstruo spatio Luna complet*.

V. 19. *Exples*, reples jucundis frugibus rusticas agricolarum domos. Nam, *crescente luna*, ait Plinius l. 18. c. 13. Nat. Histor. *frumenta grandescunt*. *Sancta*, veneranda. *Ancique*, optimi regis, qui post Romulum alter quasi urbis conditor habitus. *Bona ope*, favorabili praesidio, patrocinio. *Sospites*, incolumem serves.

XXII.

Caecilium poetam, sodalem suum, Novocomo rogatu amici communis Veronam arcessit.

Poetae tenero, meo sodali
Velim Caecilio, papyre, dicas
Veronam veniat, Novi relinquens
Comi moenia, Lariumque litus:
Nam quasdam volo cogitationes
Amici accipiat sui meique:
Quare si sapiet, viam vorabit.

V. 1. *Tenero* suavi, venusto. Lyricorum aut elegorum scriptores *teneros* vocabant antiqui. *Caecilio.* Quis fuerit Caecilius iste, Catulli amicus, ignotum est. *Vulp. Papyre*: chartam suam alloquitur, e papyro confectam. Est autem papyrus frutex Aegyptiacus, *Idem. Dicas*, nunties.

V. 4. *Novi Comi*. Novum Comum, quod et Novocomum dicitur, oppidum in agro Mediolanensi ad Larium lacum, *Lago di Como. Litus*, ripam Larii lacus. *Cogitationes*, consilia, monita. *Accipiat*, cognoscat, audiat. *Sapiet*, si sapiens, prudens erit. *Vorabit*, properabit, citissime conficiet.

XXIII.

Conqueritur de Cornificio sodali suo, quod se moerore confectum ob mortem carissimi fratris, nullo sermone, vel tenui admodum et jejuno solatus esset.

Male est, Cornifici, tuo Catullo:
Male est, mehercule, et laboriose,

V. 1. *Male est*, male se habet tuus Catullus. *Cornifici*. Cornificius hic poeta fuit, elegiarum scriptor, cujus meminit Ovidius l. 2, Trist. Hunc adversarium Virgilii, ejusque laudum obtrectatorem fuisse ferunt, *Vulp. Et laboriose*, ital. *è travagliato; è oppresso dal duolo.*

Et magis magis in dies et horas;
Quem tu, quod minimum, facillimumque est
Qua solatus es adlocutione?
Irascor tibi. Sic meos amores?
Paulum quidlibet adlocutionis
Moestius lacrymis Simonideis.

V. 3. *Et magis, magis*, ital. *e vieppiù sta male di giorno in giorno, d'ora in ora. Quem tu*, cui tu quodnam solatium attulisti tuo alloquio? *Quod minimum*, quod levissimum erat, res parvi momenti. *Facillimumque*, et minimo pretio constabat, factu facillimum erat. Nihil enim facilius, quam solari amicos male habentes, quod nullo fit incommodo.

V. 6. *Sic meos amores?* scil. contemnis. Siccine amorem meum parvi facis, ut mihi in tantis miseriis posito brevem aliquam allocutionem, scil. carmen consolatorium negare non verearis? *Paulum*, ital. *qualunque conforto, per piccolo che fosse, anche più gramo*, flebilibus versibus Simonidis, satis erat. *Quidlibet.* Subaudi *satis fuerat.* Dum haec lego, videor mihi audire lacrymantem hominem, cujus oratio frequenti singultu ac gemitu interrumpatur, *Vulp. Simonideis.* Simonides unus e novem poetis Lyricis, qui apud graecos floruerunt, in rebus lugubribus carmine describendis mirum in modum excelluit.

XXIV.

Egnatium temere ubique ridentem, quo dentium candorem urinae haustu quaesitum ostentaret, naso suspendit.

Egnatius, quod candidos habet dentes,
Renidet usquequaque, si ad rei ventum est

V. 1. *Renidet. Renidere* proprie videtur esse hilarem et placidum se praebere, ac modico risu labia diducere, ital. *sorridere, sogghignare, tener la bocca in riso*, Vulp. *Si ad rei*, si rei alicujus judicio intersit, tamquam advocatus in reorum subselliis considens, ubi risui nullus est locus.

Subsellium, quum orator excitat fletum,
Renidet ille: seu pii ad rogum filî
Lugetur, orba quum flet unicum mater,
Renidet ille: quidquid est, ubicumque est,
Quodcumque agit, renidet. Hunc habet morbum,
Neque elegantem, ut arbitror, neque urbanum,
Quare monendus es mihi, Egnati:
Si urbanus esses aut Sabinus aut Tiburs,
Aut pastus Umber, aut obesus Etruscus,
Aut Lanuvinus ater atque dentatus,
Aut Transpadanus, ut meos quoque attingam,

V. 3. *Excitat*, miserabili dicendi genere lacrymas commovet, atque omnia permiscet affectibus.

V. 4. *Pii*, amantissimi; cujus in matrem pietatis memoria, majore desiderio et ipsam et alios afficit. *Orba*, desolata. *Unicum*, unici, pignoris mortem. *Quidquid est*, quamcumque ipse personam gerit; vel quidquid novi in urbe acciderit, *Vulp.*

V. 7. *Hunc morbum*, ital. *questo debole* scil. renidendi. *Elegantem*, neque elegantis, neque venusti hominis proprium. *Si urbanus*. Etiam si oriundus esses, ex aliqua earum gentium, quae sibi dentium candorem sine ulla spurcitia comparant; tamen ita frequenter, ac ulla occasione eos retegere, ineptum esset. Quanto igitur id ineptius est quum originem ex ea gente hominum ducas, quae sibi non horret quotidie urina confricare gingivas, ut dentes efficiat candidos? *Muret. Urbanus*, romanus.

V. 10. *Sabinus*, quem nimius risus propterea quoque dedecuisset, quod Sabini tristitia et severitate insignes erant. *Vulp. Tiburs*, illustris fama fuit apud veteres, aeri Tiburtino eam facultatem inesse, quae rebus candorem conciliare posset. Fortasse igitur Tiburtinorum mentionem injicit, quod candidos dentes haberent. *Idem. Pastus Umber*: ex emendatione Vosii; hoc est pinguis, bene saginatus, voluptatibus deditus, *passuto*, *pingue*.

V. 11. *Obesus*, pinguis; e copiosis videlicet frequentibusque sacrificiorum epulis, quibus ea gens plurimum dedita fuisse dicitur. *Muret. Lanuvinus ater*, niger, atro colore, et praegrandibus dentibus. Lanuvium Latii oppidum ad viam Appiam. *Transpadanus*; ex iis qui trans Padum habitant; quod transpadanos communi nomine appellabant Romani.

V. 13. *Ut meos*, Verona enim Catulli patria transpadanus est.

Aut quilibet, qui puriter lavit dentes;
Tamen renidere usquequaque te nollem:
Nam risu inepto res ineptior nulla est.
Nunc Celtiber es Celtiberia in terra,
Quod quisque minxit, hoc solet sibi mane
Dentem atque russam defricare gingivam;
Ut quo iste veste expolitior dens est.
Hoc te amplius bibisse praedicet loti.

V. 14. *Quilibet*, quivis alius, qui pure polite, non lotio, ut Hispani, sed aqua simplici, aut vino lavat dentes. *Lavit*, pro *lavat*, a lavere, quod apud Virgilium, Horatium, et alios occurrit. *Usquequaque*, quocumque in loco. *Nunc.* Jam vero quum Celtiber sis, in Celtiberia regione natus, ubi unusquisque mane solet sibi dentes abstergere et rubentes gingivas eo lotio, quod minxit: renidendo facis, ut quanto expolitiores sint illi tui dentes, tanto plus urinae te bibisse demonstrent. Celtiberi, Hispaniae populi ad Iberum flumen siti: *Aragoneis. Celtiberia in terra* dictum est ut terra Africa, terra Hispania, terra Campania, Vulp. *Russam*, rubentem.

XXV.

Ravido cuidam, si pergat sibi molestiam offerre, jamborum acerbitate insolentiam ejus ulturum minatur.

Quaenam te mala mens, miselle Ravide?
Agit praecipitem in meos iambos?

V. 1. *Mala mens*, insania, mentis perversitas, perversum consilium. *Ravide*, Versus hypermeter, cujus postrema syllaba eliditur a vocali unde incipit versus qui proxime sequitur, *Vulp. Agit*, impellit, ut praeceps in meorum versuum aciem incurras; ut in odium, meamque offensionem irruas.

Quis Deus tibi non bene advocatus
Vecordem parat excitare rixam?
Anne ut pervenias in ora volgi?
Quid vis? qua lubet esse notus optas?
Eris: quandoquidem molestus usque
Cum longa mihi pergis esse poena.

V. 3. *Non bene advocatus*, non rite invocatus; adeoque tibi iratus. A Diis enim iratis mala consilia immitti putabant. *Vecordem*, imparem movere contentionem, in qua tibi succumbere necesse fuerit. *Parat*, vult te, tibi suadet.

V. 5. *Pervenias in ora volgi*, antiq. pro *vulgi*. Ut meis versibus traductus ad infamiam, nobilis et decantatus evadas? *Muret.* An hoc facis, ut vulgus de te loquatur? *Quid vis?* quid cupis, quid postulas? *Qua lubet*, quacumque ratione, vel per famam, vel per infamiam.

V. 8. *Cum longa poena*, sempiterna, diu duratura. Tamdiu enim ab hominibus derideberis, tuaeque temeritatis poenas dabis, quamdiu mea in te carmina legentur: ital. *a costo di sostenere una lunga pena.*

XXVI.

Fundo suo gratias agit, in quo gravedinem e frigidissima Sextii oratione contractam, vacatione a negotiis, accurataque victus ratione depulerat.

O Funde noster, seu Sabine, seu Tiburs,
Nam te esse Tiburtem autumant, quibus non est

V. 1. *Seu Sabine.* Erat videlicet fundus hic in utriusque regionis confinio: ideoque, utrius esset, ambigebatur. *Muret. Quibus non est cordi* Tiburtinae regionis summa amoenitas fuit: itaque magno in pretio erant Tiburtina praedia, quo fit ut Catullus, fundum suum dicat ab iis qui sibi gratificari velint, Tiburtem: Sabinum ab aliis nominari; ad dignitatem enim fundi putabat pertinere, ut Tiburs potius, quam Sabinus, diceretur, *Id.*

Cordis Catullum laedere : at quibus cordi est,
Quovis Sabinum pignore esse contendunt.
Sed seu Sabine, sive verius Tiburs,
Fui libenter in tua suburbana
Villa, malamque pectore expuli tussim :
Non immerenti quam mihi meus venter,
Dum sumtuosas appeto, dedit coenas.
Nam Sextianus dum volo esse conviva,
Orationem in Antium petitorem
Plenam veneni; et pestilentiae legit.
Hic me gravedo frigida et frequens tussis
Quassavit, usquedum in tuum sinum fugi,
Et me recuravi otioque, et urtica.

V. 3. *At quibus* ii, quibus placet illum offendere. *Contendunt*, sponsionem facere parati sunt, deposita quavis pecuniae summa, nisi, o Funde, Sabinus sis, *Vulp. Villa suburbana*, rustica domo non procul ab urbe; Ital. *casino di campagna. Malamque*, molestaque gravedine (ital. *catarro, arresto*) pectus exoneravi.

V. 8. *Non immerenti*, mihi merenti non sine mea culpa. *Venter*, mea edacitas, et exquisitiorum epularum appetitus, *Vulp. Sumtuosas*, exquisitas, lautas. *Dedit* attulit. *Coenas*, dapes, mensam lautam. *Sextianus*, dum apud Sextium coenare cupio. *Vulp.*

V. 11. *Petitorem*. Existimat Vossius Antium istum fuisse C. Antium Restionem, qui legem tulit sumtuariam, et qui proscriptus a triumviris anno U. C. 711. mira servi fidelitate evasit, testibus Macrobio et Appiano Alexandrino. *Petitor* porro dicebatur qui in veste candida magistratum a populo petebat, *Vulp.* Fortasse hic idem est ac competitor.

V. 12. *Plenam veneni*, rabiei, venenosae criminationis, ac conviciorum. *Parthenius*. Ineptissimam, et cicuta frigidiorem, quae convivas omnes, tamquam pestilenti sidere afflatos, vel occidere possit, *Vulp. Legit*, recitavit. *Gravedo* ital. *raffreddamento di testa, distillazione, catarro, corizza. Frigida*, a frigore orta, scil. a frigida Sextii oratione. Gravedo, ait Celsus, nares claudit, vocem obtundit, tussim siccam movet. *Quassavit* concussit, donec confugi. *Recuravi*, curavi. *Otio*, quiete. *Urtica*, hoc olus in tussi utiliter sumi narrat Plinius lib. 22. cap. 15. Nat. Hist *Vulp.*

Quare refectus maximas tibi grates
Ago, meum quod non es ulta peccatum.
Nec deprecor jam, si nefaria scripta
Sexti recepso, quin gracedinem, et tussim
Non mi, sed ipsi Sextio ferat frigus,
Qui tunc vocat me, quum malum legit librum.

V. 16. *Refectus*, recreatus, sanatus. *Meum peccatum*; quod temere me adduci passus sim, ut lautioris coenae caussa hominem stultum adirem, qui pene me perderet et enecaret stultissimae orationis praelectione. *Non es ulta*, scil. o Villa. *Deprecor*, recuso. *Nefaria*, exsecranda, pestifera. *Recepso*, antiquo pro *recepero*. Nec recuso, quin, si rursus auditurus sim ineptas Sextii orationes, frigus scil orationis afferat gravedinem et tussim; non tamen mihi, sed Sextio ipsi, qui etc.

XXVII.

Iturus in Asiam proprie dictam Phrygiae majori ac Bithyniae vale dicit.

Jam ver egelidos refert tepores,
Jam caeli furor aequinoctialis
Jucundis Zephyri silescit auris.
Liquantur Phrygii, Catulle, campi,
Nicaeaeque ager uber aestuosae.

V. 1. *Egelidos*, moderatos illos calores, *Muret*. Tepidam tempestatem reducit. *Furor*, furentes venti, qui sub Aequinoctium vernum flare solent vehementius: qualis est Subsolanus, sive Apeliotes, spirans ab oriente Aequinoctiali. *Jucundis*, blandis flatibus zephyri; zephyro ab occasu Aequinoctiali blande spirante, conticescit.

V. 4. *Phrygii*. Aetate Catulli Bithynia erat pars Phrygiae majoris. In Bithyniam vero profectus erat Catullus, Memmium praetorem secutus, *Vulp. Nicaeae*, metropoli Bithyniae, ad Ascanium lacum, circumjacet magna planities, et admodum fecunda, sed per aestatem minus salubris, ex Strab. apud Vulp. *Ager uber*, fertile solum fervidae Nicaeae, ubi aestate, Vossio teste, magni calores erant.

Ad claras Asiae volemus urbes.
Jam mens praetrepidans avet vagari;
Jam laeti studio pedes vigescunt.
O dulces comitum valete coetus,
Longe quos simul a domo profectos,
Diverse variae viae reportant.

V. 6. *Claras*, insignes, nobiles. *Asiae*. De Asia Romanis hoc nomine proprie dicta, quae Hellespontum, Aeolidem, Ioniam, Cariam, Lydiam, Phrygiam minorem comprehendebat potissimum Catullus loqui videtur. Nobiliores Asiae civitates commemorat Cic. Agrar. 2, c. 12. scil. Pergamum, Smyrnam, Tralles, Ephesum, Miletum, Cyzicum, ex Vulp. *Ad claras urbes*, Trojam inter ceteras; quo ad inferias fratri solvendas provectus est, *Muret*. *Volemus*. Navi enim in Asiam proficisci cogitabat poeta. De terrestri tamen itinere Cic. pro Sextio c. 4. dixit. *Ad urbem . . . advolavit*, ex Vulp. *Praetrepidans*, festinans, morae impatiens, *Vulp*. *Pedes*. Jam pedes mei prae desiderio, et voluptate in Asiam immigrandi gestientes, vim capiunt. *Coetus*, ital. *brigate*.

V. 12. *Diverse*: Diverse veniunt qui non una eamdemque via iter faciunt.

XXVIII.

M. Tullio Ciceroni gratias agit; et quanto ipse se omnibus poetis inferiorem fatetur, tanto, illum omnes oratores eloquentia superare ait.

Disertissime Romuli nepotum
Quot sunt, quotque fuere; Marce Tulli,
Quotque post aliis erunt in annis;
Gratias tibi maximas Catullus
Tanto pessimus omnium poeta,
Quanto tu optimus omnium patronus.

V. 1. *Nepotum*, inter posteros Romuli; Romanorum omnium eloquentissime. *Post aliis*, aliis annis post hunc futuris. *Patronus*, orator.

XXIX.

Ad Licinium Calvum sodalem suum, poetam et oratorem egregium scribit, se ita familiaritatem et convictum ejus deperire, ut aegre admodum ab eo divelli possit.

Hesterno, Licini, die otiosi
Multum lusimus in meis tabellis:
Ut convenerat esse; delicatos
Scribens versiculos uterque nostrum,
Ludebat numero modo huc, modo illuc,
Reddens mutua per jocum, atque vinum.
Atque illinc abii, tuo lepore
Incensus, Licini, facetiisque,
Ut nec me miserum cibus juvaret,
Nec somnus tegeret quiete ocellos:
Sed toto indomitus furore lecto
Versarer; cupiens videre lucem,
Ut tecum loquerer, simulque ut essem.

V. 1. *Otiosi*, ital. *trovandoci disoccupati*. *Lusimus*, ital. *ci divertimmo a scrivere*; per ludum scripsimus, notavimus multa in meis pugillaribus ligneis, sive ceratis tabulis. *Ut convenerat*, in eo loco, ad quem alter alteri condixeramus. *Ut*, pro *ubi*, *Vulp*. ital. *dove eravamo restati in appuntamento di trovarci*.

V. 3. *Delicatos*, versus venustos, deliciarum plenos ambo scribentes delectabamur vario carminis genere (ital. *metro*) alter alteri respondentes jocando, bibendo, ital. *tra lo scherzare, e il bere*.

V. 6. *Atque*, sed ego illinc discessi. *Lepore incensus*, verborum venustate et urbanitate captus, et inlectus: ital. *dalla tua grazia, dalle tue maniere gentili*. *Tegeret*, clauderet. *Quiete*, ital. *in calma, in pace*. *Indomitus*, non domitus a somno, ob furorem, sive animi aestum, quo jactabar, *Vulp*. Inquietus ob animi aestum, per totum lectum agitarer. *Lucem*, diem, exoptans lucescere. *Simul*, tecum.

At defessa membra postquam
Semimortua lectulo jacebant,
Hoc jucunde, tibi poema feci,
Ex quo perspiceres meum dolorem.
Nunc audax, cave, sis; precesque nostras,
Oramus, cave despuas, ocelle,
Ne poenas Nemesis reposcat a te:
Est vehemens Dea; laedere hanc caveto.

V. 14. *Labore*, ital. *per la smania* , propter illam agitationem dormiendique difficultatem, *Muret. Semimortua*, prae lassitudine scil. pene semimortua tandem quieverunt. *Jucunde*, dulcis amice. *Poema*, hoc versus. *Dolorem*, quem scil. ex absentia tua conceperam, *Vulp. Audax sis* , Noli superbire, leporis et virtutum tuarum tibi conscius. *Idem.*

V. 15. *Precesque*: quum aliquid a te expectemus, maxime vero jucundissimum congressum tuum, *Vulp. Despuas*, contemnas, pro nihilo habeas, *Idem. Ocelle*. Ita saepe vocabant eos, quibus blandiebantur, *Muret.* scil. amice suavissime *Nemesis*. Haec enim Dea fastum et arrogantiam punire credebatur. *Muret.* eaque Rhamnunte Atticae regionis pago , templum habebat celeberrimum. Hinc appellatur Rhamnusia Virgo. *Vehemens*, ital. *stizzosa*, severa, acerba, gravis. Duae primae sillabae in unam coalescunt.

XXX.

Nonium Strumam , et P. Vatinium , improbos homines , curulem magistratum consecutos vehementer indignatur.

Quid est, Catulle, quod moraris emori?
Sella in curuli Struma Nonius sedet;

V. 1. *Quid est*, quid tibi caussae est, quare cunctaris mori potius, quam ista spectacula videas? *Sella in curuli sedet.* Praetor puta, vel Aedilis : non certe Consul. Sella enim curulis majorum magistratuum, videlicet Consulum, Praetorem, Aedilium , non plebejorum quidem, sed qui de patribus creati fuissent. *Vulp. Struma* , Tumorem quemdam cervicis, et aliarum etiam corporis partium, in quo corpus et sanguis colligitur , veteres medici *strumam* appellant. Primus igitur e gente Nonia , cui Struma cognomen a majoribus accepisse videtur , *Vulp.*

Per consulatum pejerat Vatinius.
Quid est, Catulle, quid moraris emori?

V. 3. *Per consulatum*. Jurabant veteres per ea, quae magno aestimabant, et carissima habebant. Mirum porro non est, Vatinium pejerare solitum per consulatum suum, in quo scil. nullam divinitatem esse existimaret; *Vulp* Falso jurat. *Vatinius*, qui fuit Consul cum Q. Fusio Caleno, anno ab U. C. 707. satis notus Ciceronis oratione, quae in eum extat.

XXXI.

De quodam, cui mirum videbatur, Licinium Calvum, pusillum homuncionem, eloquentia excellere.

Risi nescio quem modo in corona,
Qui, quum mirifico Vatiniana
Meus crimina Calcus explicasset,
Admirans ait haec manusque tollens;
Dii magni, salaputium disertum!

V. 1. *Nescio quem*, nescio cujus caussa. *In cornua*. Ital. vocabunt multitudinem, quae in forum confluebat, *Muret.* ital. *udienza*, in coetu, in fori, populi frequentia. *Mirifice Vatiniana*. Fuit enim Calvus orator eloquentissimus, et in accusando praesertim vehementissimus. Accusavit porro Vatinium de ambitu. *Vulp.*

V. 3. *Meus Calvus.* Quo familiarissime utor, quem aeque ac me ipsum diligo, *Vulp. Explicasset*, exposuisset. *Admirans*, stupens. *Tollens*, gestus admirantium. *Muret. Salaputium*. Festivissima conclusio hujus epigrammatis tota versatur in hac voce. Nam quum esset Calvus staturae perexiguae, ille de corona, qui admiratus est Calvum recitantem, revera ac serio putavit Calvum esse puerum, non virum. Itaque erupit in exclamationem, in quam solebant nutrices, quum plausu pueros exciperent: o festivissimum, o lepidissimum Salaputium, ut sensus sis: Dii magni quanta eloquentia latet in hoc pusillo corpusculo; ital *bamboccio*. Hanc hujus loci veram esse lectionem docet M. Seneca Controversia III, 19.

XXXII.

Ad Camerium ait, se illum quaeritando esse jam defessum, rogatque, ubi tandem locorum convenire velit.

Oramus, si forte non molestum est,
Demonstres ubi sint tuae tenebrae.
Te quaesivimus in minore campo
Te in circo, te in omnibus libellis,
Te in templo superi Jovis sacrato,
In Magni simul ambulatione.
Sed te jam ferre Herculei labor est;

V. 1. *Oramus si forte.* Catullus hoc Epigrammate contra leges hendecasyllabi studiose numeros graves, ac tardius incedentes consectatur, saepiusque spondaeum pro dactylo in secunda sede collocat: nimiam videlicet lassitudinem, quam circumeundo contraxerat, ipso genere versus exprimere cupiens, *Vulp. Tenebrae*, latebrae scil. latibula quibus in locis abditus lateas, significes.

V. 3. *Minore campo.* Campum minorem Catullus fortasse vocat Martium campum prope Tiberim, ubi juventus Romana vario ludorum genere exercebatur, comparatum scil. cum campo comitiorum, in quem populus ad suffragia ferenda conveniebat. Hunc enim oportuit appellari majorem, quod in altero ludicra, in hoc seria gererentur, *Vulp.* Alii Coelium campum designari volunt, in quo Circenses fieri solebant, quum Campus Martius diluvio Tiberis flagrabat. *In Circo*, in Circo scil. maximo, quem Tarquinius Priscus extruxit. *Te in*, litera e non eliditur secundo loco, sed corripitur.

V. 4. *Libellis*, in omnibus tabernis librariis, ubi prostant libri venales. *Vulp. In templo*, in templo Jovis Capitolini. *Sacrato Jovis*, pro *sacrato Jovi*, more Graecorum, *Idem. In Magni.* In porticu Pompejana, quam condidit Cn. Pompejus magnus, *Idem. Jam ferre*, te diutius sustinere, tolerare, ardua difficilis res est. *Herculei*, pro *Herculis*, quemadmodum *Achillei, Ulyxei*, pro Achillis, *Vulp.*

Tanto te in fastu negas, amice,
Dic nobis ubi sis futurus: ede
Audacter committe, crede luci.
Si linguam clauso tenes in ore.
Fructus projicies amori omnes.
Non custos si fingar illum cretum,
Non si Pegaseo ferar volatu
Non Ladas si ego, pennipesve Perseus,
Non Rhesi niveae citaeque bigae:

V. 8. *Te in fastu*, tanta cum arrogantia, cum aliorum contemptione! Et sic est epiphonema. *In*, vel redundat, vel usurpatur pro *cum*, ut monet *Vulp. Negas*, celas. *Ubi futurus sis*, quo in loco te conveniri velis. *Esse*, pro *morari*, *degere*, *Vulp. Audacter*, libere hoc indica; manifesta, in apertum profer, palam fac. *Tenes*, contines. *Projicies*, abjicies perdes omnem fructum tui in me amoris.

V. 14. *Non si*. Importunas Camerii latebras iterum jocose arguit, significans sibi nullas tam magnas vires, quas in quaerendo Camerio non consumeret, *Parthen. Non*. Subaudiendum est, te invenirem, tantum itineris sine lassitudine obire possem, aut aliquid tale. *Si fingar*, etsi fierem alter Cretensium custos. *Custos Cretum*. Talus nimirum gigas, quem aereo corpore fuisse fabulae memorant, dono vero datum a Jove raptae Europae, et in Cretam avectae qui ejus insulae custos foret, terque die totam circumiret. Porro custodes circumibant loca, quae ipsis custodienda data fuerant, unde circitores etiam appellati, *Vulp.*

V. 14. *Pegaseo*, non si raperer Pegasi volatu; non si me ferret Pegasus alatus equus *Non Ladas*, non si alter Ladas essem nobilissimus ille ac velocissimus cursor, in Olympico certamine saepe victor, qui tanta pedum velocitate fuisse traditur, ut nulla vestigiorum indicia in arena relinqueret. *Perseus*, qui, Polydecte (a quo educatus fuerat) jubente, ad occidendam Medusam iturus, a Mercurio talaria et Pegasum obtinuit. *Pennipes*, id est, pennas, sive alas pedibus gestans.

V. 16. *Rhesi*. Scil. non si mihi sint. Erant autem Rhesi, regis Tracum equi ex descriptione Hom. Iliad. X. 435. Fabulam horum equorum Trojanis fatalium; ad locum Homeri memorat Eustath. et Scol. Itaque haec Poetae mens videtur; si mihi essent ad currum juncti nivei citique Rhesi equi; non tamen tantum itineris sine las-

Adde huc plumipedes, volatilesque,
Ventorumque simul require cursum,
Quos junctos, Cameri, mihi dicares,
Defessus tamen omnibus medullis,
Et multis languoribus peresus
Essem, te, mi amice, quaeritando.

situdine obire possem. *Plumipedes*, subaudi *equos*. Potest tamen vim substantivi obtinere, ut *sonipes*, *quadrupes*, et id genus alia, *Vulp.* Adjunge his omnibus equos alatis pedibus et volantes; quaere simul ventorum velocitatem, scil. rapidos ventos (quos alatos fingunt poetae) ut eos mihi, si fieri posset, currui junctos dares. *Dicares*, ad usum concederes.

V. 20. *Defessus*, defatigatus essem etiam omnibus omnium ossium medullis, vel visceribus totis, tui requirendi caussa; ac prae gravi languore absumptus essem.

XXXIII.

Hoc nuptiali Carmine (quod sane elegantissimum est) poeta quum amico Manlio Juliam Aurunculejam uxorem ducenti gratum facere studet, tum ea quae ad veteres connubiorum ritus cognoscendos maxime pertinent, miro quodam lepore persequitur.

Collis o Heliconei
Cultor; Uraniae genus,
Qui rapis teneram ad virum
Virginem, o Hymenaee Hymen,
Hymen o Hymenaee:

V. 2. *Cultor*, habitator, incola, *Vulp. Uraniae genus*, proles Uraniae, quem ex Bacco peperit. *Rapis.* Rapi simulatur virgo, ait Festus Pompejus, ex gremio matris, aut si ea non est, ex proxima necessitudine, cum ad virum trahitur, pudoris, qui decet virgines, declarandi caussa *Hymen*, nuptiarum praeses. Haec cani solebant, quum in domum viri nova nupta deduceretur. *Muret.*

Cinge tempora floribus
Suaveolentis amaraci.
Flammeum cape: laetus huc
Huc, veni niveo gerens
Luteum pede soccum:
Excitusque hilari die,
Nuptialia concinens
Voce carmina tinnula,
Pelle humum pedibus, manu
Pineam quate taedam.
Namque Julia Manlio,
Qualis Idalium colens
Venit ad Phrygium Venus
Judicem, bona cum bona
Nubit alite virgo;

V. 6. *Cinge*, Redimitus floribus Deus hic et facem gestans pingebatur. *Muret. Flammeum.* Erat flammeum, tenuis pannus, sive velamen lutei coloris, quo novae nuptae caput obtegebatur ad pudorem indicandum. *Luteum* Colorem hunc fuisse in nuptiis usitatum, auctor est Plinius, *Muret.*

V. 11. *Excitus*, evocatus. *Nuptialia*: quod Graeci Epithalamion, latini nuptiale carmen dicunt. *Tinnula*, acuta resonante, sonitum aeris quodammodo referente. *Pelle humum*, pulsa terram pedibus, hoc est, salta. *Pineam.* Facem ex pinu in nuptiis adhiberi solitam ostendunt Virg. l. 7. Ovid. 2. Fast. et Nonius Marcellus in verbo *Fax*, alibi. Alii legunt *spineam.* E spina enim alba nuptiales taedas fieri solitas Festus et Plinius testantur, quod in Sabinarum raptu, talibus taedis pastores usi erant. Facibus utebantur veteres in nuptiis, quia sub noctem conjugia inibant. Praeferebantur per pueros matrimos et patrimos. *Quate.* Ut ignem taeda conciperet, ac largius lumen diffunderet, manu jactabatur.

V. 17. *Qualis.* Splendidissima Juliae cum divina Veneris forma qua olim ad Paridem formae judicium subitura, venit, comparatio, *Vulp. Bona virgo*, pudica, vel formosa. *Bona alite*, fausta; felici augurio concordiae cum Manlio.

Floridis velut enitens
Myrtus Asia ramulis,
Quos Hamadryades deae
Ludicrum sibi roscido
Nutriunt humore.
Quare age, hunc aditum ferens
Perge linquere Thespiae
Rupis Aonios specus,
Lympha quos super inrigat
Frigerans Aganippe ·
Ac domum dominam voca
Conjugis cupidam novi.

V. 21. *Floridis.* Elegantissima comparatione exornat pulcritudinem Juliae, similem ipsam esse dicens myrto tenellae, quam paullatim assurgentem nymphae summo studio enutriunt. *Muret. Velut*, qualis myrtus Asiatica, qua in regione arbor haec felicissime provenit. *Enitens*, conspicua, pulchra visu ob floridos ramulos. *Ludicrum*, ad oblectamentum, et significat non ludi genus aliquod, sed locum ipsum lusui aptum, et myrtis coronatum: videlicet Nymphaeum, seu balneum et lavacrum nympharum Hamadryadum, quas hujusmodi arbusculis mirifice delectari, fabulosa existimavit antiquitas, *Vulp. Nutriunt*, quibus alimentum praebent iis locis lusui aptis, ital. *da diporto.*

V. 26. *Aditum ferens*, huc veniens Hymenaeum hortatur, ut Helicone relicto, ad Juliae nuptias veniat, iisque adsit. *Thespiae rupis*, montis Heliconii. Thespiae oppidum est Heliconi proximum. Hic pro Helicone ipso accipitur. *Specus*, antra Musarum. *Lympha quos*, e quorum forniceae lateribus grandes depluunt guttae, quae collectae fontem Aganippen efficiunt, *Vulp. Super*, desuper. *Frigerans*, frigida.

V. 31. *Dominam*, matronam videlicet, matremfamilias, a viro coemptam, quemadmodum et mulier dote data vicissim virum coemebat: qua ratione justae ac legitimae nuptiae a Quiritibus contrahebantur. De his plura veteres Jurisconsulti, *Vulp.* Constat veteri lege, nubentes tres asses ad maritum venientes solere pervehere, atque unum, quem manu tenerent emendi causa marito dare: hinc *domina* uxor dicta videtur, quasi mulier sibi emat virum. Hinc Catullus, *voca dominam*, quasi, voca eam, quae materfamilias sit futura, *Servius. Cupidam*, quae suspirat novum sponsum.

Mentem amore revinciens,
Ut tenax hedera huc et huc
Arborem implicat errans,
Vos item simul integrae
Virgines, quibus advenit
Par dies, agite, in modum
Dicite; o Hymenaee Hymen,
Hymen o Hymenaee:
Quis Deus magis ah magis
Est petendus amantibus?
Quem colent homines magis
Caelitum? o Hymenaee Hymen,
Hymen o Hymenaee.
Nulla quit sine te domus
Liberos dare, nec parens
Stirpe jungier, at potest,
Te volente; quis huic Deo
Compararier ausit?

V. 33. *Revinciens*, ejus animum amoris vinculis implicans, adstringens, quemadmodum inhaerens hedera hac, illac serpens arborem amplectitur, et innectit

V 36. *Vos item*, vos etiam puellae innuptae, quibus instat similis dies nuptiarum, quae nunc novam nuptam comitamini, in numerum, ad mensuram, ital. *con ritmo musicale*, canite. Pueri et puellae in nuptiis adhiberi solebant, ex quibus chorus constabat.

V. 42. *Petendus*, quis alius Deus magis, quam Hymenaeus invocandus, vel expetendus est amantibus? quem Deorum pluris facient homines, majore dignum veneratione censebunt?

V. 46. *Nulla domus*, nulla familia potest veros, legitimos filios in lucem producere, ital *aver successione legittima*; nec parentis genus, nomen, jus propagari, ital. *continuarsi*, in successione prolis. Filii enim non legitime concepti neque patris genus, neque hereditatem sequuntur. *Stirpe jungier*, id est nec trasmittere ad liberos hereditatem; quia ex non justo conjugio susceptus, est peregrinae conditionis. Peregrinus autem nihil capit de bonis civis romani. At suus heres, quum immiscet se hereditati, continuat jus patris sui potius, quam patri succedit, *Scalig* *Te volente*, te favente, potest stirpe jungier scil. descendentibus devinciri.

Quae tuis careat sacris,
Non queat dare praesides
Terra finibus: at queat,
Te volente; quis huic deo
Compararier ausit?
Claustra pandite januae,
Virgo adest. Viden' ut faces
Spleudidas quatiunt comas?
Sed moraris, abit dies,
Prodeas, nova nupta.
Tardat ingenuus pudor
Quae tamen magis audiens
Flet, quod ire necesse sit,
Sed moraris, abit dies,
Prodeas, nova nupta,

V. 51. *Quae tuis*, populus, civitas, cui tua sacra sint interdicta, religiosi tui cultus adempti sint, non potest dare magistratus, qui provinciis praesint; poterit tamen dare, si tu velis. Solebant olim Romani populis, quibuscum pacem haberent, aut bellum gererent, prout bene vel male de ipsis meriti fuissent, jus connubiorum concedere, vel denegare, ut apud Livium videre est lib. 9. Videtur igitur Catullus hosce populos qui justi matrimonii contrahendi potestate identidem spoliabantur, hic significare voluisse, qui propterea magistratus dare non poterant, quibus una cum connubiis spoliabantur, *ex Vulp.*

V. 56. *Claustra*, repagula, seras, quibus ostium occluditur, auferte. Domesticos alloquitur, ut fores pandant, ut nova sponsa egrediatur mariti domum commigratura. *Adest*, en venit puella. *Faces quatiunt comas*. Summam flammae apicem *comam* appellat. Quinque faces a pueris ante novam nuptam gestari solitas, auctor est Plutarchus quaest. 2. quae, quum a pueris agitarentur, lucentes comas vibrabant. *Moraris*. Sponsae moram increpat. At tu cunctaris, et dies properat; domo egredere, nec diutius cuncteris.

V. 61 *Tardat*. Honesta, ingenita verecundia eam retardat; quae tandem audiens, necesse sibi esse ad virum transire, magis ac magis solvitur in lacrymas. *Tamen*, pro *tandem*, quemadmodum usurpat Virgil. Ecloga 1. v. 28.

Flere desine. Non tibi,
Aurunculeja, periculum est,
Ne qua femina pulchrior
Clarum ab Oceano diem
Viderit venientem.
Talis in vario solet
Divitis domini hortulo
Stare flos hyacinthinus,
Sed moraris, abit dies,
Prodeas, nova nupta.
Prodeas, nova nupta, sis:
Jam videtur, et audias
Nostra verba. Viden'? faces
Aureas quatiunt comas;
Prodeas, nova nupta.

V. 67. ***Aurunculeja*** Aurunculeji Romae nobiles luerunt, et curules magistratus non semel gesserunt. Aurunculeja vocatur, e gente Cottarum, quorum cognomen Aurunculejus fuit. Vid. Caes. lib. 2. de Bello Gall. c. 11. *Vulp.* ***Periculum est***: timere non debes, ne qua puella te formosior viderit clarum solem e mari surgentem. ***Periculum est.*** Blanditur his verbis puellae nubenti, dicens, eam pulchritudini suae confidere posse, quae reliquarum mulierum formae, hoc praesertim die nuptiarum, longe antecellat; idque ipsam pro certo habere oportere. *Vulp.*

V. 71. ***Talis.*** Talis in horto variis floribus ornato, ad divitem herum pertinente, stare solet erecto caule hyacinthus. Dicit ***stare***, scil. et vividus; quod floribus accidit primo mane, antequam solis calore exurantur, aut pluvia graventur, aut quocumque modo succisi marcescant: tunc enim paullatim inclinantur.

V. 56. ***Prodeas***, egredere, in publicum prodi, o nova nupta. ***Sis*** si vis, siquidem tibi placet: ecce jam apparet: et audias nostra verba: videsne? Faces vibrant lucentes comas: in publicum prodi, o nova nupta. ***Jam videtur.*** Haec dici a Catullo verbis optantis novam nuptam in publicum prodire, jampridem acutissime Josephus Scaliger animadvertit. Eodem pertinent ea quae sequuntur: ***viden'? faces aureas quatiunt comas***, *Vulp.*

Tollite, o pueri, faces;
Flammeum videor venire,
Ite, coccinite in modum:
Io Hymen Hymenaee io,
Io Hymen Hymenaee.
En tibi domus ut potens,
Et beata viri tui,
Quo tibicine serviat
Io Hymen Hymenaee io,
Io Hymen Hymenaee.
Usque dum tremulum movens
Cana tempus anilitas,
Omnia omnibus annuit.
Io Hymen Hymenaee io,
Io Hymen Hymenaee.

V. 81. *Tollite* Attollite taedas, o pueri. Videre videor apparere luteum velum, Properate, canite in numerum: o Hymenaee etc. *Tollite* pro attollite, extollite. Monentur pueri, ut, sponsa jam veniente, faces attollant, et versus de more canant. *Flammeum*, Velum tenue lutei coloris, quo novae nuptae faciem obtegebant. Hic mos ab Hebraeis usque derivatus videtur. Vid. Genes cap. 20. v. 16. *Vulp. Videor venire*, ita legit, et lectionem hanc defendit Jos. Scaliger: alii habent *videre*, pro *venire*. *Io*, vox gestientium prae gaudio et plaudentium, ital. *viva*.

V. 86. *Domus potens* h. e. nobilitate praepollens, et insignis, *beata*, opulenta, divitiarum copia abundans. *Quo tibicine serviat*; hoc est quo quasi fulcro domus nitens pateat tibi dominae, et matrisfamilias, usque dum etc. *Tibicen* h. e. columna cui domus incumbit eodem modo ut fulcrum: vel columen translatum videri debet ad eos, in quibus summa rei vertitur. Egregie autem et vere maritus columen, vel Tibicen familiae vocatur. *Tempus*. Adnota *tempus* etiam priore numero pro parte capitis dici, *Muret.* Adde Virgilium lib. 9. Aeneid v. 418. *Anilitas*, senectui mulieris. *Annuit*. Tremore capitis videtur omnibus annuere; quod senibus, praesertim vino madidis, contigere videmus, *Vulp.*

Transfer omine cum bono
Limen aureolos pedes,
Rasilemque subi forem.
Io Hymen Hymenaee io,
Io Hymen Hymenaee.
Torquatus, volo, parvulus
Matris e gremio suae
Porrigens teneras manus,
Dulce rideat ad patrem,
Semihiante labello.
Sit suo similis patri
Manlio, et facile insciis
Noscitetur ab omnibus,
Et pudicitiam suae
Matris indicet ore.

V. 96. *Transfer*. Transmitte, fer trans limen *conjugis tui* (ital. *stendi oltre il limitare, la soglia*) cum fausto augurio venustulos pedes, et politam *ejus* ingredere januam. *Transfer*. Monet Poeta Juliam, ne limen pedibus calcet; sed se trans illud manibus puerorum ferri sinat, eo intacto; ut scilicet invita nubere videatur, nec libenti animo mariti domum ingredi: vel quod novae nuptae religioni ducerent, limen domus Vestae consacratum, pedibus conterere: vel denique ut sagarum et maleficorum superstitiones vitarent, ne forte aliquid magicum limini subesset, cujus vi conjuges laederentur, aut discordiae inter illos existerent. *Vulp*. *Omine cum bono*. Bona enim verba, et auspicata dici oportebat nuptiarum die, *Idem*. *Rasilem*, e ligno affabre polito, *Idem*.

V. 101. *Torquatus*. Cupio ut parvulus Torquatus teneras extendens manus e sinu matris suae blande arrideat patri semi aperto labello, ital. *col labbro socchiuso*. *Torquatus*, Torquatorum familia inter Romanas fuit clarissima, ex quo Manlius, cui Poeta optat, ut Julia puerum pariat.

V. 106. *Sit suo*. Sit *puer* similis patri suo Manlio: et facile ab omnibus *etiam* nescientibus *esse Manlii filium* agnoscatur, et vultu *suo* monstret honestatem matris. *Insciis*, ab iis etiam facile dignoscatur, qui aut a Manlio ductam uxorem, aut sublatum ex ea filium esse ignoraverint, *Vulp*. *Pudicitiam*, pueri vultus similitudinem parentum referens, maternam honestatem testetur.

Talis illius a bona
Matre laus genus approbet,
Qualis unica ab optima
Matre Telemacho manet
Fama Penelopeo;
Claudite ostia, virgines:
Lusimus satis. At, boni
Conjuges, bene vivite,
Vosque Dii faciant, rogo,
Pulchra prole parentes.

V. 114. *Talis.* Talis gloria commendabilem reddat illius *Torquatuli* originem, *in eum* derivata ab honesta genitrice, qualis in aevum perdurat singularis laus Telemachi Penelopes filii, ab honestissima matre *in eum profecta.* Quemadmodum Telemacho ingens fuit gloria ex matris castitate: ita etiam Torquatus sit pudicitia materna commendabilis.

V. 117. *Claudite.* Occludite januam, o virgines. Satis cecinimus. Vos vero, o probi conjuges, sitis felices; et deos rogo ut faciant vos parentes numerosae prolis. *Claudite.* Sermonem convertit poeta ad virgines, quae sponsam ad mariti domum deduxerant, monetque, ut, clausa domus janua, discedant. Vel virgines hic Musae sunt, quas Catullus dimittit, quum satis in hoc condendo carmine illarum opem fuerit expertus, *ex Vulp.*

XXXIV.

Idem fere argumentum est hujus Carminis quod est superioris. In hoc autem illud singulare videri potest, quod scilicet pueri, et innuptae virgines alternis canentes inducantur. Ceterum omnia mel merum, et vere Catulliana.

Juvenes

Vesper adest, juvenes, consurgite vesper Olympo
Expectata diu vix tandem lumina tollit,
Surgere jam tempus, jam pingues liquere mensas:
Jam veniet virgo, jam dicetur Hymenaeus.
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee.

V. 1. *Vesper*. Stella quae vespere oritur, scil. post solis occasum apparet; cujus exortu novae nuptae in virorum domos deducebantur. Lege enim cautum erat, ne nuptiae, nisi noctu, fierent. *Juvenes*, quos novus maritus nuptiarum die convivio excepit; qui ad mensam mecum assidetis. Verba sunt unius e convivis, aequales ad canendum invitatis, *Vulp. Olympo*. Vel caelum intellige, ubi dii sunt; vel Olympum Thessaliae montem, unde sol Graecis occidere, et stellae oriri videbantur; quemadmodum et ex Oeta, *Vulp.*

V. 2. *Lumina*, jubar, lucem longo tempore desideratam. Omnis enim mora longa cupienti. *Tollit*, extollit, exerit, *Idem. Pingues*, lautas, opimas, *Mensas*, intellige nuptialem mensam, quam Graeci perinde ac Romani, jam inclinato in pomeridianum tempus die, in aedibus mariti apponere solebant, cuique assidebant, dum adveniret nova nupta. Occidente vero sole, surgebant convivae, ac sponsae obviam ibant, uno marito, excepto *Vulp. Virgo*, nova nupta. *Dicetur*, cantabitur carmen nuptiale. Ultima syllaba in voce *dicetur* propter sequentem vocem aspiratam producitur.

PUELLAE

Cernitis, innuptae, juvenes ? consurgite contra ;
Nimirum Oetaeos ostendit noctifer ignes.
Sic certe, viden' ut perniciter exsiluere ?
Non temere exsiluere : canent quod visere par est.
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee.

JUVENES

Non facilis nobis, aequales, palma parata est.
Aspicite, innuptae secum ut meditata requirunt.
Non frustra meditantur : habent memorabile quod sit.
Nec mirum : tota penitus quae mente laborent.
Nos alio mentes, alio divisimus aures.
Jure igitur vincemur. Amat victoria curam.
Quare nunc animos saltem committite vestros ;
Dicere jam incipient, jam respondere decebit :
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee.

V. 6. *Cernitis.* Puellae hic canere incipiunt. Est autem ordo syntaxeos: *Innuptae* virgines, cernitisne juvenes nobis obviam prodeuntes? *Vulp. Consurgite*, vicissim et vos consurgite adversus eos. *Nimirum*, certe, enim vero. *Oetaeos:* vel quod ali Oeta Hesperum oriri putarent; vel quod Hespero et Hymenaeo mons Oeta sacer haberetur, ut ex Servio in Virgilium colligitur. *Noctifer*, Hesperus. *Sic certe*, subaudi, *est.*

V. 8. *Perniciter*, celeriter e mensa surrexerunt. *Non temere*, non sine caussa. *Quod visere par est*, canent visu et spectatu digna. *Vossius.*

V. 11. *Aequales*, eadem aetate : o socii, non facile erit nobis vincere. *Requirant*, secum cogitent, in memoriam revocent quae ante summa cura meditatae sunt; ut nobiscum cantu certaturae inter se quaerant, quae singulae excogitarunt. *Memorabile*, memoria prodeundum sit, quod memoratu dignum sit. *Nos alio*, nos aliud mente, aliud auribus agimus ; ad alia mentes, ad alia aures intendimus. Uno enim tempore et quid puellae dicant audimus, et quid respondendum sit, cogitamus; merito itaque vincemur. *Amat*, exigit. Ante certamen adhibenda cura et sollicitudo est, ut ex eo victor discedas. *Committite*, ital. *riunite*, conjungite, componite invicem mentes, et consilia vestra, ut saltem unam tantum rem agamus.

PUELLAE

Hespere, qui caelo fertur crudelior ignis?
Qui natam possis complexu avellere matris,
Complexu matris retinentem avellere natam,
Quid faciant hostes capta crudelius urbe?
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee.

JUVENES

Hespere, qui caelo lucet jucundior ignis
Qui desponsa tua firmes connubia flamma,
Quod pepigere viri, pepigerunt ante parentes,
Nec junxere prius, quam se tuus extulit ardor?
Quid datur a divis felici optatius hora?
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee.

PUELLAE

Hesperus e nobis, aequales, abstulit unam.
Namque tuo adventu vigilat custodia semper.
Nocte latent fures, quos idem saepe revertens,
Hespere, mutato comprendis nomine eosdem.

V. 35. *Caelo fertur*, simul cum caelo. Notu enim caeli sidera omnia rapi, et in gyrum ferri, veteres Physici existimarunt. *Vulp. Qui crudelior*: h. e. quis ignis, quae stella crudelior? *Retinentem*, remorantem, agere se avelli patientem.

V. 25. *Jucundior*, respondent juvenes, nullum esse sidus Hesperi fulgore jucundius, qui exoriens confirmat pacta a parentibus initia, *Muret. Desponsa*, pacta, promissa. *Flamma*, tua luce; quo exoriente nuptiales faces accenduntur. *Quod pepigere*, quam connubiorum pactionem; sensus est; quod connubium mariti, seu sponsi, et sponsorum parentes promiserunt et pepigerunt, nec ratum habuerunt, priusquam Hesperus apparens suum extulerit splendorem: quasi is sit nuptiarum confirmator, *Parthen. Hora*, scil. hac hora.

V. 31. *Aequales.* O sociae ejusdem aetatis. *E nobis*, e nostro coetu. *Adventu*, scilicet te exoriente, o Hespere. *Custodia*, custodes vigiles obeunt vicos. *Mutato* Lucifer enim mane appellatur, quem sero Hesperum vocant. *Comprendis*, deprehendis.

JUVENES

At lubet innuptis fictè te carpere quaestu.
Quid tum si carpunt tacita quem mente requirunt?
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee.

PUELLAE

Ut flos in septis secretus nascitur hortis,
Ignotus pecori, nullo contusus aratro,
Quem mulcent aurae, firmat sol, educat imber:
Multi illum pueri, multae optavere puellae:
Idem quum tenui carptus defloruit ungui,
Nulli illum pueri, nullae optavere puellae:
Sic virgo dum intacta manet, dum cara suis est.
Quum castum amisit polluto corpore florem,
Nec pueris jucunda manet, nec cara puellis.
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee.

JUVENES

Ut vidua in nudo vitis quae nascitur arvo,
Nunquam se exstollit, nunquam mitem educat
uvam;

V. 35. *Ficto quaestu*, simulatis querelis. Non enim ex animo conqueruntur, sed verbis carpunt, scil: ore increpant quod mente explorant. *Quid tum*, quid tum dicetur. *Carpunt*, demant. *Requirunt*, optant.

V. 38. *Ut flos in septis*, clausis, munitis. *Secretus*, seclusus, sepositus. *Contusus*, violatus. *Mulcent*, fovent, blandiuntur. *Firmat*, roborat, vegetum reddit. *Educat*, nutrit. *Carptus*, decerptus tenera manu. *Defloruit*, elanguit. *Dum intacta*, quamdiu innupta manet. *Dum cara*, dum dilecta est suis. *Nec pueris*, quod scil. spem deposuerint ejus conjugium consequendi. *Nec puellis* quod minus deceat virgunculas cum nuptis versari familiariter. Elegantissima comparatio, inquit Muretus, qua contendunt puellae inutiles esse virginibus nuptias.

V. 48. *Ut vidua*. Contraria comparatio, qua contendunt juvenes, nuptiis, *Muret. Vidua*; scil. arbore cui innitantur, destituta. *Nudo*, spoliato arboribus. *Extollit*, assurgit, erigit se. *Educat*, ad maturitatem perducit.

Sed tenerum prono deflectens pondere corpus,
Jam jam contigit summum radice flagellum.
Hanc nulli agricolae, nulli accoluere juvenci:
At si forte eadem est ulmo conjuncta marito,
Multi illam agricolae, multi accoluere juvenci:
Sic virgo: dum intacta manet, dum multa senescit.
Quum par connubium maturo tempore adepta est,
Cara viro magis, et minus est invisa parenti.
At tu ne pugna cum tali conjuge, virgo.
Non aequum est pugnare, pater cui tradidit ipse,
Ipse pater cum matre, quibus parere necesse est
Virginitas non tota tua est: ex parte parentum est:
Tertia pars patri data, pars data tertia matri,
Tertia sola tua est: noli pugnare duobus,
Qui genero sua jura simul cum dote dederunt.
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee.

V. 50. *Prono*, Prono, ad terram inclinante. *Corpus*, truncum palmitem. *Flagellum*, extremum palmitis cacumen; vel extremo cacumine, summo vertice tangit radices, ut sit hypallage. Summae arborum partes *flagellum* appellantur.

V. 52. *Accoluere juvenci*. Nam et colles a Baccho amatos, ubi vites lactiores proveniunt, opera boum indigere, docemur a Columella de Re Rust. l. 2. c. 4. *Vulp. Marito*, ulmo quae tamquam vitis maritus est. *Inculta*, caelebs; subaudi, ab omnibus negligitur. *Quum par*: sed quum conveniens conjugium consecuta est tempore proprio. *Minus invisa*, minus odiosa, molesta. Virgines enim nubiles grave onus parentibus esse solent.

V. 58. *At tu ne pugna*. Concludunt Carmen juvenes, hortanturque novam nuptam, ne cum viro contendat, sed ei obsequatur, parentibus sic jubentibus, qui in generum simul cum dote potestatem jusque suum transmiserunt. *Duobus*, scil. parentibus.

XXXV.

Quum Atys in nemus Cybelae sacrum venisset, magna comitum stipatus manus, furore correptus virilitatem amputavit sibi. Idem fecere ceteri quoque qui cum eo venerant. Tum per aliquod tempus, ut mos sacrorum ferebat, tumultuati obdormierunt. Expergefactus Atys, cum ad se rediisset, coepit lamentari conditionem suam; atque etiam de repetenda patria cogitabat: quum Cibele objecto leone eum ita perterrefecit, ut ab ultimo litore, quo jam processerat, iterum in nemoris opacitatem compulerit, ubi omne reliquum vitae spatium exegit.

Super alta vectus Atys celeris rate maria,
Phrygium nemus citato cupide pede tetigit,
Adiitque opaca silvis redimita loca Deae;
Stimulatus ubi furenti rabiae, vagus animi
Devolvit illa acuta sibi pondera silice.
Itaque ut relicta sensit sibi membra sine viro,

V. 1. ***Alta***, per profundum mare delatus. Atynis fabulam, praeter alios plures, persequuntur Ovidius lib. 4. Fastor. v. 223. et Lactantium lib. 1. Divin. Instit. cap. 17. *Phrygium*, ad eam montis Idae partem, quae Dindymus dicitur, quo conveniebant ii, qui se Berecynthiae Deae consecrarant. *Citato pede*, festinato cursu. ***Adiitque***, accessit ad umbrosa loca Cybelae sacra. ***Arctum*** vocatum fuisse montem Cizicenum, docet Vossius, qui antrum in medio habebat, ubi Magnae Matri et Atyni victimae mactabantur, in eoque specu Cybeles sacellum fuisse.

V. 4. *Stimulatus*, percitus *Vagus animi*, extra se raptus. De furore Corybantium Berecynthiae sacerdotum, nota satis res est. *Devolvit*, demetendo in terram dejecit. *Pondera*, rem obscoenam paucitate verborum innuit potius, quam explicat, *Vulp.* *Silice*, Cultello lapideo, quo utebantur etiam veteres Hebraei. *Vulp.* ***Membra sine viro***, corpus virilitate spoliatum.

Et jam recente terrae sola sanguine maculans,
Niveis citata cepit manibus leve tympanum,
Tympanum, tubam, Cybelle, tua, Mater, initia:
Quatiensque terga tauri teneris cava digitis.
Canere haec suis adorta est tremebunda comitibus:
Agite ite ad alta, Gallae, Cibeles nemora simul
Simul ite, Dindymenae dominae vaga pecora,
Aliena quae petentes, velut exsules, loca,
Sectam meam exsecutae duce me, mihi comites
Rapidum salum tulistis, truculentaque Pelagi,
Et corpus evirastis Veneris nimio odio.
Hilaritate herae citatis erroribus animum.

V. 7. *Terrae sola*, terrae superficiem. *Citata*. Hactenus poeta locutus est de Atyne, ut de mare; nunc incipit de eodem loqui, tamquam de evirato, et in foeminam quodammodo converso. *Tympanum*, instrumentum quo utebantur in sacris Cybebes. *Tubam*, *Cybebe* quia tympanum pro tuba adhibebant, et tubae vicem fungebatur.

V. 9. *Initia* tua mysteria, aut mysteriorum insignia, o magna Deorum mater. *Terga*, corium e tergo bovis detractum, unde tympana fiebant. *Canere haec*, quae sequuntur. *Tremebunda*, artubus trementibus, *Vulp.* ob furorem quo agitabatur, *Agite*, Comites hortatur, ut secum nemus adeant, in quo Cybele colitur. *Gallae*, Gallos vocari Cybeles sacerdotes, nemo nescit; at hic Gallas vocat, quod, erepta virilitate, mulieribus potius, quam viris annumerandi essent, *Muret. Simul ite*, venite mecum. *Dindymenae*, quae in Dindymis, Phrygiae majoris monte, praecipua quadam religione colebatur: unde ipsa Dindymene appellata, *Vulp.*

V. 13. *Vaga pecora*, quae servitio addictae instar pecudum per nemora vagamini. Vel Cybeles ministros *pecora* appellat, ut Vossius putat, quod tamquam jumenta, sellam magnae Matris gestare solerent, quandocumque asinus defuisset. *Petentes*, adeuntes peregrina loca. *Sectam*, doctrinam meam, documenta mea sequutae. *Rapidum*, mare agitatum tolerastis et aequor furibundum. *Hero*, Atyni duci vestro, ob recens vulnus graviter dolenti, *Vulp. Erroribus*, festinis et properis discursibus, *Idem*, scil. hac propere currendo.

Mora tarda mente cedat; simul ite, sequimini
Phrygiam ad domum, Cybelles Phrygia ad nemora Deae,
Ubi cymbalûm sonat vox, ubi tympana reboant,
Tibicen ubi canit Phryx curvo grave calamo,
Ubi capita Maenades vi jaciunt hederigerae,
Ubi sacra sancta acutis ululatibus agitant,
Ubi suevit illa Divae volitare vaga cohors:
Quo nos decet citatis celerare tripudiis.
Simul haec comitibus Atys cecinit notha mulier
Thiasus repente linguis trepidantibus ululat,
Leve tympanum remugit, cymbala recrepant.
Viridem citus adit Idam properante pede chorus
Furibunda simul anhelans, vaga vadit, animi egens,
Comita tympano Atys, per opaca nemora dux,

V. 19. *Cedat*, a mente vestra recedat. *Ite*, mecum venite. *Cymbalum* pro *cymbalorum*. Porro mugitus, tympanorum proprius fuit: tinnitus contra et crepitus, cymbalorum, *Vulp.* Cymbala ex aere fiebant, concava intus, unde tinnitum edebant; tympana e tauri corio, adeoque reboabant, scil. taurorum vocem imitabantur. *Canit curvo calamo*, inflat oblique tibiam arundineam. Tibiarum materia aliquando arundinea erat; sed parari etiam solebant ex ferro, loto, buxo potissimum, *ex Vulp. Grave*, gravi sono. Phrygius enim modus, aliquanto erat Lydio gravior, et homines ad insaniam et furorem concitabat. Tibiarum usus promiscuus erat in Cybeles et Bacchi sacris.

V. 23. *Menades.* Ita vocabantur foeminae Bacchi sacris operatae. Harum porro mulierum hic meminit poeta, quod Bacchi et Cybebes orgia interdum communia essent, *Vulp. Vi jaciunt*, ubi sacerdotes hedera redimita capita, quod furentium et bacchantium erat. *Acutis*, vehementibus. *Agitant*, celebrant. *Volitare*, celerrime discurrere hac illac turba furentium sacerdotum. *Celerare*, quo convenit etiam non properare festinatis saltationibus.

V. 27. *Simul*: simul ac. *Notha*, non vera, sed arte quodammodo concinnata, *Vulp.* Vide Cat. p. 33. v. 17. *Thiasus*, Chorus sacrificulorum, Cybeben colentium, *Idem Recrepant*, iterum crepant, strepitum denuo edunt. *Idem. Vaga*, errabunda et mentis inops. *Comitata*, munita tympano.

Veluti juvenca vitans onus indomita jugi.
Rapidae ducem sequuntur Gallae pede propero.
Itaque, ut domum Cybelles tetigere, lassulae,
Nimio e labore somnum capiunt sine Cerere.
Piger his labantes languore oculos sopor operit.
Abit in quiete molli rapidus furor animi.
Sed ubi oris aurei sol radiantibus oculis
Lustravit aethera album, sola dura, mare ferum,
Pepulitque noctis umbras vegetis sonipedibus,
Ibi Somnus excitum Atyn fugiens, citus abiit:
Trepidantem eum recepit dea Pasithea sinu.
Ita de quiete molli rabida sine rabie
Simul ipsa pectore Atys sua facta recoluit,
Liquidaque mente vidit, sine queis, ubique foret:
Animo aestuante rursum reditum ad vada retulit:
Ibi maria vasta visens lacrymantibus oculis
Patria adlocuta voce est ita moesta miseriter:
Patria o mea creatrix, patria o mea genitrix,
Ego quam miser relinquens, dominos ut herifugae
Famuli solent, ad Idae, tetuli nemora pedem.

V. 34 *Pede propero*, h. e. festinante. *Domum* scil. templum. *Sine Cerere*, eunt cubitum incoenatae, *Vulp. Labantes*, vacillantes prae languore oculos claudit. *Abit*, discedit, cessat. *Oris*, ore aureo. *Album* ex luce matutina, *Vulp Sola*, Terram solidam, mare indomitum.

V. 41. *Vegetis*, fervidis, anhelantibus. *Ibi*, tunc. *Excitum*, expergefactum deserens Atyn. *Trepidantem*, festino gressu incedentem, *Vulp. Pasithea*; una Gratiarum, cui Euphrosyne quoque nomen est. Hanc uxorem somni esse, finxit Homerus, *Idem. De quiete* post placidum somnum, sedato insano furore, simul ac ipsa Atys animo revolvit ea quae fecerat. *Liquida*, i. e. serena. *Sine queis*, quibus careret rebus, quae et quanta amisisset; patriam puta, parentes, virilitatem etc., et ubi esset, quo in loco. *Aestuante* animo agitato rursum, sua scil. vestigia relegendo, ad mare rediit, unde venerat. *Tetulit* pro *tulit*. Antique, ut saepe apud Plautum et alios. *Miseriter*, miserandum in modum, *Vulp.*

V. 31. *Herifugae*, fugitivi., ab Hero fugiente. *Tetuli pedem*, veni.

Ut apud nivem et ferarum gelida stabula forem,
Et earum omnia adirem furibunda latibula:
Ubinam, aut quibus locis te positam, patria, rear?
Cupit ipsa pupula ad te sibi dirigere aciem,
Rabie fera carens dum breve tempus animus est.
Egone a me remota haec ferar in nemora domo?
Patria, bonis, amicis, genitoribus abero?
Abero foro, palaestra, stadio, et gymnasiis?
Miser ah miser! quaerendum est etiam atque etiam Anime:
Quod enim genus figurae est, ego non quod habuerim?
Ego mulier, ego adolescens, ego ephebus, puer,
Ego gymnasii fuit flos, ego eram decus olei.
Mihi januae frequentes, mihi limina tepida,
Mihi floridis corollis redimita domus erat,
Linquendum ubi esset orto mihi sole cubiculum.

V. 53. *Apud nivem*, in nivibus, nivosis in locis, et frigidis cubilibus ferarum habitarem, et insaniens omnes earum latebras lustrarem. *Positam*, sitam. *Pupula*, pupilla. *Aciens*, vim vigorem. *Carens est* pro caret: *breve tempus*, modico temporis intervallo *Haec in nemora ferar*, per haec nemora vagabor. *Abero*, carebo.

V. 60. *Foro*, forensibus spectaculis. *Palaestra, stadio*, *gymnasiis*, loca in quibus pueri nobiles apud Graecos, lucta, cursu, saltatione corpora exercebant. *Miser Anime*, ad animum suam orationem convertit. *Vulp. Quaerendum*, deploranda est summopere mea conditio. *Habuerim*, hoc ad futura tempora referendum est, quibus dici poterit; Atyn omne genus figurae habuisse: mulierem videlicet fuisse, adolescentem, ephebum, puerum, gymnasii florem, palaestrae decus, *Vulp.*

V. 65. *Frequentes*, frequentatae ab iis, qui diluculo domum meam me salutaturi ventitabant. *Tepida*, pedibus advenientium trita, atque idcirco tepentia, *Vulp. Linquendum*, quum mihi cubiculo exeundum erat, orto sole, inveniebam domum meam ornatam coronis. Mos enim amicorum januas floribus ornare.

Egone Deûm ministra, et Cybeles famula ferar ?
Ego Maenas, ego mei pars, ego vir sterilis ero ?
Ego viridis algida Idae nive amicta loca colam?
Ego vitam agam sub altis Phrygiae columinibus,
Ubi cerva silvicultrix, ubi aper nemorivagus ?
Jam jam dolet quod egi, jam jamque poenitet.
Roseis ut huic labellis palans sonitus abiit,
Geminas Deum ad aures nova nuntia referens,
Ibi juncta juga resolvens Cybele leonibus,
Laevumque pecoris hostem stimulans ita loquitur :
Agedum inquit, age ferox, i: face ut hinc furoribus,
Face ut hinc furoris ictu reditum in nemora ferat,
Mea libere nimis qui fugere imperia cupit.
Age, caede terga cauda : tua verbera patere
Face cuncta mugientes fremitu loca retonent.
Rutilam ferox torosa cervice quate jubam.
Ait haec minax Cybelle, religatque juga manu,

V. 68. *Ferar*, dicar. *Maenas*, ita Cybeles et Bacchi sacerdotes vocabantur, *Muret. Mei pars*, mutilus nimirum ac dimidiatus. *Vulp. Columinibus*, arboribus Idaeis, *Idem. Silvicultrix*, silvas colens. *Nemorivagus*, per nemora vagans.

V. 74. *Ut huic.* Ubi ex purpureis labris huic, scil. Atyni exiit vox vaga in auras dispersa, ad aures Deorum referens recentem hunc nuncium. *Deum* dixit Catullus, quemadmodum Virgilius: *Partem aliquam venti, divum referatis ad aures*, quasi proverbio, ut Statius monuit. *Ibi*, tunc. *Leonibus*, qui Magnae Matris currum trahebant, *Vulp. Laevumque*, et stimulo excitans leonem sinistrae parti currus alligatum, ovilibus insidiantem et armentis infestum.

V. 78. *Agedum*, Verba Cybeles leonem incitantis : Nunc age, age ferox, propera, fac ut Atys, qui satis audacter effugere cupit meam dominationem, fac, inquam, ut furiis agitatus, et furoris vestro percitus hinc in silvas redeat. *Caede*, tibi terga tua cauda. Mos enim leonum sese ad iram excitantium, sibi terga propriae caudae ictibus caedere, ut scribit Plinius lib. 8 *Mugienti fremitu*, frementi rugitu. *Torosa*, robusta. *Religatque*, et sua manu solvit leonum juga.

Ferus ipse sese adhortans rapidum incitat animum :
Vadit, fremit, refringit virgulta pede vago.
At ubi ultima albicantis loca litoris adiit,
Tenerumque vidit Atyn prope marmora pelagi :
Facit impetum, ille demens fugit in nemora fera,
Ibi semper omne vitae spatium famula fuit.
Dea, magna dea, Cybelle, Didymi, Dea, domina,
Procul a mea tuus sit furor omnis, hera, domo,
Alios age incitatos, alios age rabidos.

V. 85. *Ferus*, leo, *incitat*, violentum furorem excitat. *Vadit*, properat, rugit erranti pede proterit obstantia quaeque, arbusta, et frutices. *Ultima loca litoris*. Extremam litoris partem, quam mare alluebat. *Albicantis*, propter arenas longe conspicuas vel propter spumas aquae marinae. *Vulp. Tenerum*, adolescentem. *Marmora*, prope maris undas. Mare commotum viride marmor imitari quodammodo videtur. Quare a poetis *marmor* dicitur. *Facit impetum*, in eum irruit. *Demens*, perterritus. *Fera* horrida, in quibus ferae stabulantur. *Semper*, assidue. *Omne*, per omne tempus vitae Cybeles fuit ministra. *Dea*, Cybelem precatur poeta, ut a se talem, quo percitus fuit Atys, furorem amoveat, et in alios potius immittat.

V. 91. *Didymi* pro *Dindymi* metri caussa. *Hera*, Dea. Deos universos etiam alibi *Heros* nominat. *Incitatos*, alios in furorem istam impelle.

XXXVI.

Descripturus Pelei ac Thetidos nuptias, orditur poema a notatione temporis quo eae conjunctae fuerunt, quum videlicet Argonautae duce Jasone ad vellus aureum repetendum e Thessalia in Colchicam regionem profecti sunt. Qua in re suo quodam jure ab aliorum poetarum narratione descendit. Nam quo tempore profecti sunt Argonautae jam Thetidem duxerat Peleus, et Achillem ex ea susceperat. Deinde fabulam Ariadnae a Theseo in Naxo insula relictae persequitur. Tandem ad propositum revertens, Parcarum vaticinium de Achille elegantissimis versibus exponit.

Peliaco quondam propugnatae vertice pinus
Dicuntur liquidas Neptuni nasse per undas
Phasidos ad fluctus, et fines Aeetaeos:
Quum lecti juvenes Argivae robora pubis
Auratam optantes Colchis avertere pellem,
Ausi sunt vada salsa cita decurrere puppi,
Caerula verrentes abiegnis aequora palmis:
Diva quibus retinens in summis urbibus arces,

V. 1. *Peliaco*, in summo jugo Pelii Thessaliae montis, quod pinea silva circum coronabatur, *Vulp.* Ad hunc montem aedificata est Argo. *Nasse*, navigasse. *Phasidos* Hic fluvius ex Armenia fluens, Colchida, Ponti regionem alluit, *Muret. Aeetaeos*, Colchida, ipsam, ubi tum Aeetes regnabat, Medeae pater, *Idem. Leti*, flos juventutis Thessalicae. *Vulp. Pellem*, vellus aureum. *Ausi*, quod difficilem admodum et nondum ad ea tempora susceptam navigationem primi tentaverint. *Abiegnis*, remis ex abiete confectis mare sulcantes.

V. 8. *Quibus*, scil. juvenibus Pallas ipsa, quae arcibus, altissimis urbium locis praesidet, earumque tutelam habet, ipsa fecit etc.

Ipsa levi fecit volitantem flamine currum:
Pinea conjungens inflexae texta carinae.
Illa rudem cursu prima imbuit Amphitriten,
Quae simul ac rostro ventosum proscidit aequor:
Tortaque remigio spumis incanuit unda,
Emersere feri candenti e gurgite vultus
Aequoreae monstrum Nereides admirantes,
Illaque, haudque alia viderunt luce marinas
Mortales oculi nudato corpore Nymphas,
Nutricum tenus extantes e gurgite cano,
Tum Thetidis Peleus incensus fertur amore,
Tum Thetis humanos non despexit hymenaeos,

V. *Currum*, vehiculum marinum, navem. *Conjungens*. Minervam ipsam cum Argo manus operi admovisse, ajunt poetae, *Muret*. *Pinea texta*, pineas trabes. *Cursu imbuit*, navigationem docuit Amphitriten hujusce artis adhuc ignaram. *Amphitriten*, Neptuni uxorem pro mari. Hic vero, ut Vossius animadvertit, non est mare quodlibet, sed Pontus Euxinus, impetuosus frequenti occursu scopulorum infestus, et idcirco ea tempestate intentatus. Hoc itaque poeta significat, Argonautas, non primos fuisse, qui mare quodlibet trajecerint, primique omnium navigandi artem invenerint, antea enim Phoenices, et Tyrii praecipue, atque a Tyriis profecti Carthaginienses navigaverant; sed omnium primos difficilem admodum navigationem suscepisse, ac periculosum mare, adhuc intentatum sulcasse.

V. 12. *Rostro*. Rostrum in navibus dicebatur pars e prora prominens et acuta in modum rostri avium. Rostrorum quaedam similitudo cernitur adhuc in cymbis Venetis, verum ad ornatum tantummodo et aequipondium. *Ventosum*, ventis agitatum. *Tortaque*; remis percussa et agitata. *Feri vultus* ferinae facies prodierunt. Marinarum Dearum facies subagrestes notat. *Monstrum*, prodigium, rem inusitatam.

V. 16. *Illaque haudque alia*: hoc uno tantum die, neque unquam in posterum. Nereidas nudato corpore ab hominibus fuisse conspectas significat. *Nutricum*, mammarum tenus eminentes e spumoso mari.

V. 20. *Humanos*, hominis conjugium non est aversata. Antea enim Jovis uxor fieri optaverat; quod quum impetrare non potuisset, Pelei connubium non contempsit.

Tum Thetidi pater ipse jugandum Pelea sensit:
O nimis optato saeclorum tempore nati
Heroes, salvete, deûm genus! o bona mater!
Vos ego saepe meo vos carmine compellabo.
Teque adeo, eximiae taedis felicibus aucte,
Thessaliae columen Peleu, quoi Jupiter ipse,
Ipse suos divûm genitor concessit amores.
Tene Thetis tenuit pulcherrima Neptunine?
Tene suam TETHYS concessit ducere neptem.
Oceanusque, mari totum qui amplectitur orbem?
Quae simul optatae finito tempore luces
Advenae, domum conventu tota frequentat
Thessalia, oppletur laetanti regia coetu:
Dona ferunt: prae se declarant gaudia vultu.

V. 21. *Pater ipse.* Nereus Thetidis pater. Vel Jupiter, qui a Prometheo deterritus, Thetidem Peleo nepoti suo ducendam concessit. Decreverat Jupiter eam sibi uxorem adjungere; at Prometheus praedixit, fore ut filius ex eo conjugio generatus patri aliquando imperium eriperet. *Sensit* Consensit. *O nimis* Ingressurus ad canendas Pelei nuptias, ceteros Argonautas, ab eis digressurus, salutat; seque eorum laudes celebraturum pollicetur, *Muret. O nimis*, o heroes, divorum soboles geniti saeculorum aevo nimium optabili, felici.

V. 23 *Mater.* Thetidem, Achillis matrem futuram, a Catullo significari putant nonnulli; Muretus, ipsam navem Argo; Vulpius Thessaliam, quae lectissimos illos juvenes, Jasonis comites, in lucem protulerit. *Compellabo*, commemorabo. *Adeo*, et te praesertim, Peleu, cujus dignitas singularem in modum aucta est iis nuptiis. *Columen*, praesidium, fulcrum. *Amores*, Thetidem, Nympham maris, filiam Doridos, neptem TETHYOS, quam unice amabat. *Tenuit*, cepit in amorem suum traxit. *Neptunine*, pulcherrima natarum Neptuni. TETHYS, Caeli et Vestae filia soror Saturni, et Titani, uxor Oceani, mater fluviorum, et nympharum; ex ea Doris, Neptuni sive Nerei conjux, Thetidis hujus mater. *Amplectitur.* Oceanus terras omnes, tamquam insulam quandam ingentem, extrinsecus amplectitur, *Vulp. Mari*, aquis suis. *Optatae*, expectati nuptiarum dies constituto tempore. *Conventu*, concursu *Tota*, maxima Thessalorum pars, novo marito, et novae nuptae gratulantium, Pelei domum adit. *Prae se*, aperte, palam.

Deseritur Scyros: linquunt Phthiotica Tempe.
Cranonisque domos, ac moenia Larissaea,
Pharsaliam coeunt, Pharsalia tecta frequentant,
Rura colit nemo, mollescunt colla juvencis,
Non humilis curvis purgatur vinea rastris:
Non glebam prono convellit vomere taurus;
Non falx attenuat frondatorum arboris umbram:
Squalida desertis robigo infertur aratris:
Ipsius at sedes, quacumque opulenta recessit
Regia, fulgenti splendent auro, atque argento.
Candet ebur solis; collucent pocula mensis:
Tota domus gaudet regali splendida gaza,
Pulvinar vero Divae geniale locatur

V. 35. *Scyros.* Aegaei maris insula, quae Thessalis Dolopibus olim paruit. *Tempe.* Haec Tempe, de quibus Catullus, non fuerunt in Thessalia proprie dicta, sed potius in Phthiotide, quae, usque ad Thessalios campos olim porrigebatur, nomenque accepit a Phtia Achillis patria. Gemina igitur Tempe videntur extitisse: altera ad Sperchium, quae hic a poeta memorentur, altera ad Peneum celeberrima, *ex Vulp. Cranonisque*, Cranon, Thessaliae Pelasgiotidis oppidum fuit, in locis quae Tempe vocabantur, *Vulp. Larissaea.* Larissa urbibus Thessaliae nobilioribus annumerata est, *Idem. Pharsaliam*, oppidum Phthiae vicinum, in quo Thetis Peleo nupta habitavit. *Tecta* domos.

V. 38. *Rura colit nemo*, feriantur omnes propter nuptiarum celebritatem quod eleganter amplificat, *Muret. Mollescunt.* Boves jugo vincti callum cervice contrahunt: si soluti diutius dimittantur, iis paullatim obliteratur, *Vulp. Humilis*, humi repens, non arbustiva, *Idem. Prono*, in terram defixo. *Convellit*, proscindit, *Frondatorum.* Frondatores vocantur qui nimiam ramorum vel foliorum luxuriem in vitibus ceterisque arboribus falce, aut manu coercent ac depascuntur, *Vulp.*

V. 42. *Desertis.* Vomer, nisi adibeatur, situ sordescit: contra, si utare, splendet, *Idem Infertur*, inducitur, inhaeret aratris. *Ipsius at sedes* Describit magnificentiam apparatus aedium Pelei, *Muret. Quacumque*, quam late patet regiae domus interior pars. *Solis*, in sedibus. *Gaudet*, laetari videtur regiis divitiis coruscans. *Pulvinar*, lectus genio sacer, conjugalis.

Sedibus in mediis, Indo quod dente politum
Tincta tegit roseo conchyli purpura fuco.
Haec vestis priscis hominum variata figuris,
Heroum mira virtutes indicat arte.
Namque fluentisono prospectans litore Diae,
Thesea cedentem celeri cum classe tuetur
Indomitos in corde gerens Ariadna furores:
Nec dum etiam sese, quae visit, visere credit,
Utpote fallaci quae tum primum excita somno
Desertam in sola miseram se cernit arena,
Immemor at juvenis fugiens pellit vada remis,
Irrita ventosae linquens promissa procellae:
Quem procul ex alga moestis Minois ocellis,

V. 48. *Politum*, quem lectum ebore Indico elaboratum operit purpurea vestis muricis succo infecta. *Deus Indus*, est ebur detractum Indico elephanto. Conchylium, genus testacei piscis, ex quo sanies illa depromebatur, qua nobilium, et magistratuum in primis vestes tingebantur.

V. 50 *Variata*, distincta, acu picta. *Indicat*, repraesentat praeclara facinora. *Fluentisono*, resonanti, fluentibus maris aquis pulsato. *Diae*, Naxi, in insula enim Naxo, una ex Cycladibus Ariadnen a Theseo relictam plurimi tradunt scriptores, quae Dia etiam vocata fuit. Vossius tamen, Diam, de qua Catullus loquitur, Cretensem fuisse putat, cui magis conveniunt ea, de quibus infra conqueritur Ariadne. Diae Cretensis meminit Strabo lib. 10. *Cedentem*, discedentem. *Tuetur*, intuetur. *Furores*, amorem puta, desiderium, indignationem; ex quibus odium, rabies, metus, postremo desperatio, *Vulp.*

V. 55. *Quae visit.* Ex antiquorum codicum vestigiis ita versum hunc concinnavit Vossius *Somno*. Eam enim somno sepultam Theseus dereliquerat, *Vulp. Immemor*, non tam puellae, quam beneficiorum, quae ab illa acceperat, *Idem. Pellit*, verberat. *Linquens*, tradens diripienda procellosis ventis. *Ex alga*, ex litore. Alga enim maritima herba est, quae ad litus ejicitur. *Minois*, Ariadna Minois Cretae regis filia.

Saxea ut effigies bacchanis prospicit Evoe:
Prospicit, et magnis curarum fluctuat undis;
Non flavo retinens subtilem vertice mitram,
Non contecta levi velatum pectus amictu,
Non tereti strophio luctantes vincta papillas;
Omnia quae toto delapsa e corpore passim
Ipsius ante pedes fluctus salis alludebant.
Sed neque tum mitrae, neque tum fluitantis amictus
Illa vicem curans, toto ex te pectore, Theseu,
Toto animo, tota pendebat perdita mente.
Ah misera, assiduis quam luctibus externavit
Spinosas Erycina serens in pectore curas
Illa tempestate, ferox quo tempore Theseus

V. 61. *Saxea.* Summa vis est in hac comparatione. Primum quod Bacchanti Ariadnen comparat, significat eam et vultu et totius corporis gestu rabidum quemdam concitatae mentis ardorem prae se tulisse: quod autem addit *saxeam effigiem*, tantam vim doloris fuisse indicat, ut diu neque movere se potuerit, neque in ullam vocem erumpere, *Muret.* *Evoe*; velut marmoreum simulacrum quod mulierem Bacchi furore correptam, et *Evoe evoe* clamantem exprimit.

V. 61. *Fluctuat*, agitatur curarum fluctibus. *Mitram*, tegumentum capitis muliebre, e tenuissimis filis contextum; quod Itali appellant *la cuffia*, Vulp. *Non contecta*, non habens sinum contectum subtili velamine, nec vinciens complicata fascia intumescentes mammas. *Omnia quae*, mitram scil. et pectoris velamen, et strophium. *Alludebant*, pro alluebant. *Fluitantis*, in aqua. *Vicem curans*, parvipendens, quid mitrae vel amictui fieret, *Vulp.*

V. *Pendebat*, in te uno defixa haerebat, de te solo Theseu; obstupefacta cogitabat. *Externavit*, extra se posuit, dementem fecit. *Serens*, inserens, excitans pugnantes, sollicitas curas. *Erycina*, Venus ab Eryce Siciliae monte. *Tempestate*, aetate. *Ferox* audax, animosus. Descripta veste qua Thetidis genialis lectus operiebatur; narrationem orditur. *Curvo*, sinuoso. *Piraei*, Poetice, per anticipationem temporis. Aetate enim Thesei, et deinceps

Egressus curvis e litoribus Piraei
Attigit injusti regis Gortynia tecta.
Nam perhibent olim crudeli peste coactam
Androgeoneae poenas exsolvere caedis.
Electos juvenes, simul et decus innuptarum
Cecropiam solitam esse dapem dare Minotauro
Queis augusta malis quum moenia vexarentur,
Ipse suum Theseus pro caris corpus Athenis

antequam Themistocles imperaret, *Pyraeus*, Athenis nomen erat viei non portus 40 navibus excipiendis idoneus.

V. 75. *Injusti*, Atheniensibus blandiri voluit, apud quos Minos male semper audivit, quod eorum urbem expugnavisset, ac malorum facinorum poenas in posterum dare coegisset, *Vulp.* *Gortynia tecta.* Gortynias domos Regis Minois adivit, scil. Cretam; nam Gortyna est urbs in Creta. *Peste*, ipsum Deorum numen conspirasse cum Minoe ad ulciscendam caedem Androgei videbatur. Eodem enim tempore et bello, et fame, et pestilentia affligebantur Athenienses: responsumque est oraculo, non aliter ea desitura, quam si Minoi fieret satis, *Muret.* *Androgeoneae.* Athenienses et Megarenses Androgeum Minois regis filium, adolescentem fortissimum circumventum occiderunt: ejus virtuti invidentes, quod in sacris certaminibus victoriam saepius retulisset. Lege, praeter alios, Phaedrum Fab. 6. lib. 4. *Vulp.*

V. 78. *Electos*, vel quorum nomina sorte exiissent, vel (quod verius existimo) lectissima forma. Jusserat enim oraculum mitti pulcherrimos. Hanc explicationem confirmant quae sequuntur, *decus innuptarum*; significant enim virgines eximio corpore. *Bis septenos pueros* fuisse ait Isocrates in Helenae laudatione, *Vulp.* Septenos quotannis juvenes, ac totidem puellas, *Muret.* *Cecropiam*, Athenas, ita vocatas a rege Cecrope, *Vulp.* Regionem Atticam, *Muret.* *Dapem*, sacrum epulum, *Vulp.* *Minotauro.* Fuit hoc monstrum e taurina et humana specie mixtum. Hoc Labyrinthi Cretensis ambagibus a Daedalo inclusum Theseus clava confecit.

V. 80. *Augusta moenia.* Theseus enim Athenarum urbem quae paucis vicis constabat, ampliorem fecit. *Malis*, incommodis, nefando scil. puerorum tributo. *Corpus*, vitam suam pro dilecta patria amittere, exponere.

Projicere optavit potius, quam talia Cretam
Funera Cecropiae ne-funera portarentur.
Atque ita nave levi nitens, ac lenibus auris
Magnanimum ad Minoa venit, sedesque superbas.
Hunc simul ac cupido conspexit lumine virgo
Regia, quam suaves expirans castus odores
Lectulus in molli complexu matris alebat:
Quales Eurotae progignunt flumina myrtus,
Aurave distinctos educit verna colores:
Non prius ex illo flagrantia declinavit
Lumina, quam cuncto concepit pectore flammam
Funditus, atque imis exarsit tota medullis,
Heu! misere exagitans immiti corde furores.
Sancte puer, curis hominum qui gaudia misces,
Quaeque regis Golgos, quaeque Idalium frondosum,
Qualibet incensam jactastis mente puellam
Fluctibus, in flavo saepe hospite suspirantem!

V. 82. *Optavit*, elegit. *Funera ne-funera*, ergo viva funera: *ne-funera*, pro *non funera* ut *nevolt* pro *non vult*. *Optavit* ergo scil. elegit mori, quam pati ut in Cretam portarentur tales juvenes, Athenis deflendi pro mortuis adhuc non mortui. *Levi nitens*, Itaque agili, celeri navi sustentatus. *Superbas*, vel magnificas, vel ob tyrannum habitatorem exosas. *Vulp.* *Cupido*, avidis, amantibus oculis. *Virgo*, Ariadne, Regis filia. *Complexu*, in tenero matris Pasiphaes sinu *Alebat*, educabat.

V. 89. *Eurotae*, quales in ripa producit myrtus Eurotas Laconiae fluvius. *Aura verna*, Zephyrus scil. Favonius. *Distinctos*, flores separatos, nondum consertos. *Declinavit* non prius a Theseo oculos avertit; non prius illum adspicere destitit. *Exagitans*, excitans. *Immiti*, immaturo, et nondum amoris patiente, *Vulp.* *Furores*, vehementis amoris flammam. *Sancte puer.* Orationem ad Amorem et Venerem convertit, *Vulp.* *Quaeque regis Golgos*; scil. Venus; nam Golgos oppidum est in Cypro Veneri sacrum, *Muret.* *Idalium*, Cypri nemus, in quo oppidulum.

V. 97. *Qualibus*, quantis currum fluctibus agitastis animum Virginis amore flagrantem. *In flavo*, capillis nempe flavis: pro flavo formoso hospite Theseo.

Quantos illa tulit languenti corde timores!
Quantum saepe magis fulgore expalluit auri!
Quum saevum cupiens contra contendere monstrum,
Aut mortem oppeteret Theseus, aut praemia laudis
Non ingrata, tamen frustra, munuscula divis
Promittens, tacito suspendit vota labello.
Nam velut in summo quatientem brachia Tauro
Quercum, aut conigeram sudanti corpore pinum
Indomitus turbo contorquens flamine robur
Eruit: illa procul radicibus exturbata
Prona cadit, lateque et cominus obvia frangens:
Sic domito saevum prostravit corpore Theseus,
Nequidquam vanis jactantem cornua ventis.

V. 100. *Magis expalluit*, pallidior facta est rutilo auro. *Contendere*, pugnare contra Minotaurum. *Oppeteret aut* subaudi re- referret: potentiales modi, quibus indicat, Theseo in animo fuisse aut mori, aut vincere. *Non ingrata*, superis se datura promittens ea dona, quibus delectarentur, puta nidorem thuris et victimarum occisarum; ne scilicet carissimi capitis jacturam faceret; sed potius Minotauro interfecto Theseus incolumis ad ipsam rediret, *ex Vulp. frustra* neque enim quod optabat, contigit ei, scil. posse aetatem una cum Theseo exigere. *Tacito labello.* Neque enim audebat aperte pro Theseo vota facere, ne fraternae mortis desiderium proderet, *Vulp.* Ariadnes frater Minotaurus ex matre Pasiphae. *Suspendit*, concipit quidem, sed pudore impedita revocat identidem, atque interrumpit, vel *suspendit*, pro *suspensuram se promittit.*

V. 105. *In summo*, in vertice Tauri Ciliciae montis. *Quatientem*, ramos agitantem vi ventorum impulsos, *Vulp. Conigeram*, nuces pineas ferentem quae coni figuram imitantur, *Idem. Sudanti*, unde manat pinguis ille homor, quem resinam appellant, tamquam sudor aliquis, *Idem. Indomitus*, violentus. *Robur eruit*, truncum impetu contorquens convellit. *Exturbata*, evulsa, praeceps roit, obvia quaeque prosternens et eminus, et cominus.

V. 110. *Saevum*, sic etiam *ferum* dicebant, non addito *animal*. Hic Minotaurum significat. *Jactantem*, frustra ventos agitantem cornibus.

Inde pedem sospes multa cum laude reflexit,
Errabunda regens tenui vestigia filo:
Ne labyrintheis e flexibus egredientem
Tecti frustraretur inobservabilis error.
Sed quid ego a primo digressus carmine, plura
Commemorem ? ut linquens genitoris filia vultum
Ut consanguineae complexum, ut denique matris,
Quae misera in gnata flevit deperdita, laeta
Omnibus his Thesei dulcem praeoptarit amorem ?
Aut ut vecta ratis spumosa ad litora Diae?
Aut ut eam tristi devinctam lumina somno
Liquerit immemori discedens pectore conjux ?
Saepe illam perhibent ardenti corde furentem
Clarisonas imo fudisse e pectore voces;
Ac tum praeruptos tristem conscendere montes,
Unde aciem in pelagi vastos protenderet aestus :
Tum tremuli salis adversa procurrere in undas

V. 113. *Errabunda*, errantes gressus. *Filo*, ut eum Ariadne monuerat. *Frustraretur*, deciperet. *Inobservabilis*, Amfractus Labyrinthi Cretensis, Daedalo aedificanti, ejusmodi erant, ut neque servari oculis, nec retineri memoria possent, *Vulp*. Virgilio est, *inextricabilis*. *A primo carmine*, a potissimo hujus carminis argumento, scil. a celebrandis Pelei et Thetidos nuptiis. *Consanguineae*, Phedrae sororis. *Matris*, Pasiphaes. *Deperdita*, confecta dolore. Doeringius. *Omnibus his*, scil. optarit amorem Thesei prae omnibus his genitore, consanguinea, matre.

V. 121. *Vecta*, quomodo navis Thesei appulit. *Diae*, Naxi, vel Diae insulae Cretensis de qua supra. *Tristi*, funesto, infausto. ob ea quae consecutura erant. *Immemorari*, ingrato animo beneficiorum oblito. *Conjux*, Theseus qui Ariadne conjugium perpetuum promiserat. *Ardenti*, animo inflammato.

V. 125. *Clarisonas*, clare sonantes, graves querelas. *Conscendere*, scil conscendisse montes. *Aciem*, nempe oculorum; oculos intenderet in aestuantes aquas vasti maris. *Tremuli*, dictum metonymice pro tremorem incutientis.

Mollia nudatae tollentem tegmina surae :
Atque haec extremis moestam dixisse querelis,
Frigidulos udo singultus ore cientem :
Siccine me patriis avectam, perfide, ab oris,
Perfide, deserto liquisti in litore, Theseu?
Siccine discedens neglecto numine Divûm
Immemor ah! devota domum perjuria portas?
Nullane res potuit crudelis flectere mentis
Consilium? tibi nulla fuit clementia praesto,
Immite ut nostri vellet mitescere pectus?
At non haec quondam nobis promissa dedisti
Voce: mihi non hoc miseram sperare jubebas,
Sed connubia laeta, sed optatos hymenaeos:
Quae cuncta aërii discerpunt irrita venti.
Jam jam nulla viro juranti femina credat,
Nulla viri speret sermones esse fideles:
Queis dum aliquid cupiens animus praegestit apisci,
Nil metuunt jurare, nihil promittere parcunt :

V. 129. *Tegmina surae*, tenues cothurnos tollentem, nudatis tibiis; vel tenues vestes; nudae tibiae tegumenta elevantem. *Extremis*, gravissimis: vel extremis tamquam paullo post moritura esset, *Vulp. Moestam*, dolentem haec dixisse gravissimis questibus. *Frigidulos*, languentes gemitus, vel suspiria repetentem, vel commoventem vultu molli prae lacrymis.

V. 134. *Numine*, deorum potentia, per quos mihi fidem jurasti. *Immemor*, ingrate. *Devota*, exsecranda, diris meis devota; in caput tuum reversura, *Vulp. Domum*, in patriam reportas. *Nullane res*, non juramenta, non accepta beneficia, non infamiae timor, non formae, aetatis, parentum denique meorum misericordia, *Vulp. Consilium*, ital. *risoluzione*. *Praesto*, nulla tibi adfuit misericordia. *Nostri* subaudi caussa. *Voce*, lingua, non animo. *Jubebas*, auctor eras, ut mihi sperarem. *Vulp.* ital. *non mi facevi sperar questo.*

V. 141. *Laeta* felix jucundum conjugium, optatas nuptias. *Sermones*, promissa fore sincera, fide digna. *Queis dum*, quorum animus donec cupidus valde gestit (ital. *ha gran voglia, premura*) aliquid adipisci, assequi. *Nil metuunt*, nihil verentur, nulla illa religio est. *Parcunt*, desistunt, cessant.

Sed simul ac cupidae mentis satiata libido est,
Dicta nihil metuere, nihil perjuria curant.
Certe ego te in medio versantem turbine leti
Eripui, et potius germanum amittere crevi,
Quam tibi fallaci supremo in tempore deessem,
Pro quo dilaceranda feris dabor, alitibusque
Praeda, neque injecta tumulabor mortua terra.
Quaenam te genuit sola sub rupe leaena?
Quod mare conceptum spumantibus exspuit undis?
Quae Syrtis, quae Scilla rapax, quae vasta Charybdis,
Talia qui reddis pro dulci praemia vita?
Si tibi non cordi fuerant connubia nostra,
Saeva quod horrebas prisci praecepta parentis;

V. 147. *Satiata*, expleta est animi cupiditas. *Dicta*, nullam promissorum rationem habent. *In medio*, praesentissimo mortis periculo expositum servavi. *Germanum*, Minotaurum. *Crevi*, decrevi, statui. *Fallaci*, perfido. *Supremo*, extremo quum in eo esses, ut a Minotauro occidereris.

V. 152. *Pro quo*, scil. facto, officio. *Dabor*, a te relinquar. *Praeda*, cibus. *Injecta*, mihi superinjecta, imposita contegar. *Sola*, deserta. *Conceptum*, postquam te concepit. *Exspuit*, ad litus inter spumantes undas ejecit.

V. 156. *Syrtis*, Syrtes dicuntur duo sinus periculosissimi in mari Libyco, impares magnitudine, pari natura; quorum alterum Carthagini propinquiorem, *minorem* vocant, alter qui in Cyrenaicam regionem vergit, *major* dicitur. Utraque Syrtis navigantibus est periculosissima, quod ibi mare vadosum sit, limumque et arenae cumulos congerat, unde naves evadere vix ac ne vix quidem possint. *Scylla*, scopulus in freto Siculo, contra Charybdin, navigantibus infestus. *Charybdis*, vorago pessima, absorbens navigia. *Vita*, tibi per me servata.

V. 157. *Non cordi fuerant*, non placebant. *Horrebas*, reformidabas severi tui patris praecepta. *Prisci*, frugi antiqua severitate, cui juvenum licentia odiosa esset; *Vulp. Parentis*. Aegei, quem verisimile est, noluisse Theseum filium suum injussu suo ducere uxorem, *Idem*.

Attamen in vestras potuisti ducere sedes,
Quae tibi jucundo famularer serva labore,
Candida permulcens liquidis vestigia lymphis,
Purpureave tuum consternens veste cubile.
Sed quid ego ignaris nequidquam conqueror auris
Externata malo? quae nullis sensibus auctae
Nec missas audire queunt, nec reddere voces.
Ille autem prope jam mediis versatur in undis,
Nec quisquam apparet vacua mortalis in alga.
Sic nimis insultans extremo tempore saeva
Fors etiam nostris invidit questibus aures.
Jupiter omnipotens, utinam ne tempore primo
Gnosia Cecropiae tetigissent litora puppes;
Indomito nec dira ferens stipendia tauro
Perfidus in Cretam religasset navita funem:
Nec malus hic, celans dulci crudelia forma
Consilia in nostris requiesset sedibus hospes!

V. 160. ***Potuisti***, poteras tamen in patriam me tecum ducere, ut tibi, tamquam famula servirem ministerio mihi jucundo.

V. 162. ***Permulcens vestigia***, pedes abluens. ***Cubile***, lectum tibi sternens stragula veste. ***Ignaris***, stupidis ventis, dolere nescientibus, vel ignotis et peregrinis, querelas meas effundo, *ex Vulp.* ***Externata***, prorsus perturbato animo, et propemodum insana, *Vulp.* ***Malo***, acerbo casu, aerumna, dolore. ***Auctae***, praeditae a natura, *Muret.* Nihil enim sentiunt venti, nec emissas voces audire, nec loqui possunt. *Ille* Theseus.

V. 168. ***Vacua alga***, conspicitur in deserto litore. ***Fors***, fortuna crudelis. ***Invidit***, abstulit, negavit; noluit adesse qui meas querelas audiret. ***Utinam***. Optat, ea quae facta fuerant, non fuisse facta, *Vulp.* ***Tempore primo***, ab initio. ***Gnosia***. Cretensia. ***Cecropiae puppes***, Athenienses. ***Stipendia***. Tributum septem adolescentium, ac totidem virginum lectissimarum, quod Athenienses quotannis, ante expeditionem Thesei, Minotauro mittere cogebantur, *Vulp.* ***Perfidus***; Atheniensium omnium fidem incusare videtur, qui Androgeum Ariadne fratrem proditione occiderant, *Idem.* ***In Cretam***. Italice; ***sciolto avesse per Creta***.

V. 175. ***Crudelia***, crudelem animum, naturam celans blando aspectu.

Nam quo me referam? quali spe perdita nitar?
Idomeniosne petam montes? ah! gurgite lato
Discernens ponti truculentum ubi dividit aequor?
An patris auxilium sperem? quemne ipsa reliqui
Respersum juvenem fraterna caede secuta?
Conjugis an fido consoler memet amore,
Quine fugit lentos incurvans gurgite remos?
Praeteream litus? nullo sola insula tecto:
Nec patet egressus, pelagi cingentibus undis.
Nulla fugae ratio, nulla spes: omnia muta;

V. 177. *Quo me referam*, quo me vertam? *Perdita*, infelix. *Idomeniosne*. Idomenii montes, ut Vossius docet, vocantur ab Idomene oppido. Fuerunt autem Idomenae duae: una quidem Ambraciae proxima, sita in duobus excelsis collibus: altera prope fines Thraciae, posita in montibus Bottiacis, condita ab Idomeneo Cretensium duce, quo tempore ille in Macedoniam classe profectus est. Neque tamen necesse est, ut hoc loco montes aut colles intelligamus in quibus Idomene fundata esset; possumus enim de Atho Macedeniae monte haec accipere, incredibili altitudine praedito, ac longe lateque porrecto, ut non solum totam oram maritimam Macedoniae, sed etiam partem Aegei maris opacet, atque ab Asiae usque litore prospiciatur. *Idomenios* tetrasyllabon est. *Vulp*. Alii habent *Idaeos*, idest Cretenses; Ida enim mons Cretae est. At in MSS. omnibus est vel *Idomenios*, vel *Idomeneos*.

V. 178 *Gurgite lato*, immenso freto. *Ubi*, eosne montes petam quum latus ac metuendus Pontus interjectus ipsos dividat ab hac insula? *Pontus* hic, si Vossium audiamus, maris Deum significat, hoc nomine appellatum, quemadmodum dicimus flumen Rheni, Nili etc. de Diis vel Geniis loquendo, in quorum tutela ea flumina credebantur. *Quemne*, ejusne auxilium, quem ipsa deserui, ut sequerer Theseum respersum sanguine Minotauri fratris mei? *Quine*, ejusne, qui fugit incurvans in undis molles remos? qui scil. oculorum errore aqua submersi et curvi et flexilea spectantibus apparent.

V. 184. *Nullo tecto*, sine ulla domo est insula, litus ab humano cultu desertum. *Patet*, datur potestas hinc egrediendi, undique praecludente iter mari. *Fugae*, fugiendi nullus est modus.

Omnia sunt deserta: ostentant omnia lectum.
Non tamen ante mihi languescent lumina morte,
Nec prius a fesso secedent corpore sensus,
Quam justam a divis exposcam prodita multam,
Caelestumque fidem postrema comprecer hora.
Quare facta virûm multantes vindice poena
Eumenides, quibus anguineo redimita capillo
Frons exspirantes praeportat pectoris iras,
Huc huc adventate, meas audite querelas;
Quas ego, vae miserae! extremis proferre medullis
Cogor inops, ardens, amenti caeca furore.
Quae quoniam vere nascuntur pectore ab imo,
Vos nolite pati nostrum vanescere luctum:
Sed quali solam Theseus me mente reliquit,
Tali mente, Deae, funestet seque suosque.
Has postquam moesto profudit pectore voces,
Supplicium saevis exposcens anxia factis:
Annuit invicto caelestum numine rector,
Quo tunc et tellus, atque horrida contremuerunt
Aequora, concussitque micantia sidera mundus.
Ipse autem caeca mentem caligine Theseus
Consitus, oblito demisit pectore cuncta;

V. 187. *Ostentant*, minantur. *Languescent*, deficient. *Secedent*, abibunt a mortuo corpore ac dissoluto. *Caelestum*, superorum Deorum opem implorem extremo vitae tempore

V. 192. *Facta*, scelera. *Vindice*, ultrici. *Eumenides*. Furiae tres, Alecto, Tisiphone, Megaera, quae improborum hominum scelera ulcisci credebantur, *Vulp*. *Frons*, quibus frons cincta vipereis crinibus praesefert, ostentat iras, quas pectus spirat. *Querelas*, execrationes. *Extremis*, imis, intimis. *Inops*, egens, irascens, excaecata vesano furore. *Vanescere*, irrita fieri quae precor, luctu et moerore confecta. *Vulp*.

V. 201. *Tali mente*, eo animo, scil. immemori et oblivioso, quo me deseruit. *Deae*, Furiae. *Factis*, Thesei. *Annuit*, Ariadnae votis annuit Deorum Rex. *Invicto*, potenti nutu. *Mundus*, caelum. *Consitus*, obsitus, obvolutus densa caligine. *Demisit*, ex immemori animo delevit.

Quae mandata prius constanti mente tenebat:
Dulcia nec moesto sustollens signa parenti,
Sospitem et ereptum se ostendit visere portum.
Namque ferunt, olim classi quum moenia Divae
Linquentem gnatum ventis concrederet Aegeus,
Talia complexum juveni mandata dedisse:
Gnate, mihi longa jucundior unice vita,
Gnate, ego quem in dubios cogor dimittere casus,
Reddite in extremae nuper mihi fine senectae.
Quandoquidem fortuna mea, ac tua fervida virtus
Eripit invito mihi te, cui languida nondum
Lumina sunt gnati cara saturata figura:
Non ego te gaudens laetanti pectore mittam,
Nec te ferre sinam fortunae signa secundae:
Sed primum multas expromam mente querelas.
Canitiem terra atque infuso pulvere foedans;

V. 209. *Tenebat*, retinebat, servabat firma mente. Cujusmodi fuerunt patris mandata, inferius exponit. *Dulcia signa*, candida vela, quae filii salutem et victoriam ex composito indicarent, *Vulp.* quae procul visa jucunditatem Aegaeo parenti dedissent. *Ereptum*, vitae periculo, turbine leti.

V. 212. *Classe*, classe, i. e. pluribus navibus, *Vulp. Divae*, Palladis Athenarum custodis. *In dubios*, in ambiguos incertos rerum eventus dimittere *Reddite*, quem peperit mihi jam seni Aethra Pitthei filia. *Reddere* enim est parere. Hujusmodi filios in senectute susceptos, impensius amare solent patres. Non desunt nihilominus, qui sic interpretentur; Quem ego senex vix tandem recepi, educatum scil. apud Pittheum avum maternum, et multis periculis ac laboribus perfectum, *ex Vulp.*

V. 218. *Fortuna*, scil. adversa. *Fervida*, ardens, generosa virtus. Patet hinc Theseum, amore tantum patriae et gloriae cupiditate suadente in Cretam navigasse. *Figura*, dulci, jucunda filii facie. *Gaudens*, lubens. *Laetanti*, laeto, contento animo. *Signa*, quae fuissent vela candida, *Vulp.* *Mente*, ex imo pectore expromam multos gemitus. *Infuso*, insperso pulvere canos inficiens quod pene omnes ad orientem populi in luctu solebant.

Inde infecta vago suspendam lintea malo,
Nostros ut luctus, nostraeque incendia mentis
Carbasus obscura dicat ferrugine Hibera.
Quod tibi si sancti concesserit incola Itoni,
Quae nostrum genus, ac sedes defendere fretis
Annuit, ut tauri respergas sanguine dextram;
Tum vero facito, ut memori tibi condita corde
Haec vigeant mandata, nec ulla obliteret aetas:
Ut, simul ac nostros invisent lumina colles,
Funestam antennae deponant undique vestem
Candidaque intorti sustollant vela rudentes,
Quamprimum cernens ut laeta gaudia mente
Agnoscam, quum te reducem aetas prospera sistet.
Haec mandata prius constanti mente tenentem
Thesea, ceu pulsae ventorum flamine nubes
Aerium nivei montis liquere cacumen.

V. 225. *Infecta*, tincta. *Vago*, erranti per mare. Tribuit malo quod est navis totius, *Vulp. Incendia*, aestum et ardorem animi exulcerati. *Idem.* Ardentem animi dolorem. *Dicat*, praedicet et palam faciat. *Ferrugine*, purpura nigricanti. *Hibera*, non Hispana quidem, sed ex Hiberia mediterranea minoris Asiae regione. *Incola*, habitatrix sacri Itoni, scil. Minerva. *Itoni*, Itonus, sive *Itone*, Thessaliae oppidum fuit, in quo Minervae templum celeberrimum. Ex hoc oppido Minervae cultum Athenienses acceperunt. *Vulp. Genus*, gentem nostram.

V. 229. *Annuit*, Assentitur, adprobat te patriam et gentem hanc defendere. *Vigeant* maneant haec praecepta firmiter impressa mente. *Aetas*, tempus. *Lumina*, oculi conspexerint montes Atticae. *Funestam vestem*, obscura et furriginea vela; qui color lugentibus convenit. *Rudentes*, navium funes. *Gaudia*, ut laeto animo agnoscam gaudiorum caussam; scil. filii salutem et de Minotauro victoriam. *Aetas* felix tempus. *Vulp. Sistet*, statuet, te reducet.

V. 236. *Haec mandata.* Ita, inquit, liquere haec mandata Theseum, ut montis cacumen linquere impulsae vento nubes solent, *Muret. Aerium*, sublime ventis agitatum, Nivei, nivosi, nive amicti. *Theseo liquere*, ceu linquunt etc. sensus ergo est: mandata Patris, ceu nubes venti flatu, ex animo Thesei abacta sunt, pro simplici, effluxerunt.

At pater, ut summa prospectum ex arce petebat,
Anxia in assiduos absumens lumina fletus,
Quum primum inflati conspexit lintea veli,
Praecipitem sese scopulorum e vertice jecit,
Amissum credens immiti Thesea fato.
Sic funesta domus ingressus tecta, paterna
Morte ferox Theseus, qualem Minoidi luctum
Obtulerat mente immemori, talem ipse recepit.
Quae tum prospectans cedentem moesta carinam,
Multiplices animo volvebat saucia curas.
At parte ex alia florens volitabat Iacchus,
Cum thiaso Satyrorum et Nysigenis Silenis,
Te quaerens, Ariadna, tuoque incensus amore?
Qui tum alacres passim lymphata mente furebant
Evoe bacchantes, evoe, capita inflectentes.

V. 241. *Ut prospectum petebat*, quum late prospiceret ex Cecropia, Athenarum arce, in collibus aut scopulis mari impendentibus sita, sicubi filium redeuntem videret. *Absumens*, ital. *stemperando*. *Anxia*, mentis anxietatem ad oculos transfert. *Vulp*. *Lintea veli*, vela inflata, nigri coloris. *E vertice*, e Sunio, terrae Atticae promontorio, *Vulp*. Vide Statium Thebaid. lib. 11. v. 625. *Immiti*, acerbo, immaturo.

V. 246. *Funesta*, Theseus suopte ingenio ferox ingressus tecta domus funesta (funere scil. polluta) interitu Aegeaei patris sui. Sic autem dixit *tecta domus*, ut paullo ante *lintea veli*, *Vulp*. *Minoidi*: Ariadne Minois filiae. *Quae*, Ariadna. *Cedentem*, longe abscedentem Thesei navem.

V. 251. *Parte ex alia*, ex alia parte vestis, pictus erat Bacchus Ariadna quaerens, *Muret*. *Florens*, puellari facie, integra aetate. *Volitabat*, celeri cursu in Diam insulam properabat, dum Ariadna de Thesei perfidia conquerebatur. *Iacchus*, unum e Bacchi cognominibus, *Vulp*. *Thiaso*, choro, multitudine. *Satyrorum*, Satyri, Panes. Fauni, Silvani, Silenus, Bacchi comites sunt. *Nysigenis*. Ita vocatos fuisse constat primores Nisae, Indicae urbis, a Baccho expugnatae; hi enim, deleta patria, Bacchum secuti sunt. Ceterum Silenus Bacchi nutricius erat. *Vulp*.

V. 154. *Lymphata*, perturbata mente, cujusmodi fere ebriorum est, *Vulp*. *Furebant*, furibundi agitabantur, capita rotantes, jacientes, Evoe clamantes Evoe, quae vox Bacchantium erat.

Horum pars tecta quatiebant cuspide thyrsos;
Pars e divulso raptabant membra juvenco;
Pars sese tortis serpentibus incingebant:
Pars obscura cavis celebrabant orgia cistis,
Orgia, quae frustra cupiunt audire profani.
Plangebant aliae proceris tympana palmis,
Aut tereti tenues tinnitus aere ciebant.
Multis raucisonos efflabant cornua bombos,
Barbaraque horribili stridebat tibia cantu.
Talibus amplifice vestis decorata figuris
Pulvinar complexa suo velabat amictu.
Quae postquam cuspide spectando Thessala pubes
Expleta est, sanctis coepit decedere Divis.

V. 256. *Thyrsos*, hastas pampinis circum velatas, *Vulp.* thyrsos quatiebant obducta et velata pampinis cuspide. *E divulso*, solebant enim Bacchantes interdum armenta discerpere, carnesque eorum crudas mandere, *Muret.* E discerpto bove ac dilaniato frustra diripiebant.

V. 258. *Incingebant*, Bacchae serpentes tractabant sine ullo timore, verum innoxios, quibus et caput coronabant et corpus medium, tamquam zona, cingebant, *Vulp. Orgia*, ita vocabantur mysteria quaedam, quae nisi ab initiatis, aut spectari, aut audire fas non erat, *Muret.* In his occulta quaedam et mystica, tum frivola et pudenda circumferri solebant, eaque vel cistis inclusa (unde mulieris cistophorae) vel etiam, nonnullis festis diebus, palam exposita. In his erant dei crepundia, poma, nuces pineae, speculum, vannus, *Vulp. Profani*, non initiati, quibus turpissimi ritus caeremonias revelare, nefas omnino fuit. *Idem.*

V. 261. *Plangebant*, percutiebant sublatis et extentis manibus *Tereti aere*, rotundo crotalo acutos sonitus excitabant. *Efflabant cornua*, flebilem auribusque injucundum cornibus sonum edebant. *Barbara*, a Phrygibus inventa, qui Graecis barbari, *Vulp. Cantus* fragore. *Amplifice*, magnifice. *Vestis*, stragula vestis, qua geniali, Thetidis et Pelei lectus insternebatur. *Pulvinar*, lectum circumdans tegebat velamine.

V. 268. *Pubes*. Multi enim a Thessalia venerant ad spectandum nuptiarum apparatum. *Expleta est*, satiata est. *Decedere*, Diis advenientibus locum dare, domum vacuam relinquere, *Vulp.*

Hic qualis flatu placidum mare matutino
Horrificans Zephyrus proclivas incitat undas
Aurora exoriente, vagi sub lumina solis;
Quae tarde primum clementi flamine pulsae;
Procedunt, leni et resonant plangore cachinni;
Post, vento crescente magis magis increbrescunt,
Purpureaque procul nantes a luce refulgent:
Sic tum vestibuli linquentes regia tecta
Ad se quisque vago passim pede discedebant.
Quorum post abitum, princeps e vertice Peli
Advenit Chiron portans silvestria dona.
Nam quotcumque ferunt campi, quos Thessala magnis
Montibus ora creat, quos propter fluminis undas
Aura parit flores tepidi fecunda Favoni,
Hos indistinctis plexos tulit ipse corollis,
Queis permulsa domus jucundo risit odore.

V. 269. *Qualis*, qoemadmodum ventus matutinis horis spirando. *Horrificans*, crispum efficiens. *Proclivas*, antique, pro *proclives*; tranquillas, complanatas agitat. *Clementi*, leni, blando spiritu impulsae moventur, fragoremque tenuem cachinno, seu lasciviori risui similem emittunt. *Increbrescunt*, ital. *sempre più s' ingrossano, si fanno spesse.*

V. 275. *Nantes*, fluctuantes, instabiles procul resplendent rubicunda aurorae luce. *Vestibuli*, vestibulum regalis domus. *Ad se*, domum quisque suam repetebat pedibus undequaque errantibus, diversi diversas vias carpentes. *Post abitum.* A mortalium discessu accedunt semidei gratulabundi: deinde Jupiter cum coetu Deorum universo, *Vulp. Princeps*, primus omnium *Peli*, celeberrimi Thessaliae montis. *Chiron*, Thessalus eques e Centaurorum genere, prudentiae ac doctrinae laude clarissimus, qui ab hominum frequentia remotus montium ac silvarum solitudine delectabatur. Achillis praeceptor fuit.

V. 280. *Quotcumque*, flores attulit Chiron, campestres, montanos, ripis fluminum gaudentes, *Vulp. Ora*, terra Thessala producit. *Propter*, prope, secundum, *Indistinctis*, acervatim et nullo ordine contextis. *Vulp. Plexos*, implicatos, intermixtos. *Permulsa*, delinita, ital. *addolcita*, laetata est regia suavi odore.

Confestim Peneos adest, viridantia Tempe,
Tempe, quae silvae cingunt superimpendentes,
Mnemonidum linquens doctis celebranda choreis,
Non vacuus: namque ille tulit radicitus altas
Fagos, ac recto proceras stipite laurus;
Non sine nutanti platano, lentaque sorore
Flammati Phaetontis, et aeria cupressu;
Haec circum sedes late contexta locavit,
Vestibulum ut molli velatum fronde vireret:
Post hunc consequitur solerti corde Prometheus,
Extenuata gerens veteris vestigia poenae,

V. 285. ***Peneos***, Thessaliae fluvius; Tempe Thessala perluens. ***Tempe***. Neut. indecl. n. pl. Hic autem sequimur lectionem Doeringii. ***Adest Peneos***, (fluvius Thessaliae) linquens Tempe, quae superimpendentes silvae cingunt, doctis Mnemonidum choreis celebrandas, non vacuus (non sine muneribus).

V. 286. ***Superimpendentes***, consitae in verticibus montium circumstantium, ***Vulp. Ille***, Peneus. ***Radicitus***, ab radice evulsas. ***Recto***, recta in sublime productas, ***Idem. Platano***, Genio et Baccho, diis laetitiae datoribus consecrata, ***Vulp.***

V. 290. ***Lentaque sorore***, scil. populo, in quam arborem tradunt fabulae, Haeliadas, Solis et Clymenes filias, dum fratrem Phaetontem, fulmine ab Jove ictum, ad Eridanum lugerens, miseratione Deorum fuisse conversas, ***Vulp*** Ex populi cortice electrum fluere, lacrymarum instar, sibi persuaserunt poetae. ***Flammati***, fulgure icti. ***Aeria***, alta. ***Haec contexta***: arbores contextas, simul implicitas. Observa usum ***neutrius***, nam proprie debebat esse ***has contextas***. ***Velatum***, inumbratum, vel amictum; ut vestibulum regiae domus Pelei mollibus virentibusque frondibus inumbraretur.

V. 294. ***Post hunc***, Peneum. ***Solerti corde***, sagaci ingenio, consilio prudenti. ***Extenuata***, pene deleta, evanescentia in brachiis et cruribus signa veterum vinculorum, quibus ad Caucasum alligatus fuerat, quod Jovem in distribuendis carnibus decepisset: quod viros ac mulieres effinxisset; quod ignem e caelo clam surripuisset, eumque hominibus tradidisset. Solverat autem Jupiter Prometheum e Caucasi rupibus, quod hic eum a Thetidis nuptiis deterruisset, objecto metu filii, qui olim patri regnum et libertatem erepturus esset, qua de re superius diximus.

Quam quondam silici restrictus membra catena
Persolvit, pendens e verticibus praeruptis,
Inde pater Divûm sancta cum conjuge, natisque
Advenit caelo, te solum, Phoebe, relinquens,
Unigenamque simul cultricem montibus Idri:
Pelea nam tecum pariter soror aspernata est,
Nec Thetidis taedas voluit celebrare jugales;
Qui postquam niveos flexerunt sedibus artus,
Large multiplici constructae sunt dape mensae.
Quum interea infirmo quatientes corpora motu,
Veridicos Parcae coeperunt edere cantus.
His corpus tremulum complectens undique quercus,

V. 296. *Silici*, ad petram, ad rupem compedibus ac manicis alligatus. *Verticibus*, ex altis praeruptisque Caucasi rupibus. *Conjuge* Junone. *Natisque*, puta Vulcano, Mercurio etc. *Phoebe*. Ait Apollinem et Dianam sororem ejus nuptiali convivio non interfuisse. Apollo enim pro Trojanis olim acriter pugnaturus; et Achillem Thetidis filium sagitta interfecturus erat, *Vulp. Unigenam*, Dianam uno partu cum Apolline a Latona editam, *Idem. Cultricem*, habitatricem. Reliquit ergo Jupiter Apollinem et Dianam, qui servarent atque incolerent montes Idri. *Idem. Idri*, Idrus mons est Cariae, in quo plura oppida Phoebo et sorori ejus consecrata, *Idem. Aspernata est*, fastidivit, conspectu suo non est dignata, *Idem. Jugales*, conjugales, scil. nuptias.

V. 303. *Flexerunt*. Qui Dii postquam omnes candida membra in sedibus composuerunt. *Multiplici*, plurimis diversi generis cibis. *Quatientes*, jactantes debili motu. *Motu*, vel propter anilitatem; vel, quod caput et reliquum corpus jactare, vaticinantium erat, *Vulp. His*, subaudi *erat*: *complectens erat*, pro *complectebatur*, Idem. *Quercus*. Ita legitur in vett. codicibus, hoc autem accipiendum est, vel de veste picta, cui species quercus intexta fuerit; vel vera quercu, seu quernis ramis. Parcarum corpora velantibus, qui ora purpurea ita incingerentur, quo pacto coronae limbis, fimbriis, et lemniscis nonnumquam ornari solebant. Quercus arbor fuit fatidica, ut ex oraculo Jovis Codonaeo praecipue manifestum est: idcirco Parcis deabus fatidicis apprime conveniens, *Idem.*

Candida purpurea quam Tyro incinxerat ora.
At roseo niveae residebant vertice vittae,
Aeternumque manus carpebant rite laborem,
Laeva colum molli lana retinebat amictum;
Dextera tum leviter deducens fila supinis
Formabat digitis; tum prono in pollice torquens
Libratum tereti versabat turbine fusum:
Atque ita decerpens aequabat semper opus dens,
Laneaque aridulis haerebant morsa labellis,

V. 308. *Candida Tyro*, Nympha pulcherrima, Salmonei filia, lanificii ac textrini scientissima, *Idem*, *Purpurea ora*, limbo purpureo, fasciola nempe vel instita assuta, quae talos operiret. Hujusmodi vestem latini *praetextam* appellavere. *Idem*. *At roseo*. Catullus ex more Poetarum epitheta permutasse dici potest; ut vertendo, *roseus* ad *vittas*, et *niveus* ad *verticem* referendum sit. Nisi mavis cum Vulpio legere *Ambrosio niveae* etc. Αμβροσιος autem Graecis est *immortalis*. Putabant veteres maximum vitae robur in capillis consistere: propterea morituri cujuslibet comam Proserpinae forcipibus attonderi credebant. Immo in sacrificiis non ante jugulo victimae culter admovebatur, quam ex ejus capite setae aliquot praeciderentur. Jure igitur optimo comas Deorum et Parcarum *ambrosiae* vocabantur, utpote quae Mortis novaculae obnoxiae non essent. Vulp. *Residebant*, aptae collocatae erant albae vittae in immortalibus earum comis.

V. 310. *Aeternum*, immutabile opus peragebant; quod fati essent ministrae. *Colum*. Cur colus et fusus Parcis tribuuntur? Quod scil. lana colo circumvoluta futurum vitae tempus: quae autem deducta jam et neta fuso imponitur, praeteritum; ipsa vero lanae migratio in fusum, filorumque formatio, praesens horae momentum significet. *Vulp. Retinebat*, tenebat. *Deducens*, attenuans; quod ut filum ducendo. *Supinis*. Nullus unquam pictor, ait Muretus, nentes mulieres tam scienter pinxit. Exprimit enim mulierem, quae dum filum format, digitos supinos, dum vero fusum torquet, eosdem pronos habet. *Pollice*, dextera scil. prono pollice torquens. *Libratum*, suspensum, pendulum. *Tereti turbine*, citata rapida conversione, impetu versabat in orbem.

V. 315. *Opus*, filum. *Lanea morsa*, lanae villi morsu decerpti, ital. *lische strappate co' denti, e morsecchiate*, quae decerptae nentium mulierum labris haerere solent. *Aridulis*, humore, et saliva, defectis quod nentibus mulierculis accidere solet; vel exsuccis propter nimiam senectutem, *Vulp*.

Quae prius in leni fuerant extantia filo.
Ante pedes autem candentis mollia lanae
Vellera virgati custodibant calathisci.
Hae tum clarisona pellentes vellera voce,
Talia divino fuderunt carmine fata,
Carmine, perfidiae quod post nulla arguet aetas.
O decus: eximium magnis virtutibus augens,
Emathiae tutamen opis, clarissime nato:
Accipe quod laeta tibi pandunt luce sorores,
Veridicum oraclum; serves quae fata sequuntur.
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.
Adveniet tibi jam portans optata maritis
Hesperus: adveniet fausto cum sidere conjux,
Quae tibi flexanimo mentem perfundat amore,

V. 317. *Fuerant extantia*, extiterant in tenui filo, antequam decerperentur; ital. *risaltavano*, eminebant. *Candentis*. Candidus lanae color, quum sermo est de Parcarum lanificio, felicem hominis vitam significat; *Vulp. Virgati*, parvi calathi ex virgis versicoloribus contexti, *Idem. Custodibant*, pro custodiebant, servabant.

V. 320. *Pellentes*, impellentes, hortantes. *Vellera* fusos, scil. vellera ducentes *Clarisona*, clara, canora. *Divino*, divinante, futura vaticinante. *Perfidiae*, mendacii, falsitatis accusabit. *O decus*, o Peleu, qui a majoribus acceptam nobilitatem tuis ipse magnis virtutibus cumulare atque adaugere non desinis, *Vulp. Emathiae*, tutela terrae Thessaliae, quae olim Emathia vocata fuit. Haec lectio veterum MSS. teste Vossio, qui contendit, *opis* usurpatum pro *terrae*, ut Ceres puta pro frumento etc *Idem. Nato*, Loquuntur Parcae de Achille in lucem olim prodituro tamquam de genito, more scil. vatum atque oraculorum, quibus futura praesentia sunt. *Idem*

V. 325. *Pandunt*, revelant, patefaciunt hoc laeto die. *Sorores*, Parcae. *Serves*, observes, inquiunt, deinceps futuros casus, eosque conferas cum vaticinio, ut ipsius veritatem rerum eventu cognoscere possis: *Vulp. Ducentes*, ital. *correte torcendo*, *affrettatevi a torcere. Subtemina. Subtemen*, filum est, quod stamini radio textoris inseritur. Persius et Plinius *tramam* appellant, *Vulp. Hesperus* Hujus enim stellae exortu novas nuptas in virorum domos deduci consuevisse supra docuimus. *Flexanimo*, animum quan-

Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.
Nulla domus tales umquam contexit amores,
Nullus amor tali conjunxit foedere amantes,
Qualis adest Thetidi, qualis concordia Peleo.
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.
Nascetur vobis expers terroris Achilles,
Hostibus haud tergo, sed forti pectore notus:
Qui persaepe vago victor certamine cursus
Flammea praevertet celeris vestigia cervae,
Currrite, ducentes subtemina, currite, fusi.
Non illi quisquam bello se conferet heros,
Quum Phrygii Teucro manabunt sanguine rivi:
Troicaque obsidens longinquo moenia bello
Perjuri Pelopis vastabit tertius heres,
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.

tumvis ferum emolliente ac flectente, *Vulp.* potenti, vehementi, amore tibi animum devinciat.

V. 332. *Contexit*, tecto operuit, clausit; excepit tam pares tamque felices amores. *Tali foedere*, tali vinculo: tam fida conjunctione. *Adest*, est. *Expers terroris*, impavidus, fortissimus. *Haud tergo*, magna Achillis commendatio. *Notus*, scil. noscendus. *Vago*, veloci, aperto certamine cursus. *Certamine.* Pedum celeritatem Homerus Achilli peculiariter tribuit; *Muret.*

V. 339 *Flammea vestigia*, velocissimos pedes. Nihil enim flamma concitatius. *Praevertet*, antecedet, currendo superabit. *Non quisquam heros.* Frustra enim Cygnus, ac Telephus, atque Hector ipse Trojanorum fortissimus cum Achille pedem contulerunt. Diomedes etiam, Ajaces, Menelaus, Ulysses, Agamemnon Achilli de militari virtute concesserunt, *ex Vulp.* *Phrygii rivi.* Xantus et Simois, qui, dum Troja a Graecis oppugnaretur, saepius Trojanorum sanguine fluxerunt. *Longinquo*, diuturno, utpote in decimum annum protracto, *Vulp.*

V. 344. *Perjuri.* Nam Pelops Myrtilo Oenomai aurigae, multa pollicitus, si se in certamine adjuvaret, ut Hippodamiam obtineret, postquam victor evasit, fidem praestare noluit, eumque in mare praecipitavit: a quo Myrtoum pelagus est appellatum, Vide Hyginum Fab. 84. *Tertius heres*, Agamemnon. Nam Pelops moriens Atreo filio regnum reliquit. Atreus Tyestae fratri, Thyestes Agamemnoni fratris filio, *Vulp.*

Illius egregias virtutes, claraque facta
Saepe fatebuntur gnatorum in funere matres:
Quum in cinerem canos solvent a vertice crines.
Putridaque infirmis variabunt pectora palmis.
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.
  Namque, velut densas prosternens messor aristas,
Sole sub ardenti flaventia demetit arva,
Trojugenûm infesto prosternet corpora ferro.
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.
  Testis erit magnis virtutibus unda Scamandri,
Quae passim rapido diffunditur Hellesponto.
Quojus iter caesis angustans corporum acervis,
Alta tepefaciet permixta flumina caede.
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.
  Denique testis erit morti quoque dedita praeda:

V. 346. *Virtutes*, puta robur corporis, et animi magnitudinem. Ceteroqui enim, Achillem veris et philosopho dignis virtutibus omnino caruisse, satis indicat Horat. Art. Poet. v. 120. *Idem*.

V. 348. *Quum in cinerem*, Haec est meliorum codicum lectio. *Solvere crines in cinerem*; est solutos et demissos crines infuso cinere foedare, quod solebant in luctu. Vel *in cinere* dixit poeta, pro cineri: nam consanguinei capillum sibi secabant in funeribus, et super carorum sepulcris, tamquam ipsis consecratum, reponebant; *Idem*. *A vertice*, a capite. *Variabunt*, lividis ictuum notis distinguent; *Muret*. Livida efficient pectora tunsa debilibus palmis.

V. 351. *Prosternens*, falce secans. *Prosternet*, demetet hostili gladio, *Virtutibus*, rerum ab illo praeclare gestarum. *Scamandri*, Scamander, qui et Xantus fluvius est qui ab Ida profluens, in Hellespontum, Troade irrigata, prorumpit. *Passim*, longe lateque. *Rapido*. Angusto enim Hellesponti alveo, inter Seston et Abydon, aqua maris inclusa velocius fluit. *Vulp*. *Iter*, alveum. *Angustans*, coarctans. *Tepefaciet*. Hujus voci alteram syllabam poeta per licentiam producit, *Vulp*. tepidas reddet profundas aquas permixto interfectorum sanguine.

V. 360. *Morti*, subaudi *ejus*; nempe, mortuo Achilli. *Dedita*, data Polyxena, tamquam praedae pars ipsi debita. Desponsa enim fuerat Achilli Polyxena: immo ejus conjugii spe inductus, a Paride per dolum interfectus est. Capta itaque Troja, Pyrrhus Achillis

Quum teres excelso coacervatum aggere bustum
Excipiet niveos perculsae virginis artus,
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.
Nam simul ac fessis dederit Fors copiam Achivis
Urbis Dardaniae Neptunia solvere vincla:
Alta Polyxenia madefient caede sepulcra;
Quae, velut accipiti succumbens victima ferro,
Projiciet truncum, submisso poplite corpus.
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi:
Quare agite optatos animi conjungite amores,
Accipiat conjux felici foedere Divam:
Dedatur cupido jamdudum nupta marito:
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.
Non illam nutrix orienti luce revisens,
Hesterno collum poterit circumdare filo.
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.

filius Polyxenam ad patris sui tumulum perduxit, ibique eam mactavit.

V. 361. *Teres bustum*, Locus in quo cadaver combusserant, extincto rogo, *bustum* vocabatur. *Teres* autem *bustum* dicit propter cippum aut columnam tumulo Achillis impositam, quae procul conspici poterat, *Vulp. Excelso aggere*, nempe in vertice Sigaei promontorii *Coacervatum* constructum. *Niveos*, candidos, formosos. *Virginis*, Polyxenae, scil. perculsae, hoc est, ictae, mactatae, more victimarum. *Fessis*, diuturna oppugnatione fatigatis, *Vulp*.

V. 364. *Dedit copiam solvere*, potestatem solvendi fecerit, *Idem. Fors*, fortuna, quae fraudi Graecorum se propitiam praebuit, *Idem. Neptunia vincla*, murorum compages, muros urbis Trojae a Neptuno et Apolline regi Laomedonti aedificatos. *Alta sepulcra*, tunc altus Achillis tumulus perfundetur sanguine Polyxenae. *Ancipiti*, bipenni utrinque acuta, qua popae olim utebatur ad victimas occidendas, *Vulp Projiciet*, tamquam rem minimi pretii. *Idem Submisso*, inflexo, defecto, ut ait Ovidius.

V. 370. *Conjungite*, simul jungite, quod optatis, animi affectus. *Accipiat*, ital *tolga*. *Conjux*, Peleus *Divam*, Thetidem. *Dedatur*, tradatur. *Cupido*, jamdudum cupienti. *Orienti luce*, primo mane. *Hesterno filo*, monili, quo heri usa fuerat, *Vulp*. Alio enim latiore Thetidi jam nuptae opus erit.

Anxia nec mater discordis moesta puellae
Secubitu, caros mittet sperare nepotes.
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.
Talia profantes quondam, felicia Pelei
Carmina divino cecinerunt omine Parcae.
Praesentes namque ante domos invisere castas
Saepius, et sese mortali ostendere coetu
Caelicolae, nondum spreta pietate, solebant.
Saepe pater Divûm templo in fulgente revisens
Annua quum festis venissent sacra diebus,
Conspexit terra centum procurrere currus.

V. 377. ***Discordis***, proficiscentis, metaphora ab amne ducta, quem discordem ex eo dicit Horatius, quod in duas se diffidat partes; sensusque est: mater moesta ob Thetidem a se abeuntem spe nepotum solatur.

V. 381. *Profantes*, praedicentes, vaticinatae. *Felicia Pelei carmina*, quae Peleo felices rerum eventus praecinebant ac praenuntiabant, *Vulp*. *Omine*, ital. *annunzio*. *Praesentes*. Quamdiu homines pietatem coluerunt, Dii cum ipsis familiariter crebro versari solebant: at ex quo, pietate neglecta, vitiis inquinata sunt omnia, videri se ab eis amplius noluerunt, *Muret*. *Praesentes*, conspicui. *Ante* olim, primis temporibus. *Castas*, nullo scelere contaminatas, honestas. *Coetu*, pro *coetui*. *Pietate*, Deorum religione, innocentia, fide, justitia, etc.

V. 385. *Fulgente*, vel ob ignem sacrificiorum, vel ob parietes, et laquearia inaurata. *Vulp*. *Revisens*, homines invisens. *Annua sacra*, Ludi antiquissimi, cultui Jovis consecrati, in quibus Jupiter ipse cum Saturno lucta certavit. Curetes vero primi cursu palmam petiverunt, si Pausaniam audimus. Hi fortasse apud Cretenses, eorum auctores, annui fuerunt: postea vero quam ab Hercule in Elidem translati sunt, tertio quoque anno celebrari coeperunt, donec tandem quinquennales fierent, *Idem*. Bene animadvertit Gnarinus, hoc de ludis Olympicis intelligi non posse, quippe qui annui non fuerint, sed nimirum quum Cretes apud se natum esse Jovem dicerent, credibile est, ejus natalem annuis celebrare solitos esse: eosque respicere Catullum puto, *Muret*.

Saepe vagus Liber Parnassi vertice summo
Thyadas effusis evantes crinibus egit :
Quum Delphi tota certatim ex urbe ruentes
Acciperent laeti Divum spumantibus aris.
Saepe in letifero belli certamine Mavors,
Aut rapidi Tritonis hera, aut Rhamnusia virgo.
Armatas hominum est praesens hortata catervas.
Sed postquam tellus scelere est imbuta nefando
Justitiamque omnes cupida de mente fugarunt :
Perfudere manus fraterno sanguine fratres :
Destitit exstinctos gnatus lugere parentes :
Optavit genitor primaevi funera gnati,

V. 388. *Vagus*, Errabundus cum Satyris, et Maenadibus, vel quod longinquas Indorum regiones peragravit ; vel quod idem sit atque sol, quem *vagum* superius appellavit, *Vulp. Parnassi*, qui mons non solum Apollini et Musis, verum et Baccho sacer fuit, *Idem. Thyadas*, Bacchas, *Evoe* vel *Evan* clamantes, quae Liberi patris cognomina fuerunt. *Egit* autem pro *impulit*, *Idem.*

V. 390. *Delphi*, nomen urbis notissimae ad Parnassi radices positae : praeterea ipsorum incolarum, *Idem.* Quum Delphi turmatim erumpentes ex urbe tota, acciperent Deum, nempe Bacchum aris lacte spumantibus *Accipere*, verbum est, ait Vulpius, convivatorum, et hospitium praebentium, ital. *trattare.*

V. 393. *Tritonis hera.* Pallas, quae apud paludem Tritonidem (hanc in Africa Triton amnis efficit) armata primum apparuit. *Rhamnusia*, Adrastea, seu Nemesis, Dea superbis, et prosperam sortem bene ferre nescientibus infesta. Rhamnusiae cognomentum sortita fuit a Rhamnunte Atticae regionis pago, ubi templa et sacerdotes habuit. Bellis propterea interfuit, quod ad ipsam injurias ulcisci, ac trophea de victis hostibus figere pertineret, *Idem. Armatas*, pro armatorum hominum catervas. *Praesens.* ital. *in persona.*

V. 395. *Scelere*, sceleribus nefariis *Cupida*, avida, plus justo habere concupiscente. *Perfudere*, polluerunt, macularunt; *Lugere parentes*, Scelus enim putandum est, aut patris mortem optare, aut levissime ferre, et sine ullo doloris argumento *Primaevi* ; adolescentuli, vel adhuc pueri.

Omnia fanda, nefanda, malo permista furore
Justificam nobis mentem avertere Deorum.
Quare nec tales dignantur visere coetus,
Nec se contingi patiuntur lumine claro.

V. 400. *Fanda*, omnia justa injusta simul confusa per impium furorem hominum. *Justificam*, vel justam, vel quae in hominibus justitiam efficiat, *Vulp*. *Mentem*, voluntatem, animum. *Avertere*, abalienarunt a nobis. *Tales coetus*, homines scil. tot tantisque sceleribus pollutus.

V. 403. *Contingi*. *Contingi*, vel est compositum a *tangor*, ut sententia sit: Dii non patiuntur se impuris hominum manibus contrectari, dum lucet, in medio foro atque aliis conventibus: vel est compositum a *tingor*, quo pacto scripsit Lucretius l. 2. v. 754. *Proinde colore cave contingas semina rerum*. Atque ita *contingi lumine*, idem fere erit ac *contingi colore*; quam veriorem explicatione existimo. Significat poeta, non videri, aut occurrere vulgo Deos interdiu; sed noctu solum et per somnia: aut occurrere quidem, verum crassiori aere circumdatos *Vulp*.

XXXVII.

Excusat se Hortalo familiari suo, homini literato, quod ei paullo tardius Elegiam proxime sequentem, quam ipse de Callimacho verterat; mittat legendam, ut ei pollicitus fuerat se facturum. Justam vero caussam tarditatis affert, nempe acerbissimum animi dolorem ex recenti fratris morte susceptum, quam piis admodum atque elegantibus versibus deplorat.

Etsi me assiduo confectum cura dolore
Sevocat a doctis, Hortale, virginibus:

V. 1. *Confectum*, enectum propemodum et consumtum, *Vulp*. *Cura*, moeror ex fratris morte. *Sevocat*, separat. *Virginibus*, a doctis puellis, scil. musis. *Hortale*. M. Hortali, Q. Hortensii oratoris nepotis, pauperrimi hominis, mentio fit apud Tacitum Annal. l. 2. cap. 37. et apud Svetonium in Tiberio cap. 47. Hunc nostri poetae amicum fuisse interpretes putant, *Vulp*.

Nec potis est dulces Musarum expromere foetus
Mens animi : tantis fluctuat ipsa malis :
Namque mei nuper Lethaeo gurgite fratris
Pallidulum manans alluit unda pedem.
Troja Rhoeteo quem subter litore tellus
Ereptum nostris obterit ex oculis.
Alloquar? audiero ne unquam tua facta loquentem ?
Nunquam ego te , vita frater amabilior ,
Adspiciam posthac ? At certe semper amabo ,
Semper maesta tua carmina morte canam.
Qualia sub densis ramorum concinit umbris
Daulias , absumti fata gemens Ityli.
Sed tamen in tantis moeroribus , Hortale, mitto

V. 3. ***Expromere***, producere. ***Foetus***, foetus musarum sunt carmina. ***Mens animi***, ingenium. Ita saepius locuti Plautus, Lucretius, et alii veteres, ***Idem. Fluctuat***, vexatur, agitatur. ***Mei fratris***, quem Catullus unice amabat. Hic in Troade mortem obiverat, Catullo absente, atque in Rhoeteo ejus regionis promontorio sepultus fuerat, ***Vulp. Lethaeo gurgite***, lente ac leniter fluens aqua irrigavit pallidos pedes mei fratris in amne Lethaeo; quo significat fratrem nuper mortuum ad inferos descendisse , per quos Lethe amnis labitur. ***Manans***, manare est lente ac leniter fluere, ***Vulp. Troja tellus***, nempe Trojana, Troica; vel ita dictum, quemadmodum ***terra Italia***, ***terra Africa***, ***Idem. Litore***, sub litore Rhoeteo, scil. Rhoetei promontorii. ***Obterit***, gravat, opprimit, sepulti ossibus injecta. V.

V. 9. ***Alloquar?*** hic versus abest a plerisque codicibus MSS. nihil tamen absoni continet, nec facile ob orationis nexum desiderari potest. ***Vulp. Tua facta***, de tuis rebus gestis te loquentem. ***At certe***. Quod unum solatium mihi reliquum est, amare et celebrare nunquam desistam, ***Vulp. Tua morte***, ob tuam mortem, vel a tua morte potissimum scribendi materiam petens, ***Idem. Qualia***, carmina scil. canere solet Progne, fatum deplorans Itys a patre devorati. Progne Pandionis Athenarum regis filia , uxor Terei Thracis , qui in Haulide Phocidis urbe , Parnasso monti propinqua regnavit. Ityn filium occidit, patrique inter epulas comedendum praebuit , ut Philomelam sororem suam , cui Tereus vim fecerat , ulcisceretur. Tereus re cognita , stricto gladio persecutus est Prognen , quae miseratione Deorum in lusciniam mutata est. Rem

Haec expressa tibi carmina Battiadae :
Ne tua dicta vagis nequidquam credita ventis
Effluxisse meo forte putes animo ,
Ut missum sponsi furtivo munere malum ,
Procurrit casto virginis e gremio ,
Quod miserae oblitae molli sub veste locatum ,
Dum adventu matris prosilit , excutitur ,
Atque illud prono praeceps agitur decursu :
Huic manat tristi conscius ore rubor.

alii aliter narrant. Virgilius Philomelam uxorem Terei fuisse videtur opinari. Ecl. v. 80.

V. 16. *Expressa.* Alii legunt *excerpta*, alii *experta*. *Battiade*: Callimachi, grammatici et poetae doctissimi. Hic Battiades appellatus fuit, vel quod Battum in progenitoribus numeraret, vel potius a Cyrene patria, quam Battus condiderat, *Vulp*. *Vagis*, rapidis, levibus *Credita*, commissa, tradita. *Effluxisse animo*, memoria excidisse. *Ut missum.* Ne putes tua dicta ita ex meo animo affluisse, ut malum e gremio virginis solet, *Muret*. Ut malum furtim ab amatore, vel futuro sponso missum muneri. *Procurrit* ital *sdrucciola*, excurrit. *Virginis*, puellae.

V. 21. *Locatum*, quod repositum sub tenui veste infelicis puellae quae oblita fuerat. *Prosilit*, propere exsurgit ad matris adventum. *Prono*, declivi spatio praeceps devolvitur. *Manat*, ital. *a lei si affaccia sullo smarrito volto il rossore, che dà indizio del fatto*. *Conscius*, tribuit pudori qui puellae pudibundae conveniat. Scil. hoc exprimere voluit, oblitus quidem sum paullulum, quod tibi promiseram, sed ita oblitus sum, ut virgo nonnunquam id quod in maximis habet deliciis, oblivisci, et hujus oblivionis caussa, re subito oculis ejus subjecta, pudibundo rubore suffundi solet.

XXXVIII.

Ptolemaeus cognomento Evergetes Berenicen, seu Beronicen, Ptolemaei Philadelphi ex Arsinoe priore filiam, sororem suam, in matrimonio habuit. Ea repens ducta contigit, ut expeditionem adversus Assyrios susciperet; in quam quum proficisceretur vovisse crinem suum Veneri Berenice dicitur, si sibi vir suus sospes victorque rediret domum. Cujus devotionis suae, quum, re praeclare a Ptolemaeo gesta, convictam se judicio Deorum immortalium videret; quo se religione exsolveret, crinem rite in Veneris aede appendit. Is quum postridie repertus non foret, magnoque ob eam rex reginaque in moerore essent, Conon astronomus ea tempestate excellens, ipsis persuasit, crinem Deorum numine sublatum in Caelum, et in sidus conversum fuisse. Muretus. *Carmen Callimachi, ex quo Veronensis poetae elegia, sane pulcherrima tota expressa est, injuria temporis jampridem intercidit: si pauca fragmenta excipias. Utinam vero id Carmen exstaret. Profecto ejus ope multa in Catullo foede corrupta restitui possent.*

Omnia qui magni dispexit lumina mundi
Qui stellarum ortus comperit, atque obitus:
Flammeus ut rapidi solis nitor obscuretur;
Ut cedant certis sidera temporibus,

V. 1. *Omnia.* Coma ipsa Berenices in hac Elegia perpetuo loquens inducitur, *Vulp. Dispexit*, accurate perlustravit. *Lumina*, sidera *Mundi*, caeli. *Comperit*, compertos habet, animadvertendo novit. *Obscuretur.* Quod contingit quum interposita luna Sol prohibetur, quominus radios ad nos usque transmittat. *Cedunt*, discedant ex nostro aspectu, occidant. *Certis*, definitis. *Sidera*, Sidus proprie dicitur stellarum in unam figuram congregatio; ital. *costellazione*, ex *Vup.*

Ut Triviam furtim sub Latmia saxa, relegans
Dulcis amor gyro devocet aerio :
Idem me ille Conon caelesti in lumine vidit
E Bereniceo vertice caesariem
Fulgentem clare : quam multis illa deorum
Levia protendens brachia, pollicita est ;
Qua rex tempestate novo auctus Hymenaeo,
Vastatum fines iverat Assyrios.
Conjugiumne novae oderunt nuptae ? anne parentum
Frustrantur falsis gaudia lacrimulis,

V. 5. *Triviam*, Lunam. Trivia dicta fuit, vel quod in triviis coleretur; vel ob triplicem faciem, cornutam scil. dimidiatam, plenam ; vel quod triplicem Dianae sive Hecatae potestatem tribuerit antiquitas in caelo nempe, in silvis, et apud inferos, *ex eod. Latmia saxa*, Latmus Cariae mons, in quo venabatur Endymion formosus adolescens, a Luna dilectus, in fabulis notissimus. Ad hunc caelo relicto Lunam ventitare solitam fuisse narrant, *Idem*. In Latmium montem tamquam exsulem furtim relegans, ital. *confinandola*. *Amor*, quos scil. Endymionem amabat. *Gyro aerio*, eam ex orbita circulorum caelestium, ex orbe, cursu caelesti deducat. *Conon*, Samius astronomus insignis. *Caelesti in lumine*, inter caelestia sidera conspexit me comam e capite Berenices recisam lucide micare.

V. 9. *Multis deorum*, multis diis, vel deabus, puta Veneri, Juventae, Musis. *Levia*, mollia tenera brachia ad caelum tollens. *Pollicita est*, vovit. *Tempestate*, quo tempore Ptolemaeus *novo auctus Hymenaeo*, uxore recens ducta. De producta ultima in voce *auctus* vide supra Carm. *Vesper adest*, ubi producitur ultima *dicetur* propter sequentem vocem aspiratam. *Vastatum*, depopulatum Syriae agros, provincias.

V. 13. *Conjugiumne*. Coma Berenices ait se dubitare, utrum ex animo doleant puellae quum ad viros deducuntur, an potius falsis lacrimis laetitiam parentum obturbent. Caussam vero dubitandi hanc affert: quod Berenice, discedente Ptolemaeo, graviter fortunam suam lamentata sit; id profecto alioqui non factura, si tantopere a conjuge et conjuge abhorruisset, ut puellae nubentes videri volunt abhorrere, *ex Vulp. Frustrantur*, defraudant, irrita faciunt, frustrari videntur ; falsae enim sunt lacrimae, et vi expressae, non verae.

Ubertim sponsi quas intra limina fundunt ?
 Non, ita me Divi, vera gemunt, jüerint.
Id mea me multis docuit regina querelis.
 Invisente novo proelia torva viro.
Ut tu nunc orbum luxti deserta cubile,
 Et fratris cari flebile discidium,
Quum penitus moestas exedit cura medullas,
 Ut tibi nunc toto pectore sollicitae
Sensibus ereptis mens excidit! At te ego certe
 Cognoram a parva virgine magnanimam.

V. 15. ***Ubertim***, abundanter, affluenter. ***Non ita***. Ordo syntaxeos paullo perturbatior. ***Non gemunt vera***, scil. non vere et ex animo gemunt, ***ita divi juverint me***, sic me dii adjuvent, mihi adsint propitii. ***Juerint***. Videntur antiqui prius dixisse ***juo*** et ***juare***, deinde vero ***v*** geminavisse. Hinc Ennius apud Ciceronem de ***Senect.*** ab initio: ***O Tite, si quid ego adiuero curamve levasso.***

V. 17. ***Me docuit***, fecit ut intelligerem non vere scil. dolere ***Invisente***, dum novus conjux Ptolemaeus, cui paullo ante nupserat, ad crudele bellum proficisceretur. ***Ut tu nunc***. ***Ut*** est particula admirantis; et ***nunc*** pro ***tunc*** saepissime dici solet. Vide Bruman. ad Ovid. Heroid. XVIII. v. 95. ***Discidium***, absentiam, separationem corporum tantum, non animorum. ***Fratris***. Non Ptolemaeus Evergetes Berenicen sororem suam, uxorem duxerat, exemplum secutus Ptolemaei Philadelphi patris sui, qui germanam Arsinoen sibi matrimonio junxerat (neque enim ea conjunctio inhonesta Aegyptiorum legibus habebatur) repudiata et relegata priore Arsinoe, Lysimachi regis filia, quam in Deos relatam, sub nomine Veneris Arsinoes, vel Zephyritidis Aegyptii coluerunt, ***ex Vulp.*** ***Cari***, dilecti. ***Flebile***, ital. ***amaro, doloroso distaccamento, separazione***. Doluisti duabus de caussis, ait Coma; Ptolemaeo a te discedente, et quod is tibi vir esset, et quod frater.

V. 21. ***Quum*** quandoquidem. ***Cura***, dolor, aegritudo, quam de viro absente suscepisti, penitus tibi corrodit viscera. ***Sollicitae***, tibi dolore oppressae defecit animus a rectis sensibus; a recte sentiendo alienatus est; rectos sensus oblita fuisti. ***A parva***, ab eo tempore, quum esses virguncula. ***Magnanimam***, magno animo praeditam, fortem. Quae magni animi specimina ediderit Berenice in adolescentia, refert Hyginus lib. 2. Astronomicon cap. 24.

Anne bonum oblita es facinus, quo regium adepta es
　Conjugium, quod non fortior ausit alis?
Sed tum moesta virum mittens, quae verba locuta es!
　Juppiter, ut tristi lumina saepe manu!
Quis te mutavit tantus Deus? an quod amantes
　Non longe a caro corpore abesse volunt?
Atque ibi, me cunctis pro dulci conjuge Divis
　Non sine taurino sanguine pollicita es,
Si reditum tetulisset! is haud in tempore longo, et
　Captam Asiam Aegypti finibus adjiceret:
Queis ego pro factis caelesti reddita coetu

V. 25. *Bonum*, memorabile. *Adepta es*, pro meruisti, ut frater te conjugem ceteris omnibus puellis praeoptaret. *Quod non fortior*, quod alius nemo e numero fortium perficere aut suscipere auderet, *Vulp.* Fortasse facinus illud significat, quod ab Hygino memoratur qui refert, Berenicen, quum Ptolemaeus pater, hostium multitudine perterritus fuga salutem peteret, in equum insiliisse, et reliquam exercitus copiam constituisse et complures hostium interfecisse, reliquos in fugam conjecisse. *Alis*, pro *alius.* Sic apud Lucret. *alis* pro *aliud. Mittens*, dimittens, ital. *nell'accommiatar dolente lo sposo*, qualia verba, quam plena scil. amoris, et doloris. *Tristi*, pro *trivisti*, oculos fatigasti lacrimis identidem abstergendis.

V. 29. *Quis tantus Deus*, tam potens Deus, tanta virtute. Cupidinem intelligit, Deorum potentissimum, *Vulp. Mutavit*, ital. *t'ha fatto cangiar naturale*, ut prae dolore tabesceres, quum antea tam fortis ac magnanima esses? *An quod*, an hoc factum est, tantae mutationis caussa haec fuit? *Corpore*, ital. *oggetto. Ibi*, tum. *Taurino sanguine*, taurorum immolatione. Vota tum fecisti tauros immolando omnibus diis pro caro conjuge, si domum incolumis rediisset.

V. 33. *Tetulisset*, pro *tulisset*, antique, nempe rediisset. Sic alibi *reditum ad vada tetulit*, pro *rediit. Haud in tempore longo*, haud longo brevi tempore: *in* redundat. *Asiam*, Syriam, Asiae partem debellatam, devictam, Aegypti imperio adjecerat *Queis pro factis*, pro quibus rebus praeclare gestis, insignibus Ptolemaei victoriis. *Caelesti coetu*, pro *coetui*, caelestium siderum choro adnumerata, inter sidera caeli recepta. *Reddita*: quae diis vota et promissa sunt, reddi dicuntur, *Vulp.*

Pristina vota novo munere dissoluo.
Invita, o regina, tuo de vertice cessi,
Invita: adjuro teque tuumque caput:
Digna ferat, quod si quis inaniter adjurarit;
Sed qui se ferro postulet esse parem?
Ille quoque eversus mons est, quem maximum in oris
Progenies Thiae clara supervehitur:
Quum Medi peperere novum mare: quumque juventus.

V. 36. *Pristina*, antiqua vota. *Novo*, numquam antea excogitato. *De vertice cessi*, a tuo capite recessi, me sejunxi. *Adjuro*, juro per te ipsam, et per caput tuum, per quod siquis temere et frustra juraverit, scil. pejeraverit, ferat digna, meritas nempe pro tanto scelere suscepto poenas luat.

V. 40. *Postulet*, qui sibi sumat, sibi tantam vim arroget, ut ferro se obsistere posse confidat? Invita cessi de tuo capite, sed ferro me tondenti resistere non potuit. *Ille quoque*. Exemplo a re maxima et celeberrima petito, quod cum ferri virtute comparari possit. Nam si montes ferro evertuntur, quid capillis fiet, infirmissimae omnium rei? *Vulp. Maximum*, insigni altitudine, altissimum. Montem Athon, inter Thraciam et Macedoniam situm, a planitie excurrere in mare per LXXV. mill. pass. tradit Plinius lib. 5. Nat. Hist. cap. 10. de ejus altitudine ita Solynus Polyhist. cap. 17. *Est sane Athos sublimis adeo, ut altior aestimetur, quam unde imbres cadunt.*

V. 41. *Eversus*; si ferro etiam ille latissimus mons excisus est. *in oris*, scil. in litoribus: quem olim navibus supervecta est clara progenies Thiae, Medorum nempe natio e Thia Hyperionis conjuge oriunda. Thia enim fuit mater Solis, Sol autem genuit Aeetam Colchorum regem, cujus filii Medea et Medus; unde Medorum natio: qui propterea *Thiae progenies* dici recte possunt. Sic ex Vulpio explicat Vossius. Bentlejus tamen rectius existimat. Solem ipsum hic intelligendum esse, ut haec sit sententia, *Quid crines adversus ferrum facient, quum ferro eversus sit Athos, omnium montium supra quos sol vehitur, maximus etc. Clara*, rebus praeclare gestis nobilis si de Medis intelligas; quo in casu, *supervehitur* erit *supervecta* est, scil. navibus: tempus praesens pro praeterito. *Peperere*, fecerunt, formarunt, aquas enim Aegei maris, fossa excavata, circum radices Athonis duxerunt.

Per medium classi barbara navit Athon.
Quid facient crines: quum ferro talia cedant?
Juppiter, ut Chalybon omne genus pereat!
Et qui principio sub terra quaerere venas
Institit, ac ferri fingere duritiem.
Abiunctae paullo ante comae mea fata sorores
Lugebant, quum se Memnonis Aethiopis
Unigena impellens nutantibus aera pennis
Obtulit Arsinoes Chloridos ales equus.

V. 44. *Per medium ... Athon.* Si Pomponium Melam audiamus, is in lib. 2. de situ Orbis cap. 2. haec habet: *Athos ... longe dorso procedit in pelagus: qua continenti adhaeret, a Xerxe in Grajos tendente perfossus, transnavicatusque, et factus freto navigabili pervius. Classi navit* pro classe navigavit. *Barbara juventus* Xerxis exercitus. *Juppiter*: Formula, optantium et voventium, *Vulp. Chalybon*; χαλυψ υβος, pro ferri acie graece usurpantur. Chalibes, populi Scythae fortissimi, ferro praecipue cudendo insignes.

V. 47. *Principio*, primum. *Venas*, ferri metalla, fodinas. *Institit*, studiose operam dedit quaerendis ferri fodinis. *Fingere*, formare malleo, ducere, atque ita humanis usibus accomodare, *Vulp. Abjunctae*, Comae sorores (ital. *le altre treccie mie sorelle, compagne*) a me paullo ante disjunctae, separatae. *Mea fata*, meum infortunium quod scil. mihi invitae a vertice Berenices discedendum fuerit. Non enim capillos omnes Berenices sibi absciderat, sed tantum eos, qui capitis verticem ornabant. *Comae sorores*, Catullo sunt crines ad tempora, ad frontem, ad occipitium relicti, *Vulp. Memnonis,* Memnon Tithoni ex Aurora filius fuit, qui subsidia Trojanis ex Orientis finibus venit.

V. 51. *Unigena*, frater uterinus, nempe ex eadem matre genitus, quamquam ab alio patre. Ventos enim Astraei et Aurorae filios esse tradit Hesiodus in Theogon. v. 378 *Vulp. Nutantibus*, trepidantibus alis aerem verberans. *Obtulit*, sese mihi exhibuit in templo. *Arsinoes Chloridos.* Hanc postea Zephyritidem appellat. Ceterum Arsinoe Ptolemaei Philadelphi conjux, nomine Chloridos et Veneris ab Aegyptiis colebatur, V. *Ales equus*, Zephyrus, sive Argestes, quem ventum Chloridi, florum Deae, tribuebant, *Vulp.* Alatus equus Chloridos Arsinoes, frater uterinus Memnonis, sese mihi, in templo sibi dicato obtulit, ubi suspensa fueram, meque abripiens in Caelum transtulit.

Isque per aetherias me tollens advolat umbras
Et veneris casto collocat in gremio.
Ipsa suum Zephyritis eo famulum legarat,
Grata Canopaeis in loca litoribus
Sidere ibi vario ne solum limite caeli
Ex Ariadneis aurea temporibus
Fixa corona foret; sed nos quoque fulgeremus
Devotae flavi verticis exuviae.

V. 53. *Umbras*, noctu enim Coma e Veneris aede sublata fuit, *Vulp. Zephyritis*; vel quod Chloris uxor esset Zephyri, vel potius a Zephyrio Aegypti promontorio, ubi Arsinoes insigne templum fuit, *Idem.* Arsinoe, quae et Chloris, et Zephyritis dicebatur. *Eo*, illuc in Zephyrium promontorium, ubi templum erat. *Famulum*, Zephyrum, seu Argesten miserat, tamquam legatum, cum hoc mandato, ut me tolleret, et in Caelum transferret. *Grata in loca*, nempe in Aegyptum, regionem sibi gratissimam, cujus quondam regina fuerat, *Vulp. Canopaeis litoribus.* A Canopo insula et urbe Aegypti celeberrima, prope id Nili ostium sita, quod ab ea Canopicum vel Canopium dictum est, *Id.* Hic quoque versus, inquit Muretus, Oedipi ingenium desiderat. Tu nisi id rectiùs noveris, ita interpreteris: Chloris ipsa miserat Argesten famulum suum eo (scil. in templum a Ptolemaeo Philadelpho in promontorio Zephyrio extructum) in locum nempe gratum litoribus Canopaeis h.e. habitatoribus Canopi scil. Aegyptiis, qui Arsinoen sub nomine Veneris Arsinoes, et Chloridos, et Zephyritidis praecipuo honore colebant; vel in loca, in regionem sibi gratam ad Nili ripas. Nam inter Aegyptum et Cyrenaicam regionem, in qua est Veneris templum, Nilus interfluit.

V. 57. *In vario limite caeli*; in caeli regione variis sideribus distincta: *limes caeli* est certa quaedam caeli regio; sensus ergo est; in caelo tot tamque variis sideribus relucente non solum collocata esset aurea, coruscans Corona ex capite Ariadnes; sed ibi fulgeremus etiam nos exuviae flavi capitis Berenices Diis promissae, consecratae. *Corona*. Quum Ariadna Libero nuberet in insula Dia, hanc primum Coronam muneri a Venere et Heris accepisse dicitur, quum omnes Dii in ejus nuptiis dona conferrent. Hanc postea Bacchus in caelum sustulit, et sideribus annumerari voluit. Hoc sidus positum est ad Scorpionem. *Vulp. Flavi.* Flavi crines apud veteres in pretio erant, in reginis praecipue commendabantur, *Idem.*

Uvidulam a fletu, cedentem ad templa Deûm, me
Sidus in antiquis Diva novum posuit
Virginis et saevi contingens namque Leonis
Lumina, Callisto juncta Lycadoniae,
Vertor in occasum, tardum dux ante Booten,
Qui vix sero alto mergitur Oceano.
Sed quamqum me nocte premunt vestigia Divum,
Luce autem canae Tethyi restituor,
(Pace tua fari haec liceat, Rhamnusia virgo:

V. 61. *Uvidulam a fletu*: quam invita enim coma de vertice Berenice cesserit, testatur ipsa v. 37. 38. Sensus est: Quum ego ad templa Deorum inciderem, h. e. ad caelum accederem, Diva Venus collòvavit me sidus novum madefactum lacrymis inter antiqua sidera. *Ad templa*; ex augurum disciplina templum erat locus apertus, ex quo plagae mundi omnes aspici poterant; et caelestia etiam spatia *templa* vocabantur, *Vulp.*

V. 63. *Virginis*. Namque contingens sidus Virginis, et fere Leonis, vicina Callisto Lycaonis filiae, vertor in occasum veluti praecedens tardum Booten, qui sero vix mergitur, occidit, profundo Oceano, ital. *piego all'occaso, tramonto, facendo come da guida, prima del pigro Boote. Virginis.* Qua in regione caeli posita sit Coma Berenices, ab aliorum siderum vicinitate luculenter ostendit. Habet autem hoc sidus ab ortu Booten, sive Arctophylaca, ab occasu dorsum leonis, a septentrionibus posteriores pedes Ursae majoris, a meridie Virginem. Callisto, Lycaonis Arcadum regis filia, Dianae comitum una fuit. Hanc Juno zelotypa in ursam convertit: Juppiter vero ex ursa sidus fecit Helices nomine, ac prope polum Arcticum in caelo collocavit; *Vulp. Namque Leonis.* Legendum puto *Nempe*, quod egregie quadrat *ex Doeringio. Sed quamquam.* Quamquam, inquit, cum honorem assecuta sim, ut noctu quidem vestigia me Deorum, caelo incedentium premant: interdiu autem una cum ceteris stellis Tethyos gremio, id est, mari excipiar; tamen laetitiam ex his rebus tantam non capio, quantum dolorem ex eo, quod haerere amplius in dominae capite non possum, *Muret. Vestigia*, pedes.

V. 68. *Luce*, interdiu. *Restituor*, in oceanum recidens, gremio excipior, in gremium Tethyos redeo. *Canae*, antiquae, vel ob spumantes fluctus, albicanti. *Pace tua.* Quia arrogantius videri poterat quod dictura erat, se non tanti facere siderum consortium, ut non mallet adhuc in Dominae capite haerere, idcirco prius Nemesin deprecatur; Nemesis enim magnifica verba, superbasque

Namque ego non ullo vera timore tegam,
Non, si me infestis discerpant sidera dictis,
Condita quin vere pectoris evolüam)
Non his tam laetor rebus, quam me abfore semper,
Abfore me a dominae vertice discrucior:
Quicum ego, dum virgo quondam fuit, omnibus explens
Unguentis, una millia multa bibi.
Nunc vos optato quas junxit lumine taeda
Non prius unanimi, corpora, conjugibus
Tradite (parva peto, nec vos indebita posco)

animi cogitationes punire solita erat. *Tegam*, celabo, reticebo non me timor impediet, quominus vere id quod sentio eloquar.

V. 71. *Non, si me.* Etsi scirem fore, ut sidera, quorum consortium sperno, contumeliosis dictis me lacerarent; non potest fieri, ut ego sincere non explicem, aperiam secreta, arcana animi mei. *His rebus*; quod nimirum superi me pedibus noctu premant, et diurno tempore cum Oceani uxore familiariter mihi versari liceat, *Vulp.* Intellige igitur, hac sorte, hoc honore, quo fruor. *Me abfore discrucior*, quantum discrucior, quod in perpetuum abfutura sim.

V. 75. *Omnibus explens. Explens* passive: scil. se explens; expleta. Et sic sensus est: in cujus vertice olim cum virgo esset Berenice, et omnibus se expleret et saturaret unguentis, multa simul millia unguenta bibi, ital. *a molte miglioja di volte m'unsi di mirra.* Virgines honestiores olim ab unguentis abstinebant, et simplici oleo capillum ungebant. Mirrha vero, nobilissimis tantum virginibus sine reprehensione ungi licebat (quod succus illae plantae in unguentis non haberetur: haec enim fere composita erant). Ejusdem vero abusus puellis plebejis vitio vertebatur, insignemque in illis morum corruptelam significabat, ex *Vulp.*

V. 77. *Nunc vos.* Ordo syntaxeos hic est: *Nunc vos, quas taeda junxit lumine optato, non prius tradite corpora conjugibus unanimis* (peto parva, nec posco vos indebita) *quam onyx libet mihi munera jucunda.* Novas nuptas orat Coma ut in ipsius honorem aliquam unguenti partem libent. *Lumine*, die. *Taeda*, fax nuptialis. Taedis enim accensis nova nupta ad mariti domum deducebatur. *Indebita*, injusta, mihi non convenientia.

Quam jucunda mihi munera libet onyx :
Vester onyx, casta colitis quae numina mente:
Namque ego ab indignis praemia nulla peto.
Sic magis, o nuptae, semper concordia vestras
Semper amor sedes incolat assiduus.
Tu vero, regina, tuens quum sidera, Divam
Placabis festis luminibus Venerem :
Sanguinis expertem, non votis esse tuam me,
Sed potius largis effice muneribus.
Sidera cur retinent? Utinam coma regia fiam,
Proximus Hydrochoi fulgeret Oarion.

V. 80. *Libet*, effundat in aram, spargat. *Onyx*, vasculum ex onyce sive alabastrite, lapide pretioso, quo veteres unguenta servabant. *Vulp. Praemia*, sacrificia videlicet, ac libationes, *Idem.*

V. 88. *Sic magis*, Quum haec praestiteritis, o nuptae, spondeo vobis e sententia omnia eventura ; maritosque vestro ex animo vos deinceps amaturos. Vel est precatio et votum felicitatis, *Vulp. Sedes*, domos. *Tuens quum sidera:* qui enim rem divinam facerent, aut Deos orarent, oculos et manus ad caelum attollere consueverant, *Vulp. Placabis*, Veneri facies vota, supplicabis. *Festis luminibus*, diebus festis. *Venerem*, Arsinoen.

V. 87. *Sanguinis expertem*, Veneris enim arae nihil sanguinis offundebatur. Sensu est ; funde mihi unguenta, quae scis a me omnibus hostiis longe anteferri, *Vulp. Non votis esse tuam me.* Non promissis tantum, sed largis potius muneribus a Venere impetrare stude ut in caput tuum redire patiatur. Caput enim tuum, o regina, unde sum ablata, caelo ipsi praeferendum semper existimavi, *Idem.*

V. 89. *Sidera cur retinent?* subaudi *me*. *Utinam*, Dii faciant, ut iterum fiam coma regia. *Proximus*, Hoc sibi vult Catullus : Ne ego Coma Berenices diutius in caelo sim ; conjungantur sidera pluvia, nempe Hydrochous et Orion, ut nimius aquarum casus orbem terrarum inundet ; perturbetur astrorum ordo, et disjunctissima quaeque sidera unum in locum concurrant ; id per me licet; nihil pensi habeo. *Hydrochoi*, Hhydrochoos Graecis est Aquarius seu Ganymedes, unum e duodecim signis Zodiaci, *Hydrochoi* autem tertius est casus, ita fere declinatus quemadmodum ab *Orpheus*, dativus *Orphei*, *Vulp. Fulgeret*, pro *fulgeat*, a *fulgero*. Ita Scaliger, cui favent miro consensu vetusti codices, *Id. Oarion*, pro *Orion* per epenthesin.

XXXIX

Pulcherrima omnino haec Elegia est, atque haud scio, an ulla pulcrior in omni latina lingua reperiri queat. Nam et dictio purissima est: et mira quadam affectum varietate permixta oratio, et tot ubique aspersa verborum ac sententiarum lumina, ut ex hoc uno poemate perspicere liceat, quantum Catullus ceteris in hoc genere omnibus praestare potuerit, si vim ingenii sui ad illud excolendum contulisset. Primum enim quod Manlium in duris atque acerbis rebus suis, ea quae sibi solatio forens, ab ipso potissimum petere voluerit, gratam sibi esse affirmat illam amicitiae significationem. Quum autem ille duorum generum munera peteret, Musarum videlicet, et Veneris hoc est carmen quoddam consolatorium et suave, ostendit neutrum a se praestari posse; quod e fratris sui morte tantum dolorem hauserit, ut eorum rerum studia ipsi penitus ex animo exciderint. Postremo beneficia a Manlio apud se posita elegantissimis versibus commemorat, eique fausta feliciaque omnia a diis immortalibus comprecatur.

Quod mihi fortuna, casuque oppressus acerbo:
Conscriptum hoc lacrimis mittis epistolium,
Naufragum ut ejectum spumantibus aequoris undis
Sublevem, et a mortis limine restituam;

V. 1. *Fortuna*, infortunio, Manlius hic in diversis rebus suis moerore oppressus consolationem a Catullo per epistolam quaesivit. *Lacrimis*. Tamquam in scribendo Manlius lacrimis pro atramento sit usus. *Epistolium*, brevem epistolam. *Naufragum*, ut ibi, tamquam naufrago, adversae scil. fortunae casibus exagitato, auxilium praebeam, praesto sim. *Limine*, mortis faucibus.

Quem neque cura gravis molli requiescere somno
Exiguo saltem tempore perpetitur;
Nec veterum dulci scriptorum carmine Musae
Oblectant, cum mens anxia pervigilat:
Id gratum est mihi, me quoniam tibi ducis amicum
Muneraque, et musarum hinc petis, et Veneris.
Sed, tibi ne mea sint ignota incommoda, Manlì;
Neu me odisse putes hospitis officium:
Accipe queis merser fortunae fluctibus ipse,
Ne amplius a misera dona beata petas.
Tempore quo primum vestis mihi tradita pura est.
Jucundum cum aetas florida ver ageret,
Multa satis lusi: non est Dea nescia nostri,
Quae dulcem curis miscet amaritiem,

V. 5. *Molli*, placido. Mollis dicitur somnus, qui molles et ignavos efficit. *Scriptorum*, quos assidue versabant Catullus, et, ut videtur, Manlius quoque. *Oblectant*, recreant. *Anxia*, moerore oppressa. *Ducis*, reputas; amicitiae argumentum tuae mihi praebes. *Musarum et Veneris*, puta versiculos blandisonos, *Vulp.* atque hinc a me petis carmina, sed amorem spirantia, quae amorem concilient. *Incommoda*, mea mala, infortunia. *Hospitis officium*, quod hospes ab hospite ex hospitii jure exigere potest; ergo non amicitiae tantum, sed hospitii quoque vinculo Noster cum Manlio conjunctus fuit. *Doering*.

V. 13. *Merser*, quibus adversae fortunae acerbitatibus opprimar ego ipse *Beata*, quae a beato et divite solum proficisci possunt, *Vulp.* ital. *doni da farsi da chi ha il cuor contento, e felice. Vestis pura*, toga virilis, quae unicolor, nempe candida erat: quum vestis puerorum filis purpurae intexta limboque purpureo praetexta esset. Hanc vestem adolescentes induebant anno aetatis 16. quum praetextam puerilem deposuissent, *Vulp. Jucundum ver*, quum florida aetas mea laeto adolescentiae tempore; ital. *quando la mia età nel suo fior godea ec.* Adolescentia veri a poetis comparatur.

V. 17. *Lusi*, ital. *scrissi ben delle fole, mi divertii bene a scriver versi piacevoli.* Carmina, praesertim blandiora, poetae *lusus* vocant. *Non est nescia* ital. *ha pur troppo contezza di me*, recte novit me Venus, *quae dulcem amaritiem curis miscet.* Id sepius imitatur Petrarcha, et vocat *il dolce amaro.*

Sed totum hoc studium luctu fraterna mihi mors
Abstulit. O misero frater ademte mihi.
Tu mea, tu moriens fregisti commoda, frater,
Tecum: una tota est nostra sepulta domus:
Omnia tecum una perierunt gaudia nostra,
Quae tuus in vita dulcis alebat amor.
Cujus ego interitu tota de mente fugavi
Haec studia, atque omnes delicias animi.
Ignosces igitur, si, quae mihi luctus ademit,
Haec tibi non tribuo munera, cum nequeo,
Nam, quod scriptorum non magna est copia apud me,
Hoc fit, quod Romae vivimus: illa domus,
Illa mihi sedes, illic mea carpitur aetas:
Huc una ex multis capsula me sequitur.

V. 19 *Luctu*, Exquisitiore forma pro: *luctus fraternae mortis*. *Abstulit*, ademit, abrupit. *Fregisti commoda*, ital. *hai rovinato gl' interessi miei*. *Trcum una*, eodem sepulcro tecum quasi tumulata, qui ejus et columen et praesidium fueras, *Vulp*. *Gaudia*, ital. *gioje, contentezze*. *In vita*, dum vivebas. *Alebat*, fovebat, in sinu excitabat. *Delicias*, solatia, dilectationes. *Luctus*, aegritudo, dolor ex morte fratris susceptus.

V 29. *Scriptorum copia*. Excusat se Manlio, quod negotiis familiaribus impeditus, et necessaria librorum ope destitutus, versibus faciendis, quos Manlius ab ipso petiverat, par esse nequeat. *Scriptorum* vel est a recto *scriptum*, vel potius a *scriptor*. Si a *scriptum* derivemus, vel accipiendum erit de scriptis veterum poetarum, quae assidue Catullus volvebat, vel de lucubrationibus nostri poetae, *Vulp*. ital. *non molta quantità di libri, di scritti*. *Fit* accidit, evenit. *Romae vivimus*, habitamus, Veronae enim sumus tamquam peregrini, et apud hospitem; Romae autem stabile domicilium habemus. *Domus*, Roma mihi domicilium est. *Sedes*, habitatio. *Carpitur*, deteritur, et fit minor: verbum a nentibus translatum, *Vulp*. *Capsula*, ex multis librorum capsis unam tantum eamque exiguam huc, scil. Veronam mecum converi, quae libellos aliquot, comites viae continet.

Quod cum ita sit, nolim statuas, nos mente maligna
Id facere, aut animo non satis ingenuo;
Quod tibi non utriusque petiti copia facta est:
Ultro deferrem, copia si qua foret.
Non possum reticere, Deae, qua Manlius in re
Juverit, aut quantis juverit officiis,
Ne fugiens saeclis obliviscentibus aetas
Illius hoc caeca nocte tegat studium.
Sed dicam vobis. Vos porro dicite multis
Millibus, et facite haec charta loquatur anus.
Omnibus inque locis celebretur fama sepulti,
Notescatque magis mortuus atque magis:
Ne tenuem texens sublimis aranea telam.

V. 33. *Statuas*, judices, tibi persuades. *Maligna*, Ital. *per mal talento*, mala voluntate. *Ingenuo*, sincero, liberali. *Utriusque*, scil. duarum rerum, quas a Catullo Manlius petiverat. *Petiti copia facta est*, Ital. *che io non ti abbia condisceso nella richiesta d'ambedue le cose*. Ultro, non exspectarem dum peteres, verum ipse non rogatus, et mea sponte tibi gratificari vellem, *Vulp*. Ital. *senza esser pregato ti servirei, ti contenterei*. *Copia si qua foret*, si quo modo possem; ital. *se avessi modo, se fossi in istato*. *Deae*, Musae.

V. 38. *Juverit*, scil. me *Officiis*, ital. *quanto segnalati favori m' abbia fatto*. *Fugiens aetas*, ne tempus fugiens volventibus saeculis quae omnia obliviscuntur, ital. *onde il tempo che fugge col volger de' secoli, che tutto obliano, di tutto fan perder la memoria*, sepeliat nigrantibus oblivionis tenebris illius erga me caritatem. *Vobis*. Ad Musas enim potissimum pertinere credebant pulcrorum facinorum memoriam perennem et incorruptam servare. Erant enim Jovis filiae ac Memoriae, *Vulp*. *Multis millibus*, ital. *a mille a mille*. *Tacite loqatur*, subaudi *ut*. Date operam ut haec charta etiam vetusta loquatur, Ital. *che queste carte ancor vecchie ne parlino*.

V. 43. *Omnibus*. Versum hunc Catulli non esse, et in plerisque antiquis codicibus hoc loco lacunam apparere monent interpretes. Ceterum Octo codices, et editiones omnes versum hunc praeferunt, *Doering*. *Sepulti*, illius postquam fuerit sepultus. *Sublimi*, ital. *in alto*, vel in aere pendula.

Deserto in Manlì nomine opus faciat.
Nam mihi quam dederit duplex Amathusia curam
Scitis, et in quo me corruerit genere :
Quum tantum arderem, quantum Trinacria rupes:
Lymphaque in Oetaeis Malia Thermopylis;
Moesta neque assiduo tabescere lumina fletu
Cessarent, tristique imbre madere genae.
Quali in aërii pellucens vertice montis
Rivus, muscoso prosilit e lapide.

V. 46. *In deserto nomine.* In titulo statuae supposito. Collocabant enim veteres majorum suorum simulacra in atriis domnum privatarum: at cum haberentur negligentius, pulvere, situ, fumo, rubigine, aranearum telis foede inquinabantur, *Id. Opus faciat*, ital. *lavori*, in neglecto nomine.

V. 47. *Duplex.* Duplicem appellat Venerem, vel quod mores ejus dese fallaces, et longe a simplicitate absint; vel quod se amatoribus modo propitiam, modo iratam praebeat, iisque mel felle mixtum bibendum porrigat, ex *Vulp. Dulpex*, i. e. dolosa, versuta, *Muret.* Ab Amathunte Cypri urbe Venus dicta Amathusia, ubi paecipua religione colebatur. *Curam*, solicitudinem. *In quo genere*, scil. vecordiae. *Trinacria rupes*, Aetna mons ignivomus in Sicilia, hodie *Mongibello. Lympha Malia.* Aquae calidae lavacra significat poeta, quae in Oeta Thessaliae monte fuerunt prope Thermopylas Herculi dicata. *Thermopylis*, Thermopylae fuerunt angustae fauces inter mare et praeruptos montes, per quas ex Thessalia in Phocidem, Lochridem, ac Boeotiam olim transibatur. Ab aquis calidis appellatae videtur. Hos porro montium aditus paene inaccessos, pylas graeci, nempe portas vocabant, *Vulp.*

V. 61. *Tabescere*, ital. *struggersi in continuo pianto. Tristi imbre*, tristibus lacrimis, *amare lagrime*. *Quale levamen* aestatis tempore lasso, et sudanti viatori est dulcis rivus, et quale solatium venti secundi afflatus nautis tempestate jactatis praebet, tale mihi in amore meo Manlii fuit auxilium. *Muret. Aerii*, in aerem altius insurgentis. *Pellucens*, limpidus. *Prosilit*, ital. *spiccia. Muscoso.* Muscus herba quaedam est minuta, instar lanuginis, quae arboribus et saxis aqua madescentibus adnascitur, ex *Vulp.*

Qui cum de prona praeceps est valle volutus,
Per medium densi transit iter populi,
Dulce viatori lasso in sudore levamen,
Cum gravis exustos aestus hiulcat agros;
Ac velut in nigro jactatis turbine nautis
Lenius adspirans aura secunda venit,
Jam prece Pollucis, jam Castoris implorata:
Tale fuit nobis Manlius auxilium.
Is clausum lato patefecit limite campum,
Quo mea se molli candida Diva pede
Intulit, et trito fulgentem in limine plantam
Innixa, arguta constitit in solea:

V. 55. *De prona*, qui cum praeceps devolutus est per pronam vallem. Est autem tmesis in verbo *Devolutus*, *Muret. Prona*, declivi; per declivem vallem defluxit. *Per medium iter*, per medias vias frequentis oppidi, a frequenti populo tritas. *In sudore*, dum sudore madet, in aestu. *Hiulcat*, findit, hiulcos reddit, humore nimirum detracto, quo glebae cohaerent, *Vulp. Nigro turbine*, quia nigras nubes adducit, vel e nigris nubibus erumpit, *Idem. Lenius*, leniter spirans. *Venit*, advenit, est. *Jam preces*, modo Pollucis, modo Castoris auxilio invocato. Castor et Pollux, in tempestate nautis apparentes, fausta ac felicia tranquillitatis signa esse dicuntur. Qui mediterraneum mare navigant, hoc sidus appellant *Fuochi di S. Ermo.*

V. 63. *Is clausum.* Campum, quem latissimum habebat, mihi patefecit, secumque communem esse voluit, *Muret.* Angustum campum spatiosis mihi finibus dilatavit. *Molli pede*, molliter, et delicate posito. *Diva*, formosa puella, ital. *la vaga mia Diva. Se intulit*, se contulit, intravit. *Et trito*, et innixa arguta solea constituit in limine trito fulgentem plantam, ital. *ed in galanti scarpe, pianelle, fermo posando sulla logora soglia il brillante piede. Trito*, quia teruntur limina frequenti hominum aditu et abitu. *Fulgentem*, quod soccum, vel soleam aureis vinculis nexam haberet, *Vulp. Innixa*, insistens, vel habens, argutas soleas. *Arguta*, pulcra et concinna, quippe venusti et exiguo pedi accommodata. Nisi dicamus argutam soleam, stridulam esse; quae nimirum inter ambulandum crepitum edit. Id porro soleis accidit, novis praesertim, quae nondum usu mollitae ac subactae sunt, *Vulp. Solea.* His utebantur domi: coenaturi autem eas deponebant, ne stragula lecti tricliniaris inquinarent, servoque a pedibus dabant custodiendas *Id.*

Conjugis ut quondam flagrans advenit amore,
 Protesilaeam Laudamia domum
Inceptam frustra, nondum cum sanguine sacro
 Hostia caelestes pacificasset heros.
Nil mihi tam valde placeat, Rhamnusia virgo,
 Quod temere invitis suscipiatur heris;
Quod jejuna pium desideret ara cruorem,
 Docta est amisso Laodamia viro,
Quod scibant Parcae non longo tempore abesse,
 Si miles muros isset ad Iliacos:

V. 67. *Conjugis*, quemadmodum olim Laodamia ardens amore sponsi adiit domum Protesilai, *Laodamia*. Ea uxor Protesilai fuit, quae cum maritum suum primum ex omnibus Graecis in bello Trojano ab Hectore interfectum esse audisset, nimio illius desiderio contabuit. Sunt qui dicant obtinuisse Protesilaum, ut ex inferis ad visendam reverteretur; quumque eam reperisset adjacentem imagunculae, qua viri mortui exprimendum curaverat, petii se, ut ne sibi amplius superstes esse vellet; tum ipsam, acta perpectus hasta, sibi mortem attulisse. Quod autem tam brevi tempore maritum suum amiserit, Catullus Deorum iram in causa fuisse dicit, utpote quibus ante nuptias sacra rite perpetrata non forent, *Muret. Inceptam frustra*, imperfectam; cum enim quis uxorem ducit, is familiam orditur; deinde susceptis liberis, tum demum familiam perficit, *Vulp. Hostia*. Ante nuptias igitur victimae diis mactabantur, praesertim a viris principibus. *Id. Caelestes Heros*, Deos superos. *Pacificasset*, Deorum caelestium benevolentiam conciliasset.

V. 71. *Nil mihi tam valde*, nulla res tantopere mihi placeat. *Invitis heris*, contra Deorum voluntatem, ut solent audaces adolescentes, a consilio et rerum usu omnino imparati. De Rhamnusia virgine scil. Nemesi, Dea superbis et insolentibus infesta, alio loco diximus. *Jejuna*, vel nondum sanguine imbuto, vel diutius neglecta, et propterea quasi cruorem sitiens. *Vulp. Pium*, religiose effusum, sacrum. *Docta est*; experta est Laodamia, quae virum amisit ob neglecta sacrificia.

V. 75. *Quod scibant*: nempe conjugium abruptum iri post breve tempus: vel non ignorabant Parcae, brevi futurum, ut Laodamia viveret sine marito. *Scibant* pro *sciebant*, *Vulp. Isset*, si Protesilaus una cum reliquis Graecis copiis militatum ad Trojam ivisset *Idem*.

Nam tum Helenae raptu primores Argivorum
Coeperat ad se Troja ciere viros;
Troja nefas commune sepulcrum Europae, Asiaeque
Troja virûm, et virtutum omnium acerba cinis;
Quae nempe et nostro letum miserabile fratri
Attulit, hei misero frater ademte mihi!
Hei misero fratri jucundum lumen ademtum!
Tecum una tota est nostra sepulta domus
Omnia tecum una perierunt gaudia nostra,
Quae tuus in vita dulcis alebat amor.
Quem nunc tam longe non inter nota sepulcra,
Nec prope cognatos compositum cineres,

V. 71. *Raptu*, ob Helenae raptum, vel eo tempore quo Helena rapta est, *Idem*. *Primores*, principes. *Ciere*. Invitabat enim quodammodo proceres Graecorum ad ultionem civitas injusta et superba, *Idem*. *Troja nefas*, illa, inquam, Troja exsecranda, infanda. *Commune sepulchrum*. Perinde enim Graecorum duces ac Trojanorum in eo bello interfecti sunt, *Vulp*. *Acerba cinis*, immatura cinis fortissimorum omnium heroum; quae immaturae mortis caussa fortissimis omnium heroum exstitit. *Acerba cinis*; eodem modo Propertio *horrida pulvis* dixit, *Vulp*. *Quae nempe*. Fraternae mortis recordatione, quam refricabat Trojae cogitatio iterum Poeta abripitur, *Muret*. Suspicatur Palladius Fuscus, Catulli fratrem eo tempore apud Trojam e vita excessisse, quo Fimbria, Marianarum partium homo crudelissimus, urbem illam evertit, Sylla dominante. Cujus facti meminit Florus Epit. lib. 83. Histor. ac Tit. Liv. ex *Vulp*.

V. 83 *Jucundum lumen*, dulce solatium ademtum mihi fratri tuo infelici; vel *jucundum lumen*, et jucunda vita erepta infelici suo fratri. *Nota sepulcra*, scil. familiae sepulcra, in quibus consanguineorum erant reliquiae. *Cognatos cineres*, cognatorum, propinquorum cineres. *Compositum*. Ossa mortuorum, quae ex incendio rogi superfuissent, manibus propinquorum lecta, urnis condebantur; atque ita condita in sepulcris collocabantur; quod *componere* dicebant. *Vulp*. ital. *assettato*, *collocato*.

Sed Troja obscoena, Troja infelice sepultum
Detinet extremo terra aliena solo.
Ad quam tum properans fertur simul undique pubes
Graeca penetrales deseruisse focos:
Ne Paris abducta gavisus libera sponsa
Otia pacato degeret in thalamo.
Quo tibi tum casu, pulcherrima Laodamia
Ereptum est vita dulcius atque anima
Conjugium; tanto te absorbens vortice amoris
Aestus in abruptum detulerat barathrum
Quale ferunt Graii Pheneum prope Cylleneum

V. 89. *Obscoena*, sinistris auspiciis, inauspicato condita. *Detinet*, remoratur, retinet. *Extremo*, longinquo, vel potius *extremum solum* de litore dictum intelligas; litus enim extrema est continentis pars; et frater Catulli in Troadis litore ad Rhoeteum promontorium sepultus fuerat, ex *Vulp.*

V. 91. *Ad quam*, terram nempe alienam Trojam. Quo fama est, tum graecam juventutem simul ex omni parte propere accurrentem deseruisse Lares domesticos. *Abducta sponsa*. Helenam videlicet, quam Paris Lacaedemone Trojam avexit. *Abducere'*, italis est *menar via*. *Gavisus*, laetus exultans. *Libera otia*, vitam a sollicitudine et curis penitus vacuam transigeret. *Pacato*, tranquillo, securo, ital. *in pacifico soggiorno*. *Quo casu*, qua tempestate, occasione quo belli Trojani eventu. *Dulcius conjugium*, conjux carior vita atque anima.

V. 97. *Tanto vortice*, tanto amoris vortice te absorbuit aestus *(la violenta passione)* ut dejiceret in profundam voraginem. Amoris furorem significat, quo ex omnibus animi perturbationibus nulla est vehementior, et unde difficilius emergitur et enatatur. *Barathrum*. proprie fuit locus profundior Athenis, puteum referens, in quem criminum capitalium damnatos deturbabant, quemadmodum Lacaedemone in Ceadam, voraginem ita appellatam; *Vulp. Quale ferunt*. Quale narrant Graeci fuisse exsiccatum, absorpta palude, exhaustis aquis, lutosum illud solum prope Pheneum, Arcadiae urbem in Cyllene monte. *Pheneum*, Narrat Pausanias in Arcadicis VIII. cap. 14. Herculem Tyrinte ab Eurysteo pulsum, Pheneum se recepisse: cumque Olbius amnis immodica eluvione Pheneaticum agrum demergeret, fossam duxisse longitudine stadiorum LX. sub vicinos montes excurrentem, in quam paludes defluerent, *Vulp.*

Siccare emulsa pingue palude solum ;
Quod quondam caesis montis fodisse medullis
 Audet falsiparens Amphitryoniades :
Tempore quo certa Stymphalia monstra sagitta
 Perculit, imperio deterioris heri :
Pluribus ut caeli tereretur janua Divis ,

V. 100. *Siccare.* Verbo praesentis temporis, utitur poeta ut significet, ad suam usque aetatem Herculis beneficium permansisse. Quotiescumque enim imbres copiosiores in agrum Pheneatem e caelo decidissent, parum in eo immorabantur, se continuo per alveum ab Hercule excavatum, sub terram obruebantur, *Idem. Emulsa*, absorpta, attracta hausta, *Statius. Pingue*, vel lutosum ex imbrium casu, vel fertile, uber.

V. 101. *Quod*, scil. solum. *Caesis medullis*, abscissis, reclusis visceribus montis. *Fodisse*, excavare: *audet*, ausus est. *Falsiparens Amphitrionyades*, ille qui falso putabat se filium Amphitryonis, scil. Hercules a Jove genitus ex Alcmena uxore Amphitryonis, cujus filius vulgo habebatur. *Certa sagitta*, signum propositum attingente; voluntatem sagittarii numquam fallente, *Vulp. Stimphalia.* Refert Pausanias in Arcadicis l. VIII. 22. in Arabiae desertis aves inveniri quas appellent Stymphalidas, pardis ac leonibus nihilo mitiores, tum ea rostrorum duritie, ut vel aenea et ferrea corporis tegumento pertundant. Si vero Stymphalidum sit certum aliquod et perpetuum genus, quemadmodum accipitrum, aquilarum et aliarum avium, censet, eas volucres indigenas esse Arabiae; quarum pars aliqua forte ex Arabia in Arcadiam devolarit ad Stymphalum, unde nomen acceperit eo nomine illustrius quod in Arabia quondam habuisset, *Idem.* Stymphalum Arcadiae oppidum ad Stymphalis montis radices. Stymphalus est enim lacus, et fluminis, et altissimi montis nomen. *Perculit*, dejecit, humi stravit. *Deterioris heri*, Eurysthei Mycenarum tyranni, digni qui potius Herculi serviret, quam ut illi Hercules, *Vulp. Deterioris*, inferioris conditionis.

V. 105. *Pluribus ut caeli.* Ut Hercules Eurysthei jussi perficiens ex Apollinis et Minervae oraculis Deorum numerum augeret, *Muret. Pluribus*, majore deorum numero calcaretur janua caeli, quam hominibus in deorum societatem cooptatis patere necesse fuit.

Hebe nec longa virginitate foret.
Sed tuus altus amor barathro fuit altior illo,
Qui tunc indomitam ferre jugum docuit.
Nam neque tam carum confecto aetate parenti
Una caput seri gnata nepotis alit
Qui, cum divitiis vix tandem inventus avitis,
Nomen testatas intulit in tabulas,
Impia derisi gentilis gaudia tollens,
Suscitat a cano vulturium capite:
Nec tantum niveo gavisa est ulla columbo

V. 106. *Nec longa*, nec diutius Hebe innupta permaneret, sed maritum Herculem sortiretur, *Vulp.* Hebe juventutis Dea, Junonis filia, Diis prandentibus omnibus ex aequo ministrabat: cum Ganymedes Jovis tantum minister esset. Ea Herculi in Deos relato nupsisse dicitur. *Muret. Altus.* Iterum Laodamiam alloquitur. *Altus amor* est profundus, penitus insidiens animo, *Vulp.* Sensus est hujus loci: Imo profundus tuus amor, qui te tum adhuc indomitam (virum nondum expertam) maritale jugum ferre docuit, barathro illo adhuc fuit profundior. Sic, puto, egregie omnia cohaerent.

V. 109. *Nam neque.* Venustissima mollissimi Laodamiae erga maritum amoris comparatio! Vix quisquam enim molliori amoris sensu potest affici quam senex capularis, cui, diu speratus divitiarum heres, dulcissimus nepos ab unica filia natus tandem obtigit. *Una gnata*, unica filia. *Seri nepotis*, sero ex filia nati avo jam decrepito, hi heredem familiarem pene desperanti. *Inventus*, praeter spem susceptus: subaudi *heres. Nomen intulit*, obtinuit, ut nomen suum inferretur in tabulas testamenti, ut heres scriberetur testamento.

V. 113. *Impia gaudia*, quae ex impia cupiditate alieni boni, cui quis inhiat, oriuntur, *Vulp. Derisi.* Cui scil. pinguis offa, ut ita dicam, quam jam adpetebat, et spe devorabat, ex ore deciderit, *Idem. Gentilis* Gentiles, ait Cicero in Topicis 6. appellantur ejusdem familiae, sive nominis homines. *Tollens*, auferens, irrita faciens. *Suscitat*, depellit, abigit. *Vulturium*, heredipetam scil. captatorem, non aliter miseri senis facultatibus, quam vultures cadaveribus, inhiantem, *Vulp. Capite cano* avi sui; ab avo suo sene. *Gavisa est*, ital. *nè tanto mai si compiacque*, dilexit candidum

Compar: quamquam omnis multivola est mulier
Sed tu olim magnos vicisti sola furores,
Ut semel es flavo conciliata viro:
Aut nihil, aut paullo quoi tum concedere digna
Advenit nostram candida diva domum.
Hoc tibi, quod potui, confectum carmine munus
Pro multis Manli redditur officiis:
Ne vestrum scabra tangat robigine nomen
Haec atque illa dies, atque alia, atque alia.

columbum, *compar*, columba conjux. *Multivola*, inconstans, mutabilis voluntatis est femina.

V. 117. *Sed tu.* Laodamiam alloquitur. *Olim magnos furores*: quotquot antiquis temporibus vehementiores umquam fuerunt: tu sola superasti vehementissimos amores antiquorum temporum. *Sola*; incomparabili plane amoris genere prae ceteris mulieribus omnibus. *Ut semel*, ubi primum. *Flavo viro*, Protesilao, quem flavo capillo fuisse narrant scriptores belli Trojani; posuit pro pulchro, *Vulp. Conciliata*, ital. *ti unisti*, *ti legasti al biondo*, *all' avvenente tuo consorte*.

V. 119. *Aut nihil.* Redit tandem poeta, unde digressus fuerat. Respondere igitur debet hic versus versui 67. et 68. Quare omissa Laodamia, ei puellam, de qua superius egerat, confert; quae vel par omnino, vel certe vix inferior haberi merebatur. *Quoi*, Laodamiae. *Concedere*, cedere digna aut nihil, aut certe parum. *Hoc ubi.* Redit tandem ad Manlium. *Quod potui*, ital. *che è quanto ho potuto fare*. *Confectum carmine*, poeticum munus, ex carminibus conflatum. *Redditur*, a me tibi exhibetur, offertur. *Pro multis* ital. *in compensamento delle obbligazioni, che per molti altri favori ti professo*. *Officiis*, meritis erga me.

V. 123. *Vestrum*, tuum. *Tangat*, contegat, obliteret. *Robigine*. Robiginem Catullus hic usurpavit pro damnis vetustatis, quae nomina ac titulos illustrium virorum paullatim obliterat, atque oblivione consumit, *Vulp.*

Huc addent Divi quamplurima, quae Themis olim
Antiquis solita est munera ferre piis.

Huc addent. Deorum scil. beneficentia ea cumulate in te conferentur quae ipse praestare nullo modo possum, *Idem.* Huic meo muneri Dii adjicient plurima alia praemia, quae Themis olim consuevit conferre bonis antiquis. *Themis.* Caeli ac Terrae filia fuit, ut fabulae docent. Eam veteres, tamquam benefacti praemia sceleribus poenas aequa lance dispensantem venerabantur, *Vulp. Antiquis piis*, τὸ *Piis*, pro *substantivo* accipiendum, ut *adjectivum* regat.

XL.

De ingrati animi vitio graviter queritur.

Desine de quoquam quidquam bene velle mereri
Aut aliquem fieri posse putare pium.
Omnia sunt ingrata: nihil fecisse benigne est:
Immo etiam taedet, taedet obestque magis.
Vae mihi, quem nemo gravius, nec acerbius urget.
Quam modo qui me unum atque unicum amicum habuit,

V. 1. *Desine.* Seipsum alloquitur, et a beneficiis in homines ingratos conferendis dehortatur, ne illa sine fructu projiciat, *Vulp. Quidquam*, vel tantillum quidem benefacere ital. *far bene, fare il menomo servizio. Pium*, gratum, accepti beneficii memorem. *Omnia sunt ingrata.* Nullus jam superest qui bene de se merito parem voluntatem tribuat. Vel potius hoc ita explicandum est: Omnia quae ad hanc diem in amicum contulisti, ea perierunt, *Vulp.* ital. *Tutto è perduto il bene che si fa all' amico. Nihil* pro nihilo est bene fecisse, largum et liberalem se praebuisse, *Idem.* Vel *fecisse est*, usurpatur, pro *fieri potest*, ital. *non si possono far più servizj*, nihil prodest bene facere. *Taedet obestque* molestum est, et noxium. *Vae mihi*, ital. *povero, meschino me. Urget*, premit, male habet. *Unicum*, singularem. *Habuit*, putavit.

XLI.

Ex amore ac fide, qua diu amicum prosecutus fuerit, plurima incommoda eaque gravissima, sibi evenisse conqueritur; utque molestissimas inde profectas animi sollicitudines superare tandem ac deponere possit, deorum opem serio implorat.

Si qua recordanti benefacta priora voluptas
Est homini, quum se cogitat esse pium,
Nec sanctam violasse fidem, nec foedere in ullo
Divûm ad fallendos numine abusum homines:
Multa parata manent in longa aetate Catulle,
Ex hoc ingrato gaudia amore tibi.
Nam quaecumque homines bene quoiquam aut dicere possunt,
Aut facere, haec a te dictaque factaque sunt;
Omnia quae ingratae perierunt credita menti.
Quare jam te cur amplius excrucies?

V. 1. *Si qua voluptas*, si quam voluptatem, consolationem experitur homo animo repetens benefacta, quae nempe suo functus officio, recte, ex virtutis praeceptis gessit. *Priora*, praeteritorum annorum. *Pium* justum, probum. *Sanctam*, sancte, inviolate servandam. *Foedere*, pacto nempe convento, contractu, in quo alter alterius fidem sequi solet, *Vulp. Numine*, Deorum testimonio: perjuriis nempe alios decepisse.

V. 5. *In longa aetate*, etiamsi Nestoris vel Sibyllae aetatem superfueris, *Vulp.* Etiamsi aetatem vitam diutissime, ad multos annos produxeris. *Parata manent ibi*: ital. *ti stan preparati. Ex ingrato*, cui scilicet amori par et debita gratia numquam reddita est. *Perierunt*, perdita sunt. *Credita*, facta, animo ingrato commissa; quemadmodum enim agris semina, ita beneficia animis accipientium credunt.

Quin tu animum obfirmas teque istinc usque reducis
Et, Diis invitis, desinis esse miser?
Difficile est longum subito deponere amorem:
Difficile est: verum hoc qualubet, efficias.
Una salus haec est, hoc est tibi pervincendum.
Hoc facias sive id non pote, sive pote.
O Dii, vestrum est misereri, aut si quibus unquam
Extrema jam ipsa in morte tulistis opem;
Me miserum adspicite: et si vitam puriter egi,
Eripite hanc pestem, perniciemque mihi:
Quae mihi subrepens imos, ut torpor, in artus,
Expulit ex omni pectore laetitias.

V. 11. *Animus obfirmas*, cur non animum obduras, ital. *non fai una costante risoluzione? Istinc usque reducis*, cur non removes te in perpetuum ex ista ingrati hominis familiaritatem, et, prope dicam servitute? *Diis invitis*, cur non desinis ipse tibi miseriae, infelicis vitae, caussa esse, diis nolentibus te miserum esse ac dolere, vel potius etiamsi dii nolint, tuoque proposito adversentur? Putabant enim veteres sine ulla deorum opera homines posse recte agere ac beate vivere. *Longum amorem*, inveteratam amicitiam. *Qualubet*, qua scil. ratione, via lubet.

V. 15. *Una salus*, una ex angoribus sollicitudinibusque emergendi via. *Pervincendum*, hoc a te omni contentione obtinendum, ut nempe ingrati homini omnino obliviscaris. *Sive id non pote*, sive id fieri non potes, sive potes. Nam *pote* utraque significatione usurparunt veteres, *Vulp. Si vestrum est.* Qui enim Epicuri sectae nomen dederant, ii deos immortales neque ira, neque gratia, neque misericordia, neque ullo affectu humanorum simili tangi aut moveri credebant, ea omnia infirmitatis indicia esse dicentes, *Id. Si vestrum est*, si proprium est vestrum, si vobis convenit. *Extrema jam*, morti proximis, extremis, ultimis vitae momentis, ital. *già posti in braccio a morte.*

V. 19. *Puriter*, pure, innocenter, sine labe sine scelere. *Eripite*, depellite a me; me liberate ab hac calamitate et aegritudine; vel ab hac perniciosa animi aegritudine. *Subrepens*, se se insinuans sensum ac sine sensu, ut veternus. *In artus imos*, in interiores ossium medullas. *Ex omni*, ex toto animo fugavit pacem ac tranquillitatem.

Non jam illud quaero, contra ut me diligat ille,
Aut, quod non potis est, gratus ut esse velit:
Ipse valere opto, et tetrum hunc deponere morbum.
O Dii, reddite mi hoc pro pietate mea.

V. 23. *Contra ut me diligat*, redamet, mutuam benevolentiam praestet. Itali dicunt *corrispondere in amore*, *riamare*, *Vulp. Non potis est*, scil. facere, quum tali sit natura. *Tetrum morbum*, molesta hac aegritudine liberari. Omnes animi perturbationes *morbos* appellari in Tusculanis scribit Cicero. *Reddite*, persolvite, tanquam mercedem pietati debitam: vel *reddite* pro *date*, *Vulp.*

XLII.

Expostulat cum Rufo gravissime, quod is amicitiae jure violato, quod sibi carissimum erat, eripuisset.

Rufe, mihi frustra, ac nequidquam credite amice?
Frustra? Immo magno cum pretio atque malo:
Siccine subrepsti mî, atque intestina perurens
Mî misero, eripuisti omnia nostra bona?
Eripuisti. Heu heu nostrae crudele venenum
Vitae, heu heu, nostrae pestis amicitiae!

V. 1. *Nequidquam*, nullo cum fructu. Frustra? Correctio Rhetorica. *Pretio*, cum mea gravi jactura, impensa. *Malo*. Damno. *Subrepsti*, pro *subrepsisti*; nempe in meam familiaritatem te callide insinuasti. *Perurens*: mihi misero viscera dilanians, excrucians. *Omnia bona*, nempe id, in quo ego omne bonum collocatum putabam. *Eripuisti*. Repetitio doloris plena.

XLIII.

Juventium irridet atque objurgat, quod ipso post-habito, foedum quemdam hominem Pisaurensem, amicum elegisset.

Nemone in tanto potuit populo esse, Juventi,
Bellus homo, quem tu diligere inciperes:
Praeterquam iste tuus moribunda a sede Pisauri
Hospes, inaurata pallidior statua,
Qui tibi nunc cordi est, quem tu praeponere nobis
Audes? Ah! nescis, quod facinus facias.

V. 1. *In tanto populo*, in tanta populi frequentia, in tanta Romanorum hominum multitudine. *Bellus*, elegans, concinnus. urbanitatis plenus, ital. *uomo di garbo*. *Diligere inciperes*, pro *diligeres*. *Moribunda a sede*. Fortasse quod Pisaurenses aerem pestilentem ducerent, ejusque vitio misere pallerent. Hic autem color morti proximos invadere atque occupare solet. *Moribundam* vero *sedem* dixit, pro *mortiferam*, *Vulp*. Pisaurum, *Pesaro*, Oppidum, in Umbria maritimum, quod praeterlabitur fluvius cognomento Pisaurus. *Hospes*, qui Romae hospitio tuo utitur, et ad quem Pisauri tu divertere soles, *Vulp*. *Inaurata pallidior*. Aurum suapte natura pallidum est. *Cordi est*, acceptus est, animo sedet. *Nobis*, mihi vel Romanis universis, aut saltem amicis meis omnibus, *Vulp*. *facias*, admittas, quum ejus amicitiam nostrae anteponas.

XLIV.

Quintium sodalem suum orat obtestaturque, ut ab eo, quod sibi carissimum est, manum abstineat

Quinti, si tibi vis oculos debere Catullum,
Aut aliud, si quid carius est oculis;

V. 1. *Quinti*. Fortasse hic Quintius lectissimus adolescens est Veronensis, de quo alio in Epigrammate mentionem facit Catullus. *Aut aliud*, vitam puta atque animam.

Eripere ei noli, multo quod carius illi
Est oculis, si quid carius est oculis.

Ei, monosyllabum per synaeresim. *Est oculis*. Quae impensius diligimus, ea cum oculorum caritate comparamus, oculisque haud semel praeferimus, *Vulp*.

XLV.

Arrium quemdam urbane perstringit, quod inter pronuntiandum temere adspiratione uteretur; hoc est H litteram inepte inculcaret ac loco non suo.

Chommoda dicebat, si quando commoda vellet
Dicere, et *hinsidias* Arrius insidias.
Et tum mirifice sperabat se esse locutum,
Quum quantum poterat dixerat *hinsidias*.
Credo sic mater, sic Liber avunculus ejus,
Sic maternus avus dixerit, atque avia.

V. 1. *Chommoda*. Videtur Arrius ab antiquorum consuetudine discedere noluisse, qui, ut testatur A. Gellius, lib. 2, cap. 3. *H litteram inserebant plerisque vocibus verborum firmandis roborandisque, ut sonus earum esset viridior vegetiorque.* Erant autem qui libenter vetustatem et obsoletam pronuntiationem revocarent, ut eruditiores vulgo haberentur: quod et hodie nonnulli faciunt, ex *Vulp*. *Arrius*. Fortasse hic Arrius, ille Arrius fuerit, cujus in Epistolis Tullianis ad Atticum crebra mentio, ex *eod*. *Sperabat*, putabat, sibi blandiebatur. *Quantum poterat*, majore contentione quo poterat, omnî collecto spiritu et erogato, *Vulp*.

V. 5. *Sic mater*, fortasse, quod patre mortuo, educatus, fuisset Arrius apud matrem viduam, matrisque consanguineos, *Vulp*. *Liber*, ingenuus ex liberis parentibus natus, ingenuae ac liberae conditionis. Alii tamen *Liberum*, nomen esse viri proprium existimant: fuit enim *Liber* apud Romanos, ait Scaliger. Dicebantur *Liberi* ex eo, quod exsecto matris utero ipsi liberi evaserant. *Dixerit*. Potentiale est, ut loquuntur Grammatici, *Vulp*.

Hoc misso in Syriam, requierant omnibus aures,
Audibant eadem haec leniter, et leviter,
Nec sibi postilla metuebant talia verba.
Quum subito adfertur nuntius horribili,
Ionios fluctus, postquam illuc Arrius isset,
Jam non Ionios esse, sed *Hionios*.

V. 7. *In Syriam*. Profectus fuerat in Syriam Arrius, ut videtur, vel ipse magistratus, vel saltem praetoris aut proconsulis comes legatusve, *Idem*. *Audibant* pro *audiebant Leniter*. Postquam Arrius ab urbe discessisset, *commoda*, *insidiae*, pleraque alia vocabula ab eo depravata, jam pronuntiabantur ab omnibus *leniter* et *leviter*, id est sine adspirationis molestia, ideoque aures omnium duro sonitu et fragoso diu concussae, tandem requieverant, ital. *con grazia e con dolcezza*.

V. 9. *Postilla* h. e. postea: exempla dabunt Statius, et Vulpius. *Nec metuebant*. Non metuebant scilicet: quod Arrius in Syriam missus fuisset, qui ea tam saepe pronuntiabat, atque omnes aures offendebat *Nuncius horribilis*, nempe ingratus et asper audientibus. *Illuc*, in Syriam. *Non Ionios*. Qui enim ad Asiaticas provincias administrandas mittebantur, a Brundusio Calabriae oppido, quod maris Hadriatici atque Ionii fines attingit, navem solvebant, ac deinceps *Ionium* navigabant, *Vulp*. *Hionios*; sic enim corrupte appellabat Arrius, cujus novae appellationis rumor in urbem pervenerat.

XLVI.

Amicum quendam se amare atque odisse uno eodemque tempore profitetur; caussam vero harum contrarium perturbationum ignorare: ac tantum intimo quodam sensu earum sibi conscium esse.

Odi, et amo. Quare id faciam, fortasse requiris,
Nescio: sed fieri sentio, et excrucior.

V. 1. *Odi et amo*, subaudi *amicum quendam* eodem tempore; cujus formam amabat, mores detestabatur. *Fieri*, in me contingere.

XLVII.

C. Iulium Caesarem, quamquam in Romana republica principem, a se contemni et flocci fieri non dissimulat

Nil nimium studeo, Caesar, tibi velle placere
Nec scire utrum sis albus, an ater, homo.

V. 1. *Nil nimium*, non magnopere curo. Fortasse, ut ait Vossius, Caesare nondum rerum potito haec literis mandavit Catullus. *Velle*, hic abundat. *Utrum sis albus*, Locutio, qua suam de homine aliquo ignorationem latini veteres significabant, *Vulp.* Hunc locum citat Quintilianus lib. 11. suppresso auctoris nomine. Est autem proverbium ad contemptum indicandum, *Muret.*

XLVIII.

C. vel Q. Cornelii Helvii Cinnae, optimi poetae, sodalis sui, SMYRNAM, poema doctissimum, pluriumque annorum spatio accuratissime elaboratum laudibus exornat: contra, Hortensii, mediocris poetae, nimiam in scribendis carminibus celeritatem, et copiam irridet: Volusii quoque Annales brevi admodum interituros praecidit. Postremo parva, sed numeris omnibus absoluto poemata longis, verbosis, et inconditis, qualia olim Antimachi fuerunt, longe anteponit.

Smyrna mei Cinnae nonam post denique messem
Quam coepta est, nonamque edita post hiemem,

V. 1. *Smyrna*. Argumentum poematis Cinnae a Catullo memorati: Parthenius existimat fuisse Smyrnae cujusdam Amazonem res preclare gestas. *Mei Cinnae*, quem poetam plurimi faciebat Virgilius, quum Bucolica pararet: Servius ad Eclog. IX. v. 35. *Cinna poeta optimus fuit, qui scripsit Smyrnam, quem libellum decem elimavit annis. Edita*, in lucem emissa est tandem post novem aestates, et post novem hiemes, quam inchoata est. Tempestates

Millia quum interea quingenta Hortensius uno
Saepe die, ut minimum, carmina condiderit.
Smyrna: cavas Atacis penitus mittetur ad undas.
Smyrna incana diu saecula pervoluent.
At Volusi annales Aduam morientur ad ipsum,
Et laxas scombris saepe dabunt tunicas.
Parva mei mihi sunt cordi monimenta *sodalis*.
At populus tumido gaudeat Antimacho.

annorum pro ipsis annis usurpare solent poetae. *Millia quingenta*, numerum finitum pro infinito posuit. *Hortensius*, Q. Hortensium, egregium, illum oratorem, carminibus etiam saepius lusisse docemur a Plinio Caecilio Epist. 3. lib. 5. quae tamen carmine apud A. Gellium lib. 19. cap. 9. *invenusta* dicuntur, *Vulp.* Hoc loco versiculus desideratur in MSS. *Ut minimum*, ital. *come cosa da nulla*.

V. 5. *Smyrna*. Scil. aestimatione dignum est poema; nam Hortensii carmen mittetur ad undas etc. *Atacis* fluvii Galliae Narbonensis. *Incana*, valde cana, aetates remotiores legent et plurimi facient.

V. 7. *Volusi*. Annales autem Volusii. Volusius iste Ennium secutus annales scripserat, sed iratus Musis, si Catullum audimus. *Aduam*. Vossii lectionem sequor, quae concinna et apta mihi videtur. *Adua*. Transpadanae regionis flumen est, quod Polybius *Aduam* vocat. Hoc nomen auctores aevi deterioris duplici *d* scripserunt. Alii hoc loco *Paduam* legunt, inepte ac barbare. *Vulp.* *Morientur*, peribunt, non ultra Aduam progrediuntur, scil. Transpadanae regionis (ex qua fortasse erat Volusius) fines non egredientur. *Laxas tunicas*, lata integumenta. *Laxas*, quod Volusii Annalium volumina prolixa admodum essent, atque ex ingentibus chartis confecta, *Vulp.* *Scombris*, piscibus marinis.

V. 9 *Parva monimenta*, parva poemata. *Parva*. Videtur Catullus hoc loco parva, sed absoluta poemata ingentibus, et insulsis anteponere voluisse, *Vulp.* *Sunt cordi*, *animo sedent, placent*. *Sodalis*. Hujus quoque versus extrema dictio abest a veteribus. Itaque itum est in varias sententias, aliis legentibus *poetae*, aliis *sodalis*, aliis *laboris*. Muret. *Populus*, qui ingentia potius, quam docta volumina suspicit. *Tumido Antimacho*. Colophonio, vel Clario, qui belli Thebani historiam ab ovo, ut ajunt, orsus est, ac pluribus carminum libris complexus, *Vulp.* *Tumido*, vel propter stilum dixit vel propter operis magnitudinem; tamquam verbosum, sed rerum inopem.

XLIX.

C. Licinium Calvus, orator et poeta egregius, Catulli perfamiliaris, Quintiliam in ipso aetatis flore acerbo funere sibi praereptam, elegis deplorabat. Hos laudat Catullus, atque Quintiliae non tanto dolori immaturam fuisse mortem, quanto ei solatio sint Calvi pietas, et ingenium, quibus futurum est, ut nomen vita functae ob oblivione hominum et silentio vindicetur.

Si quidquam mutis gratum acceptumve sepulcris
  Accidere a nostro, Calve, dolore potest.
Quo desiderio veteres renovamus amore,
  Atque olim amissas flemus amicitias:
Certe non tanto mors immatura dolori est
  Quintiliae, quantum gaudet amore tuo.

V. 1. *Si quidquam*. Dubium erat veteribus, an aliquis mortuis sensus eorum superesset quae a viventibus gererentur, *Vulp. Sepulchris*, sepultorum ossibus, mutis mortuorum cineribus. *Quo*, scil. dolore. *Desiderio renovamus*, desiderium significamus renovandi veteris amoris; quo dolore, si nulla alia re, saltem desiderio veterem amorem renovamus. *Olim amicitias*, antiquam amicitiam, ut *olim magnos furores* in Elegia ad Manlium v. 117.

L.

Fratris carissimi, dum is peregrinaretur acerba morte sublati, et ad Rhoeteum Troadis promontorium sepulti, cineribus parentat.

Multas per gentes, et multa per aequora vectus
  Adveni has miseras, frater, ad inferias:

V. 1. *Multa per gentes* peragratis multis terris multisque decursis maribus. *Ad inferias*, scil. solvendas, celebrandas: huc veni ad celebrandas tibi has inferias mihi miseras ac flebiles. Inferiae sunt

Ut te postremo donarem munere mortis,
Et mutum nequidquam alloquerer cinerem.
Quandoquidem fortuna mihi te abstulit ipsum:
Heu miser indigne frater adempte mihi:
Nunc tamen interea prisco quae more parentum
Tradita sunt tristes munera ad inferias,
Accipe fraterno multum manantia fletu:
Atque in perpetuum, frater, ave atque vale.

dona et sacrificia, quae mortuorum umbris veteres dicabant, vel, veni ad hoc infelix sepulcrum. Sepulcris enim dona inferebantur. *Munere mortis*, videlicet, florum sparsione, lactis, mellis, aquae, vini, olei effusione, quibus rebus ad inferias utebantur, *Vulp.* Ut extrema tibi munera offerrem, quae mortuis tribuuntur; supremos tibi mortuo honores persolverem. *Nequidquam* frustra enim alloquimur non responsuros, *Vulp.*

V. 5. *Fortuna*, nempe adversa. *Indigne*, immerito. *Nunc* nunc accipe ubertim stillantia lacrimis fratris tui ea munera, quae antiquo majorum ritu instituto transmissa sunt ad lugubres inferius celebrandas. *Ave*, ital. *resta in pace.* Avere et valere eos fere jubebant, quos amplius visuri non erant. *Stat.* Praecipue vero adhibebatur *Ave* in salutationibus matutinis amicorum, et clientum; nam in vespertinis dicebant *Vale.*

LI.

Cornelio sodali suo, qui cum ipso de aliquibus communicaverat, quae in vulgus proferri non oporteret, pollicetur, se illa summa fide, altoque silentio servaturum.

Si quidquam tacito commissum est fido ab amico,
Quojus sit penitus nota fides animi;

V. 1. *Tacito*, qui tacere noverit. *Fides*, fidelitas.

Me unum esse invenies illorum jure sacratum,
Corneli, et factum me esse Harpocratem.

Illorum, scil. qui tacere noverint, commissaque arcana summa fide custodire. *Jure sacratum*, tamquam Cereris mysteriis, aut sacris aliis quibuscumque arcanis et populo ignotis initiatum. *Aliquorum jure sacrari*, est sectae alicujus praeceptis atque institutis obligari, et apud ejus antistites sacramentum dicere, *Vulp.* In me reperies hominem unum addictum sequendis eorum praeceptis, amantem, studiosum taciturnitatis. *Harpocratem*, hic erat silentii Deus, quem Aegyptii colebant, *Idem.* Hujus simulacrum, digito labiis admoto, admonere videbatur, ut silentium fieret. Vide D. Augustinum, lib. 18. de Civit. Dei cap. 5.

LII.

Suas ipsius fortunas laudat, seque hominum felicissimum praedicat, quod amicus, mutuas offensas oblitus; cum ipso, praeter spem in gratiam redierit.

Si quidquam cupidoque optantique obtigit umquam, et
Insperanti, hoc est gratum animo proprie:
Quare hoc est gratum, nobis quoque carius auro,
Quod te restituis *tam cito* mi cupido.
Restituis cupido, atque insperanti ipse refers te.
Nobis o lucem candidiore nota!

V. 2. *Proprie, ital. in maniera particolare*: ita gratum ut vulgarem laetitiam superet. *Carius auro.* Auro carius quasi proverbio dicebant, quod sibi gratissimum carissimumque esse significabant, *Stat. Refers*, ad me redis, nemine hortante aut impellente, sed sponte tua. *O lucem*, o diem mihi candidiore lapillo signandum, ital. *o giorno dei più lieti per me.* Cretenses, dies felices ac laetos albis lapillis seu calculis, nigris vero tristes et infelices notare solitos fuisse, compertum est.

Quis me uno vivit felicior, aut magis hac quid
Optandum vita, dicere quis poterit?

V. 7. *Quis me uno.* Omnium felicitates cum sua unius ne comparandas quidem esse affirmat: Τῷ *uno* hic abundat eleganter, *Vulp. Magis optandum vita.* Si absolutissimam beatitudinem requirit aliquis, nullam certe praeter hanc meam sibi proponere aut eligere debet. Hujusmodi hominem, invidiosum latini appellant. *Vita* igitur hoc loco est vivendi genus, *Vulp.* Quis magis me invidiosus est in vita, in vitae genere quis me beatior in vita? *Chi v' ha di me più invidiabile etc. Dicere quis poterit*? alium nempe me feliciorem aut beatiorem esse in vita.

LIII.

Cominium, senem improbum, qui, propterea quod bonis ominibus petulanter malediceret, populo Rom. in odium acerbissimum venerat, insectatur: ipsumque ait dignum esse cujus, omnium civium suffragiis damnati, cadaver vultures, corvi, canes, lupi devorent atque discerpant.

Si, Comini populi arbitrio tua cana senectus
Spurcata impuris moribus intereat:
Non equidem dubito, quin primum inimica bonorum

V. 1. *Comini.* Cominiorum familia equestris. *Arbitrio populi*; universae civitatis judicio, nempe totius populi suffragiis ad comitia convocati, *Vulp. Cana senectus.* Senectus pro sene, ut illa: *virtus Catonis, sapientia Laelii. Spurcata*, contaminata. *Inimica bonorum*, quae bonis et honestis civibus non solum maledicit, sed etiam illos in capitis periculum accusationibus adducit, *Vulp.* Fuerunt P. et Cominii fratres Romae accusatores bonis invisi, ut ex Asconio in Orat. pro Cornelio, quae interiit, colligitur.

Lingua exsecta avido sit data volturio :
Effossos oculos voret atro gutture corvus ,
Intestina canes, cetera membra lupi.

V. 4. *Exsecta*, manu et forcipe carnificis. Id erat suplicii genus, *Vulp.* *Avido*, famelico. *Effossos oculos.* Oculos effodere corvorum proprium esse cadaveribus inhiantium, tradit Agapetus Diaconus cap. 12. Schedae Regiae. Lucianus in Dial. Promethei et Jovis id vulturibus tribuit. Cur autem volucres carnivorae oculos potissimum invadant, non ineptam caussam affert Plinius lib. 2. Nat. Hist. cap. 37., ex *Vulp.* *Atro gutture.* Intellige corvi abdomen. Ital. *gozzo.*

LIV.

Idem Catulli amicus, de quo supra alio Epigrammate : Si quidquam etc. *cum ipso in gratiam redierat, spoponderatque, nullam deinceps offensam vel querelam in eorum amicitiam futuram. Poeta idcirco diis vota suscipit, ut promissum hoc ratum habeant, efficiantque ut amicus propositi fidem servet.*

Jucundum, mea vita, mihi proponis amorem
Hunc nostrum inter nos, perpetuumque fore.
Dii magni, facite, ut vere promittere possit :
Atque id sincere dicat, et ex animo :
Ut liceat nobis tota producere vita
Aeternum hoc sanctae foedus amicitiae.

V. 1. *Proponis*, aperte profiteris, vel statuis, decernis. *Dii magni.* Deos majorum gentium invocat, quos etiam *Consentes* appellabant, quod Jupiter eos in consilium adhibere putaretur. Horum nomina Ennius duobus versiculis ita complexus fuerat ;

Juno, Vesta, Ceres, Deiana, Minerva, Venus, Mars,
Mercurius, Jovi, Neptunus, Vulcanus, Apollo, Vulp.

Aeternas, ita MSS. stabile, constans vinculum : aliis placet *Alternum*, idest mutuum.

LV.

Poeta noster acerbis famosisque carminibus, ad Callimachi lucernam elucubratis, Gellii nequissimi hominis improbitatem et maledicta saepius retulerat. Quum autem ille nullum obloquendi et lacessendi finem faceret, ait Catullus, tela quae in ipsum adversarius jaciat, ne summam quidem autem perstringere, ac facile depelli posse; iis autem quae ipse in Gallium conjecerit, et porro sit conjecturus, ni alter a maledicendo desistat, vulnera non sanabilia infligi solere.

Saepe tibi studioso animo venanda requirens
Carmina uti possem mittere Battiadae
Queis te lenirem nobis, neu conarere
Infestum telis icere, musca, caput:
Hunc video mihi nunc frustra sumptum esse laborem,

V. 1. *Studioso animo venanda*, quorum sententiis obscurioribus et non vulgarem doctrinam continentibus, eruendis declarandisque ingenium tuum exerceres atque otium oblectares, *Vulp.* ital. *da studiarsi da te con tutta l' applicazion dell' animo per pescarne il sentimento. Requirens*, mecum ipse cogitans, qua tandem ratione versibus genium et stilum Callimachi referentibus munerari te possem, *Vulp. Battiadae.* Callimachus Cyrenaeus, *Battiades* propterea dictus fuit, quod Batti cujusdam filius esset, vel a Batto Theraeo Cyrenes conditore.

V. 3. *Te lenirem*, demulcere, commitigare, placare te mihi possem. *Conarere.* tentares, auderes. *Infestum*; quem laedere impune non licet. *Vulp.* Hujusmodi hominem vulgo *periculosum* dicimus. *Icere*, ferire, pertundere caput telis, aculeis tuis. *Musca.* Impudentis et molesti hominis *hieroglyphicum* apud Aegyptios musca fuit, quemadmodum tradunt Horus, et Jo. Pierius Valerianus, *Vulp.* *Intellige* o homo importune.

Gelli, nec nostras hinc valuisse preces.
Contra nos tela ista tua evitamus amictu :
At fixus nostris tu dabi' supplicium.

V. 6. ***Ne hinc valuisse preces***, nec praeterea mea vota efficere potuisse, ut ab inferenda injuria desisteres; ital. ***e che di più non hanno avuto alcun effetto i voti miei. Preces***, hic sunt ***dirae***, seu vota diis suscepta, ut inimicum perdant, ***Vulp. Contra***: ital. ***dall' altra parte*** hoc me consolor, quod ego sola veste ab istis tuis telis me defendo, ital. ***riparo cotesti ec. At fixus***, tu vero meis telis confixus, transfossus, ***Dabi' supplicium***, pro ***dabis***, debitas poenas lues ***tuae temeritatis.***

TIBVLLI

VITA

Honesto loco natus est Albius Tibullus in urbe terrarum domina e gente Albia equestri. Annum Urbis conditae DCCXI. quo A. Hirtius et C. Vibius Pansa Coss. proelio Mutinensi adversus Antonium pro patria occubuerant, Tibullo simul atque Ovidio natalem fuisse, monumentis literarum prodiderunt Petrus Crinitus et Lilius Gregorius Gyraldus, qui poetarum historiam persecuti sunt. Id porro illis persuasit versus quidam pentameter, quem utriusque poetae codices praeferunt, ubi ambo de sui ortus tempore verba faciunt;

Quum cecidit fato Consul uterque pari.(a)

At Josephus Scaliger, qua erat sagacitate, primum subodoratus est hunc versiculum tamquam spurium, ex Tibulli carminibus expungi oportere: qui Tibullo a mala manu

(a) Tiboll. III. 5. 18. Ovid. IV. Trist. 10. 6.

adsutus fuerat, ut Jani Dousae verbis utar. Verisimilius fuerit, aequalem Horatii Tibullum facere, id suadente ipsius Flacci testimonio, qui Epist. 4. Lib. I. *candidum judicem sermonum suorum* eum appellare non dedignatur. Emunctae vero naris hominem, qualis erat Horatius, jam octo lustris vivendo exactis, scripta sua accuratissime lucubrata, homini adolescenti, vigintiduobus annis ipso juniori (si natalem diem, vel saltem annum cum Ovidio communem habuisset) castiganda committere, merito, atque optimo jure puduisset. In annum igitur U. C. 690. circiter, Tibulli natalem diem refert Dousa; quem sequentur Broukusius, Fabricius, Sanadonius, Vulpius. Patrimonium, quod peramplum habuerit, repente imminutum deflevit, militum Caesarianorum vi et latrocinio, quibus tum omnia vastabantur. M. Valerii Messalae Corvini, summi viri, triumphi Aquitanico notissimi, cliens et comes perpetuus fuit. Macri et Horatii poetarum consuetudine usus est: etiam T. Valgi, heroico versu excellentis, honorificam mentionem facit. Quanti au-

tem Elegiae Tibulli aestimandae sint vel ex uno Fabio Quintiliano colligere possumus, qui quum *tersum* judicet *atque elegantem maxime*: simul ei principatum inter Elegorum scriptores facile tribuit Ovidius *cultum* appellat, ejusque carmina nunquam intermoritura vaticinatur. Poetam certe Tibullo suaviorem, planiorem, aut magis aptum ad motus animi pingendos vix invenias.

ALBII TIBVLLI

EQVITIS ROMANI

EX LIBRO I.

ELEGIA I.

Ait, se ruri dum vixerit, opum cupiditate posthabita, perpetuo futurum.

Divitias alius fulvo sibi congerat auro,
Et teneat culti jugera multa soli;
Quem labor assiduus vicino terreat hoste,
Martia cui somnos classica pulsa fugent.
Me mea paupertas vitae traducat inerti,

V. 1. *Congerat*, accumulet, coacervet divitias ex fulvo, coruscanti auro; scil. auri thesauros. *Teneat*, accepta possideat. *Multa.* Ita legendum cum Heynio tantopere viris doctissimis accepto. Juger, vel jugerum est terrae spatium, quod uno die par boum arare potest. Duplex divitiarum genus significare hic voluit Tibullus, nempe illas, quae parantur foenore, et quae redeunt ex fundis. *Labor assiduus* pro periculo accipiendus est. *Terreat*; hoc est exerceat; Ital. *inquieta*. *Vicino hoste*, ob vicinum hostem. *Vicino*, vel qui non longe castra posuit, vel qui loca finitima incolit. Romani enim ad imperii fines, tanquam in excubiis legiones statuebant adversus barbarorum insidias, et vim apertam, *Vulp. Martia classica*, bellicae tubae inflatae; tubarum sonitus ad pugnam excitantium somnum abrumpit.

V. 5. *Paupertas.* Sensus est: ego pauper contemtis divitiis vitam desidiosam nullo labore et molestia vexatam vivam, dummodo rebus ad vitam necessariis haud indigeam. Differt autem paupertas ab egestate ac mendicitate: aliquando enim significat mediocritatem, et hoc loco Tibulli, quum prius, locuples fuisset, ac deinde magnam rei familiaris jacturam fecisset, nunc pauperem se appellat. *Vitae inerti.* H. e. ad vitam. *Traducat*, ital. *mi lasci in braccio ad una vita oziosa*.

Dum meus exiguo luceat igne focus.
Ipse seram teneras maturo tempore vites
Rusticus, et facili grandia poma manu.
Nec Spes destituat sed frugum semper acervos
Praebeat, et pleno pinguia musta lacu.
Nam veneror, seu stipes habet desertus in agris,
Seu vetus in trivio florea serta lapis.
Et quodcunque mihi pomum novus educat annus,
Libatum agricolae ponitur ante deo.

V. 6. *Dum*, dummodo. *Igne*. Pro rebus ad vitam necessariis unum genus posuit nempe ignem. *Ipse*, absque vinitoris ministerio: Ital. *io di man propria*, *Vulp. Seram*, ital. *pianterò* novellas vites, malleolos, opportuno tempore. *Rusticus* subaudi, *tamquam*, *quasi*. *Facili manu*, H. e. habili apta; scil. solerti industria, explicante Forcellinio. *Grandia poma*; solent agricolae praestantissima quaeque ad sationem seligere, ne rerum species deteriores fiant. *Grandia* vero *poma* Tibullus dixit, pro *semina grandium pomorum*, vel *surculos lectos arborum grandia poma parientiam*, Idem.

V. 9. *Nec spes.* Spes Romanis Dea fuit; praecipue autem colebatur ab agricolis, *Idem. Destituat*, deserat. *Acervos*, frumenti copiam. Hinc Spes fingebatur mulier stolata spicas quinque sinistra gestans eum duobus papaverum capitibus, *ex eod. Pinguia*, turbulenta scil. et crassa, donec bulliendo defaecentur, *Id. Lacu*, amplo vaso, quo mustum ex uvis expressum recipitur, *Idem.* italice *Tino. Nam veneror*. Nam seu stipes desertus in agris, seu vetus lapis in trivio habet florea serta, ego illum veneror. *Veneror.* Caussam affert propter quam oporteat sibi Spem propitiam esse; quod scil. eam, ceterosque deos agricolas veneretur atque adoret, ubicumque in eorum signa inciderit, *Vulp. Stipes* truncus, scilicet terminus, quem pro Deo colebant. *Desertus*, defixus, defossus, ibique relictus, ital *piantato. In trivio*, Trivia et quadrivia erant rusticorum sacris attributa. Hujusmodi lapides et stipites compitales ungi et coronari solebant a superstitiosis hominibus, *ex eodem.*

V. 12. *Pomum*, quemcumque fructuum mihi producit. *Novus annus*, novum anni tempus, sive autumnale, sive aestivum, *Vulp. Libatum ante*. Praeceptum, et *ante*. Nam primitiae offerebantur Deo agricolturae praesidi, et agricolarum custodi, puta Libero, Cereri, Pani, Priapo.

Flava Ceres, tibi sit nostro de rure corona
  Spicea, quae templi pendeat ante fores;
Pomosisque ruber custos ponatur in hortis,
  Terreat ut saeva falce Priapus aves.
Vos quoque felicis quondam, nunc pauperis horti
  Custodes, fertis munera vestra, Lares.
Tunc vitula innumeros lustrabat caesa juvencos
  Nunc agna exigui est hostia magna soli.
Agna cadet vobis, quam circum rustica pubes
  Clamet: io messes, et bona vina date.
Jam modo, jam possum contentus vivere parvo,

Ceres frugum Dea, quae frumentum invenit, fruges serere, terram colere, boves domare homines docuit. *Flava* dicitur a maturae segetis colore. *Sit*, subaudi *data*. *De rure*, ex agro meo.

V. 17. *Pomosis in hortis*, in pomariis, locis videl. fructiferis arboribus consitis. *Ruber Priapus*. Faciem dei custodis hortorum, vel etiam totum simulacrum, minio pingere solebant veteres, *Vulp.* *Custos ponatur*, ital. *si metta per custode*. *Saeva*. Forcellinius interpretatur potenti, terribili, collato Virgilio Aen. I. 138. *saevumque tridentem*. *Falce*. Falcem tenebat dextera Priapus, ut avibus terror esset; et arundinem in capite erectam, cujus umbra idem praestabat.

V. 19. *Felicis*, H. e. feracis: *Pauperis*, Respicit belli civilis tempora, quibus patrimonii partem per proscriptiones amiserat. Tibulli enim res familiaris multum detrimenti ceperat, quum is hanc Elegiam scriberet. *Fertis*, reportatis, percipitis munera, scil. hostias, sacrificia, quae vobis pro vestris meritis erga me debentur. *Lares* Compitales videlicet, nam compita sacrata Laribus. His frugum primitiae efferri solebant; fiebat vero sacrum, vitula, agna, praecipue porco, vel porca. *Vulp.* Lares agrorum praesides apud rusticos. *Tunc*, quum dives eram. *Vitula innumeros*. Unius enim vitulae caedes a toto armento exitium et morbos credebatur depellere, *Vulp.* *Lustrabat*, expiabat. *Nunc*, quum pauper sim. *Hostia magna*, agna a me paupere caesa, censenda est magna victima pro tenui praedio.

V. 23. *Cadet*, mactabitur. *Clamet*, clamabit. *Io*, precantis est et exultantis. ital. *deh!* *Jam modo, jam*. Nunc tandem sibi contigisse ait, quod diu in votis habuerat, ut mediocri fortuna quam paupertatem vocat, contentus in villa sua otietur.

Nec semper longae deditus esse viae ;
Sed Canis aestivos ortus vitare sub umbra
Arboris, ad rivos praetereuntis aquae.
Nec tamen interdum pudeat tenuisse bidentem ;
Aut stimulo tardos increpuisse boves,
Non agnamve sinu pigeat, fetumve capellae
Desertum, oblita matre, referre domum :
At vos exiguo pecori, furesque, lupique,
Parcite ; de magno praeda petenda grege est.
Hic ego pastoremque meum lustrare quotannis
Et placidam soleo spargere lacte Palen.
Adsitis, divi, nec vos de paupere mensa

V. 26. *Deditus.* Ut solent milites in expeditionibus, vel mercatores, *Deditus viae*, vel quem delectat peregre proficisci vel qui genere ipso vitae cogitur ad longa itinera suscipienda, *Vulp.* itaque est vel cupidus, proclivis, vel coactus, addictus, destinatus.

V. 27. *Canis.* Oritur Canis XVI. Cal. Augusti, occidit post dies XL. qui Caniculares ideo vocantur. *Canis aestivos ortus* dictum videtur pro *Canis aestivi ortus*, *Vulp. Ad*, prope, juxta. *Pudeat*, pudebit *tenuisse*, ital. *prender in mano*. Otiari quidem volo ; non ita tamen, ut ab opere faciundo omnino desistam. *Increpuisse*, instigare aculeo, ital. *pungolo*, vel *increpare* est minitando percutere. Rusticorum morem exprimit, qui et verbis et stimulo pigros boves crepant.

V. 31. *Pigeat*, pigebit. *Fetum capellae*, haedum a matre oblita derelictum. *Petenda*, facienda, paranda vobis est ex numeroso grege. Simile monitum Priapi apud Catullum pag. 23. *Lustrare*, expiare, purificare, nempe per sacrum ambarvale. Rustici enim stato anni tempore, puta maturis jam frugibus, victimam circum praedia sua ducebant, deos agrorum praesides orantes, uti volentes propitii segetem, vineam, pecus, liberos, familiam ipsis fortunarent, atque ita diem illum potu et cantu hilares transigebant. Vide Elegiam I. lib. 2. ubi Sacrum Poeta describit. Fiebat autem sub ipsis Palilibus. *Spargere*, perfundere, lac offerre. *Pales*, Pales dea Pastorum est, cui rustici, ut ait Plinius, lacte supplicabant. Ejus festa mense Aprili celebrabantur, et *Palilia* dicebantur.

Dona, nec e puris spernite fictilibus.
Fictilia antiquus primum sibi fecit agrestis
Pocula, de facili composuitque luto.
Non ego divitias patrum, fructusque requiro,
Quos tulit antiquo condita messis avo.
Parva seges satis est; satis est, requiescere lecto,
Si licet, et solito membra referre toro.
Quam juvat immites ventos audire cubantem,
Aequore ab indomito dum sibi nauta timet;
Aut gelidas hibernus aquas quum fuderit Auster,
Securum somnos, imbre juvante, sequi!
Hoc mihi contingat: sit dives jure, furorem
Qui maris, et tristes ferre potest pluvias.
O quantum est auri potius, pereatque smaragdi,
Quam timeam longae mille pericla viae!

V. 38. *E puris fictilibus,* nec dedignemini accipere dona, quae vobis offero e mundis vasis fictilibus. *Pura* ornans est epitheton, sed a religione ductum, quae pura et casta requirit. Fictilia sunt patellae, quibus impositae fruges offerebantur diis, etiam postquam luxus remp. perdiderat.

V. 40. *De facili luto*; est argilla, quae tractari et fingi potest, non quia vilis et facile parabilis est. Caussam vero profert, cur fictilia dii respuere non debeant; scil. majorum morem et usum, V. *Composuit*, formavit, finxit.

V. 41. *Fructus*, reditus, quos fruges in horreis repositae attulerunt priscis avis. Majores enim Tibulli opes ingentes, fundos latissimos possederat. *Seges*, agellus, praediolum, *Vulp.* vel *parva seges* ital. *tenue riccolta. Toro. Torus* interdum significat culcitam, quae imponebatur lecto tricliniari, *Vulp.* ital. *materasso, o materassa.*

V. 45. *Cubantem*, jacentem, lecto requiescentem. *Fuderi* effundit frigidas aquas. *Securum*, tranquillum, ital. *in pace. Somnos sequi*, somnos continuare, totam noctem dormire. *Imbre juvante*, Pluvia conciliante; pluvia enim lente decidens blando fragore somnum conciliat, *Vulp.*

V. 50. *Qui ferre potest* ital. *chi ha cuor di reggere alle furie del mare. Tristes pluvias*; scil. caeli tempestates. *Smaragdi*, Gemmas bello petiisse Romanos docet Virg. Georg. II. 505. *Hic petit excidiis urbem miserosque Penates, Ut gemma bibat. Longae viae*, longorum itinerum.

Te bellare decet terra, Messala, marique;
Ut domus hostiles praeferat exuvias.
Non ego laudari curo, modo vota secundet
Parva seges, quaeso, segnis inersque vocer
Hic ego dux, milesque bonus: vos signa, tubaeque
Ite procul, cupidis vulnera ferte viris:
Ferte et opes: ego composito securus acervo
Despiciam dites, despiciamque famem.

V. 53. *Messala*, M. Valerius Corvinus Messala ex Valeriorum familia, Tibulli patronus, eloquentissimus fuit, patriae amantissimus, et omni virtute ornatus. *Praeferat*, Praefixas monstret, ostentet tua domus. *Exuvias*. Consuetudo Romanis maxime solemnis. Livius lib. 10. *Quorum domos spoliis hostium insignes inter alias feceritis*, *Vulp*. *Laudari curo*. Hic mos laudandi strenuos milites pro concione, eosque praemiis honestandi, a Tarquinio Prisco acceptus, ad reliquos Romanorum duces, quasi per manus traditus, deinceps pervenit, *Vulp*. *Seges*, Agellus ut supra seges enim, ut Varro docet, est quod aratum est, sed nondum satus *Quaeso* ital. *deh!*

V. 58. *Cupidis*, Qui divitias cupiunt. Militum genus avaritiae insimulat; seque a militia libenter abstinere significat, quod pecuniis aequo animo carere possit. *Vulnera ferte* vulnerum caussa sitis. *Ferte opes*, illis divitias afferte. *Composito acervo*. ital. *fatto che avrò il mio pagliajo*, *fatta la raccolta*. Significat poeta, se tranquillum omnino fore, ac laetitiae operam daturum *condita post frumenta*, ut Horatius loquitur, *Vulp*. *Securus*, tranquillus, contentus. *Despiciam*, neque opum cupiditate, neque rursum egestatis metu torquebor, *Vulp*. ital. *mi riderò*.

ELEGIA II.

Quum adversa valetudine Corcyrae detineretur, quominus Messalam patronum suum in expeditione Syriaca sequi posset longa itinera damnat, seque mox ad Elysios morte obita migraturum sperat.

Ibitis Aegeas sine me, Messala, per undas,
O utinam memores ipse, cohorsque mei!
Me tenet ignotis aegrum Phaeacia terris,
Abstineas avidas, Mors, precor, atra, manus.
Abstineas, Mors atra precor, non hic mihi mater,
Quae legat in moestos ossa perusta sinus;
Non soror, Assyrios cineri quae dedat odores,
Et fleat effusis ante sepulcra comis;
Delia non usquam est, quae me quam mitteret urbe
Dicitur ante omnes consuluisse Deos.

V. 1. *Ibitis.* Messalam alloquens, utitur verbo multitudinis, quod is cum exercitu, et cohorte in Syriam proficisceretur, et plurimis praefectus esset; non igitur ad imperatorem solum, sed ad imperatorem simul et comites orationem convertit, *Vulp. Aegeas undas*, Aegeum mare. *Ipse cohorsque.* Comites praesidum, proconsulum, praetorum qui cum imperio in provincias mittebantur, cohortem appellavere. Ab hac voce derivatur vox Italica *Corte*, qua utimur ad significandam aulam virorum principum, et aulicos qui eisdem praesto sunt, *Vulp. Phaeacia*; Corcyra, Aliis *Corcura*, hodie *Corfù*, insula maris Ionii, quam Pheaces habitaverunt, *Idem.*

V. 5. *Mater*, quae scil. mansit Romae. *Quae legat.* Hoc officium legendi ossa mortuorum, quae ex igne rogi reliqua essent, pertinebat ad proxima consanguinitate conjunctos, *Vulp.* moesta colligat ossa in sinus atrae vestis. *Assyrios odores*, quae unguenta Syrorum, magno sumptu parata in urnam recondat, *Idem. Dedat.* h. e. det. *Non usquam*: Delia longe abest. Delia fuit puella libertina, vero nomine Plautia, teste Apulejo Apol. I. *Quam ... ante*, pro *antequam*. *Mitteret* dimitteret, ital. *prima di congedarmi, di farmi partir di Roma*. *Consuluisse* responsa oraculorum petivisse, vatum et sacerdotum sententiam rogasse, *Vulp.*

Illa sacras pueri sortes ter sustulit, illi
Retulit e triviis omina certa puer.
Cuncta dabant reditus; tamen est deterrita nunquam
Quin fleret, nostras respiceretque vias.
Ipse ego solator, quum jam mandata dedissem,
Quaerebam tardas anxius usque moras.
Aut ego sum causatus aves, aut omina dira;
Saturni aut sacram me tenuisse diem.
O quoties ingressus iter, mihi tristia dixi
Offensum in porta signa dedisse pedem!
Quid tua nunc Isis mihi, Delia, quid mihi prosunt

V. 11. *Pueri sortes.* Praenestinas et Antiatinas sortes videtur Delia consuluisse, quarum fama celeberrima. *Pueri sorte* appellat, quoniam *Fortuna monitu, pueri manu miscebantur, atque ducebantur*, ut ait Cic. L. 2. de Divin. c. 41. Pueri sortilegi in viis sedisse videntur, qui praetereuntes invitarent ut sortes experirentur. Deliae autem puer obtulit *omnia certa*, scil. indubia.

V. 13. *Dabant reditus*, omnia me rediturum promittebant. *Est deterrita.* Probe sciebat Delia, *flere* ac saepe *respicere* in discessu carorum triste aliquid portendere, malisque, ominibus annumerari: nihilominus dolore victa non poterat a lacrymis temperare, seque cohibere, quin identidem me abeuntem respiceret, *Vulp.* ital. *non potè contenersi fare a meno. Ego solator*, qui solari Deliam conabar; ejusque dolorem verbis lenire, *Idem. Mandata dedissem*, ital. *dopochè le avea già dati gli ordini opportuni. Anxius usque*: sollicitus sine fine, ital. *sempre inquieta d' animo. Moras*, morandi, cunctandi caussas.

V. 17. *Causatus*, ital. *allegai per iscusa*, pretexui auspicia, aut sinistra auguria. *Saturni diem.* Ominosum fuit plerumque aleae, Saturni die, seu Sabbato, in viam se dare. Ubi *tenuisse* pro *retinuisse. Offensum pedem*, ital. *dissi, che il piede avendo inciampato*, in limine portae, mihi infausta portendisse. Erat enim hoc quoque inter mala omina.

V. 21. *Isis.* In Isidis fide ac tutela fuisse navigantes ostendit Turnebus Advers. L. 16. c. 6. Tibullo propterea iter maritimum suscepturo, Delia Isidi supplicaverat pro ipsius salute, et in ejus deae casto fuerat; nam eo tempore superstitiones Aegyptiae Romae regnabant; et multa templa Isidis intra urbem erant. *Vulp. Aera*

Illa tua toties aera repulsa manu?
Nunc, Dea, nunc succurre mihi, nam posse mederi
Picta docet templis multa tabella tuis;
Ut mea votivas persolvens Delia voces,
Ante sacras lino tecta fores sedeat,
Bisque die resoluta comas, tibi dicere laudes
Insignis turba debeat in Pharia.
At mihi contingat patrios celebrare Penates,
Reddereque antiquo menstrua tura Lari.
Quam bene Saturno vivebant rege priusquam
Tellus in longas est patefacta vias!

repulsa. Sistrum Aegyptiacum intelligit, quos Isidis sacerdotes in hujus deae sacris utebantur. Immo Isis ipsa cum sistro fingebatur. *Repulsa*, pulsa, percussa. *Mederi*, te posse me sanum reddere. *Docet*, indicat, ostendit, argumento est. *Multa tabella picta*, ital. *i molti voti appesi ne' tuoi tempj.*

V. 25. *Votivas persolvens voces:* h. e. ex voto sacrum faciens Isidi *salutari*, quo nomine in marmoribus occurrit, Heyn. *Votivae voces* sunt hymni ex voto. *Lino tecta*, linea veste cooperta. Lineis enim vestibus, tamquam omnium purissimis, operiebantur Isiaci. *Fores* templi tui. Non enim in templis, sed templorum vestibulis sedebant.

V. 27. *Bisque die.* Hora diei prima sacerdotes Isidis templum aperiebant, deinde salutabant deam, postea, moto e sede sua simulacro, id asello impositum circumferebant, totum diem stipem emendicantes. Postremo ad octavam redibant, deam componebant, templum claudebant. Laudes igitur deae ab Isiacis bis die canebantur nimirum et quum deam salutarent, et antequam templum clauderent, *Vulp. Insignis.* Dicit insignem, non tantum, quod comata esset inter calvos, sed quia ceteris omnibus forma praestantior; Heyn. *Turba in Pharia*, in turba Aegyptiaca sacerdotum: in coetu Sacerdotum Aegyptiae Deae. Aegyptii dicti Pharii ab insula Pharo prope Alexandriam.

V. 29. *At mihi*, mihi vero, quum sanitati restitutus domum incolumis rediero, contingat, ital. *tocchi la sorte. Reddereque*, et quolibet mense offerre tura antiquis Laribus. Curabant enim Lares, ait Vulpius, eorumque armarium aperiebant singulis Calendis. Nonnumquam autem et nascente Luna rem divinam iis faciebant.

V. 31. *Quam bene!* Descriptio aetatis aureae, qua Tibullus ceteris Poetis maxime praestat. *In longas vias*, in longa itinera;

Nondum caeruleas pinus contemserat undas,
Effusum ventis praebueratque sinum;
Nec vagus, ignotis repetens compendia terris
Presserat externa navita merce ratem.
Illo non validus subiit juga tempore taurus:
Non domito frenos ore momordit equus;
Non domus ulla fores habuit; non fixus in agris,
Qui regeret certis finibus arva, lapis;
Ipsae mella dabant quercus, ultroque ferebant
Obvia securis ubera lactis oves.
Non acies, non ira fuit, non bella; nec ensem
Immiti saevus duxerat arte faber.
Nunc Jove sub domino caedes, nunc vulnera semper
Nunc mare, nunc leti multa reperta via.
Parce, pater, timidum non me perjuria terrent,
Non dicta in sanctos impia verba deos.

priusquam viae ad remotas terras aperirentur. *Contemserat.* Ital. *avea preso a scherno. Sinum*, nempe velorum, vela expansa nondum ventis commiserat. *Vagus*, errans. *Compendia*, sunt lucra, et hoc loco merces unde lucra parantur: itaque subjicitur *merce extera*. *Presserat externa merce*, oneraverant navem peregrinis mercibus.

V. 37. *Validus taurus*, robusti boves. *Domito* pro *equus domitus*. Hoc Lapithis tribuit antiquitas. *Regeret*, distingueret praedia. *Ultroque ferebant*, nullo cogente offerebant obviam ibant cum mammis lacte distentis. *Securis*, tranquillis, felicibus illis gentibus.

V. 43. *Acies*, exercitus. *Ira*, odia inimicitiae. *Duxerat*, procuderat crudelis opifex arte inhumana. *Sub Domino*, Jove dominante. *Vulnera*; occisiones fiunt. *Mare*, subaudi *est*. *Reperta*; per artes inventas, et negotia vitae. *Pater*, Juppiter. *Terrent*. Scelerum sibi conscii timere solent, ne a diis immortalibus merito supplicio puniantur. Tibullus contra, quod nec pejeraverit, nec deos maledictis laeserit, fiduciae plenus est, *Vulp.*

Quod si fatales jam nunc explevimus annos,
Fac lapis his scriptus stet super ossa notis :
HIC JACET IMMITI CONSVMPTVS MORTE TIBVLLVS,
MESSALAM TERRA DVM SEQVITVRQVE MARI.
Sed me, quod facilis tenero sum semper Amori,
Ipsa Venus campos ducet ad Elysios.
Hic choreae, cantusque vigent, passimque vagantes
Dulce sonant tenui gutture carmen aves;
Fert casiam non culta seges, totosque per agros
Floret odoratis terra benigna rosis.
At scelerata jacet sedes in nocte profunde
Abdita, quam circum flumina nigra sonant:
Tisiphoneque impexa feros pro crinibus angues,
Saevit, et huc illuc impia turba fugit.

V. 49. *Fatales*, si nunc annorum numerum a Parcis et fato praescriptum jam absolvimus. *Fac*, effice, ut superponatur urnae, in qua ossa mea claudentur cippus sepulcralis his literis incisis, hac inscriptione. Non tamen de nostris cippis sepulcralibus cogitandum est, sed aut de sarcophago, quo urna conditur, aut de cinerario vel columbario quo reponitur urna, apposito titulo in brevi marmore, *Immiti*, acerba, praematura.

V. 55. *Sed me*. Me vero, quoniam fui semper propensus blando Amori, non Mercurius manium reliquorum dux, sed ipsa Venus deducet in campos Elysios, quos plerique antiquorum in insulis fortunatis collocaverunt.

V. 55. *Vigent*, locum habent, regnant. *Dulce sonant carmen*, ital. *fan sentire un dolce tirar di gorgia. Non culta seges*, terra non arata producit casiam, quae, sive herba, sive frutex, sive cortex, (non enim liquet) olim ad unguentum maximi praetii conficiendum adhibeatur. *Benigna*, fertilis. *Scelerata sedes*; ut jacet, inferius sita est habitatio scelerata, vel sceleratorum, sepulta in tenebrosa caligine: tartarus scil. ubi aeternis poenis homines impios torqueri finxerunt Poetae, infimum regiae Plutonis fundamentum. *Sonant*, perstrepunt.

V. 61. *Impexa*, capillorum loco cincta caput impexis (*scompigliate*) horridisque serpentibus. *Saevit*, Saevit flagello, et impios

Tum niger in porta, serpentum Cerberus ore
Stridit, et aeratas excubat ante fores.
Illic Junonem tentare Ixionis ausi
Versantur celeri noxia membra rota;
Porrectusque novem Tityus per jugera terrae
Assiduas atro viscere pascit aves.
Tantalus est illic, et circum stagna: sed acrem
Jam jam poturi deserit unda sitim;
Et Danai proles, Veneris quae numina laesit,

persequitur, qui ante illam palantes diffugiunt *Vulp. Serpentum ore*, per os Serpentum. *Stridet*, sibilat.

V. 55. *Ixionis*, Ixion Phlegyae filius, qui a Jove mensae deorum adhibitus, Junoni vim inferre tentavit. Quare a Jove ultore in Tartarum detrusus est, ibique rotae alligatus, quae sine ulla intermissione noctes et dies volveretur. *V. Versantur*, circumaguntur. *Noxia*, iniqua, nempe membra iniqui Ixionis auxi tentare Junonem.

V. 67. *Tityus*, unus ex gigantibus, qui ob tentatam Latonae pudicitiam, sagittis Apollinis ad inferos detrusus est: ubi jecur duobus vulturibus depascendum praebere cogeretur, toties renascens, quoties absumtum esset, *Vulp.* Tantae hic magnitudinis fuisse dicitur, ut novem jugera humi jacens occuparet. *Assiduas aves*, vultures sine intermissione illi inhaerentes, ital. *che non gli danno mai tregua, continuamente lo tormentano. Atro viscere.* Hepar seu jecur significat, quod colore est nigricanti, *Vulp. Tantalus*, Jovis filius ex Plote Nympha. Hic ob filium Pelopem jugulatum, et diis in convivio appositum, vel sicut alii tradiderunt; ob arcana deorum revelata, ad inferos detrusus est: ubi arboris impendentis poma recedentia, frustra captaret, fontisque aquam sitiret, quae semper ab ejus labiis refugeret. *Vulp. Circum stagna*, circa eum sunt aquae. *Acrem deserit sitim*, violentae deest siti illius jam jam bibituri, ital. *nell' atto di beverla.*

V. 71. *Danai Proles*, Danai filiae, quae nocte ipsa nuptiarum maritos occiderunt. Quod tamen ex quinquaginta Danai filiabus fecerunt quadraginta octo: nam duae reliquae sponsis pepercerunt, Linceo quidem Hypermestre Hippolito autem Bebryca, *Vulp.* Ut commisi facinoris poenas luerent, apud inferos in dolia pertusa ac rimarum plena aquam infundere coactas tradunt poetae; ita ut assiduus labor nihil proficeret, subtus elabendo quidquid supra infunderetur.

In cava Lethaeas dolia potat aquas.
Illic sit, quicumque meos violavit amores,
  Optavit lentas et mihi militias.
At tu casta precor, maneas, sanctique pudoris
  Assideat custos sedula semper anus,
Haec tibi fabellas referat, positaque lucerna
  Deducat plena stamina longa colo.
Ac circa gravibus pensis adfixa puella
  Paullatim somno fessa remittat opus.
Tunc veniam subito, nec quisquam nuntiet ante,
  Sed videar caelo missus adesse tibi:
Tunc mihi, qualis eris, longos turbata capillos
  Obvia nudato, Delia, curre pede.
Hoc precor; nunc illum nobis Aurora nitentem
  Luciferum roseis candida portet equis.

V. 72. *In cava dolia*, fundo pertuso, et plena rimarum, *Vulp*. *Lethaeas*, aquas ex Lethe inferorum fluvio. *Lenta*, *militias*: quicumque offendit amorem meum, et optavit prorogari mihi militiae tempus, is apud Tartarum merito supplicio puniatur.

V. 76. *Assideat*, ital. *ti stia al fianco*. *Sedula*, diligens, attenta. *Pudoris*, honestatis. *Posita*, adhibita, accensa. *Deducat*, trahat plena colo. *Gravibus pensis*, molestis, operosis. *Adfixa*, intenta nendo. *Puella*, ancilla. Unam dixit, sed plures ancillas videtur significare. *Fessa*, somno victa. *Remittat opus*, sibi de manibus effluere fusum sinat, ital. *si lasci cader dalle mani il lavoro, il fuso.*

V. 81. *Subito*, repente. *Adesse*, ital. *comparirti avanti*, tamquam missus e caelo. Qui non expectati subito aderant vel graviter laborantibus in tempore praesto erant: Caelo mitti, delabi vel descendere dicebantur. *Vulp*. *Qualis eris*, ital. *scarmigliata*. *Nudato pede*, sine soleis. Matresfamilias et puellae ingenuae plerumque in lectulis sedentes lanam faciebant. Ne vero stragula inquinarentur, soleas deponebant. In subitis itaque casibus, ne calceandis pedibus tempus insumerent, sine soleis exsiliebant. *Precor*, cupio. *Hunc illum nitentem Luciferum*, hunc talem splendidum, felicem diem. *Candida*, ital. *vaga*. *Equis roseis*, roseo curru. Aurorae bigam tribuit etiam Albinovanus.

ELEGIA III.

Celebrat Poeta natalem diem M. Valerii Messalae paullo post ejus triumphum Aquitanicum. Enumerat loca in quibus Messala res gessit, et Aegypto commemorata incidit in Osirim, quem denique cum Genio ad diem natalem celebrandum advocat, et pro Messala vota facit.

Hunc cecinere diem Parcae fatalia nentes,
Stamina, non ulli dissoluenda deo:
Hunc fore, Aquitanas posset qui fundere gentes,
Quem tremeret forti milite victus Atax.
Evenere, novos pubes romana triumphos
Vidit, et evinctos brachia capta duces.

V. 1. *Cecinere*, praedixerunt. *Parcae*, tres sorores Erebi et Noctis filiae, quarum nomina Clotho, Lachesis, Atropos. Finguntur vitae hominum praeesse, et nendo eam ducere. *Non dissoluenda*, ital. *da non potersi disfare da alcun Dio*. Veteres enim, etsi deos esse faterentur, illos tamen (ne Jove quidem excepto) fato resistere, illudque mutare posse negabant. Parcae autem, fatum, necessitas, erant, tantum nomine diversa *Hunc fore qui*, hunc diem, inquam illum futurum: scil. tribuit diei natali Messalae res ab ea enim die pendere existimabant quidquid homini contigisset in vita. *Aquitanas gentes*; Aquitania (nunc *la Guienna e la Guascogna*) Augusti Caesaris beneficio majorem, quam antea latitudinem accepit; patuit enim a Pyrenaeis ad flumen Ligerim. *Fundere*, dissipare, atque in fugam versas dispergere, *Vulp Tremeret*, valde formidaret. Subaudiri potest particula *ob*, vel *propter*, *Idem*. *Forti milite*, strenuis militibus. *Atax*, Fluvius Galliae Narbonensis, hodie l' *Aude* in *Linguadocca*.

V. 5. *Evenere*, ea scil. quae Parcae praedixerant. *Pubes Romana*, quae ad hujusmodi spectacula confluere solebat. *Novos triumphos*, Messala Corvinus de Aquitanis triumphum egit anno U. C. 727. *Evinctos duces*, Hostium duces bello capti currum victoris triumphantis praecedebant ligatis brachiis, et in tergum retortis, *Vulp. Brachia capta*, captiva; vel duces hostium bello captos brachiis revinctis.

At te victrices lauros, Messala, gerentem
  Portabat niveis currus eburnus equis.
Non sine me est tibi partus honos, Tarbella Pyrene
  Testis, et Oceani litora Santonici,
Testis Arar Rhodanusque celer, magnusque Garumna,
  Carnuti et flavi caerula lympha Liger,
An te, Cydne, canam tacitis qui leniter undis
  Caeruleus placidis per vada serpis aquis?

V. 7. *At te*, te vero redimitum triumphali lauro. *Niveis equis.* Equis utebantur triumphantes. *Honos.* Ipse ille triumphus; tecum enim, et sub imperio tuo ego quoque militavi, *Vulp. Tarbella Pyrene.* Pyrene sunt montes Pyrenaei quos Tarbelli Aquitaniae populus versus litus Aquitanici maris accolunt: hodie *Bearn.* Vide Caesarem l. 3. de Bello Gall. c. 47. *Santonici.* Santones gens Aquitanica Oceanum attingens, porrecta inter Ligerim et Garumnam, *Vulp.* hodie *Saintonge*, *Santogna. Arar*, *Rhodanus*, *Garumna.* Tres Aquitaniae fluvii celeberrimi, hodie *Saona*, *Rodano*, *Garonna Celerem*, Rhodanum vocat, in quem videlicet influit Arar segnis et cunctabundus, et a quo cum Isara et Druentia, pluribusque aliis minoribus, magno impetu in mediterraneum mare defertur, *Vulp.* Garumna, ortus in Pyrenaeo, mediam Aquitaniam percurrit, et in Aquitanicum Oceanum excipitur: vocatur *magnus* propter aestuaria quae facit. *Carnuti*, Carnuti, qui et Carnutes, populi Galliae Celticae, Ligerim fluvium attingentes ad septentrionem. *Flavos* appellant a colore capillorum. *Liger* hodie *Loira*, Gallicorum fluminum nobilissimus, et cursu longissimo, olim finiebat Aquitaniam ex Augusti descriptione, *Idem. Carnuti*, hodie *Chartres. Caerula lympha*; caerula appellatur lympha Ligeris, hoc est aequorea quia Oceanus intrat per ostia, et aestuaria facit.

V. 13. *Cydne.* Hactenus de Aquitanica Messalae victoria et triumpho: nunc alio transit. Res gesserat Tibulli patronus triennio ante in Cilicia, Syria, Aegypto: quamobrem poeta regionum quoque illarum mentionem facit. Cydnus fluvius campestrem Ciliciam interfluit, insignis et maximus, *Idem.* Cydnus, *Carasu. Leniter*, sine strepitu. *Caeruleis aquis*, inter marinas aquas serpit per loca vadosa, litori proxima. *Caeruleas aquas* vocat sinum maris Issici (*golfo di Lajazzo*) in quem sinum amnis Cydnus evolvitur, Vide Geographos.

Quantus et aethereo contigens vertice nubes
  Frigidus intonsos Taurus alat Cilicas?
Quid referam, ut volitet crebras intacta per urbes
  Alba Palaestino sancta columba Syro?
Utque maris vastum prospectet turribus aequor,
  Prima ratem ventis credere docta Tyros?
Qualis et, arentes cum findit Sirius agros,
  Fertilis aestiva Nilus abundet aqua?

V. 15. *Quantus*, quam magnus erigens se sublimi cacumine ad nubes frigidus Taurus. Mons hic asperrimus ac praeruptus Ciliciam a Pamphilia et Isauria jugis suis separabat. *Alat.* Strabo l. 12. p. 851. de fertilitate hujus montis, notante Statio disseruit: Summa enim cacumina fertilia esse, et inhabitari tradit. Alii legunt *Arat*, scil. dividit, secat, dirimit ab aliis gentibus. *Frigidum* vocat Taurum, quod montium excelsorum proprium est, ut frigidi sint. *Intonsi Cilices*, sunt inculti male pexi, utpote latrociniis et venatui operam dantes, sub dio agentes, atque a deliciis omnino alieni, *Vulp. Crebras per urbes.* Indicat Syriam Palaestinam regionem fuisse populorum, et urbibus frequentem, *Idem. Intacta*, illaesa. Nam Syri columbas violare nefas putabant, quae sacrae ipsis erant, piscibus etiam abstinebant. Palaestina regio est in Syria, Arabiae contermina. *Sancta*, habita tamquam sacra. *Syro*, Syriam colenti.

V. 19. *Turribus*, e praecelsis aedificiis, domibus. *Prima Tyros*: Tyrii, gens Phoenicia, mercaturae dediti navigationem quoque coluerant. Servabant vero Tyrii minorem Ursam, seu Cynosuram; eaque potissimum duce itinera sua maritima dirigebant: Ceterum, qui primus mortalium navigandi artem vulgaverit, non convenit inter auctores, *Idem. Docta*, prima, quae inter alias urbes perita existeret committendi naves ventis. *Sirius*, stella est in ore Canis, quae a Latinis *Canicula* dicitur. Ad hanc Sol accedit mense Julio, quo tempore calores maximi sunt; tunc autem Nilus (cujus aquae inde ab Aprili auctae), totam Aegyptum inundat, eamque fecundat usque ad Septembrem exeuntem. *Fertilis*, fecundans. *Aestiva aqua*, aquis abundet, intumescat, mensibus aestivis. Vide alterum Plinium Hist. Nat. l 5. c. 9.

Nile pater, quanam possum te dicere caussa,
  Aut quibus in terris occuluisse caput?
Te propter nullos tellus tua postulat imbres,
  Arida nec Pluvio supplicat herba Jovi.
Te canit atque suum pubes miratur Osirim.
  Barbara, Memphiten plangere docta bovem.
Primus aratra manu solerti fecit Osiris,

V. 23. *Nile pater.* Commune fluviis omnibus *patris* nomen. *In terris*, in regionibus. *Caput*, originem. De occultis Nili fontibus apud veteres omnia vulgata. Vide Plinium Hist. l. 5. c. 9. Posterioribus temporibus compertum est, ex intima Aethiopiae regionum ad Austrum nasci, unde per varios circuitus, longosque multarum regionum tractus, per Aegyptum septem ostiis in Mediterraneum devovitur. *Pluvio Iovi.* Variae tempestates varia Jovi cognomina indiderunt. Jovis Pluvii simulacrum poetica elegantia expressum visitur Romae in columna M. Antonini. Senex in ea fingitur Juppiter, prolissa barba et capillo, brachiis expansis, unde imbres copiosi decidunt, *Vulp. Supplicat*, vota facit.

V. 27. *Te canit*, te celebrat, o Nile, barbara ille geus Aegyptia, et veneratur tamquam suum Osirim. Osiris, Jovis filius ex Niobe, qui gloriae desiderio, Argivorum regnum relinquens ad Aegyptios transfretavit, eosque subegit. Isidem Inachi primi Argivorum regis filiam uxorem duxit, Aegyptios varias artes docuit, cumque Iside divinos honores meruit. A Sityphone Aegyptio clam occisum, diu Isis quaesivit. Quem quum laceratum tandem repperisset, sepeliendum curavit in insula Memphi proxima, quo sacerdotes tantum certis diebus eosque mitratos accedere voluit. Sed quum apparuisset Aegyptiis deinde bos quidam, Osirim putarunt, adoraveruntque et Deum, et Apim vocarunt, deinde Serapis dictus est. Quum hic bos in sacerdotum fonte mersus occiderat (non licebat enim eum certos vitae annos excedere) plangebant, scilicet planctu eum quaerebant, luctumque continebant, donec alium priori simillimum invenissent. *Plangere bovem* est plangere se propter bovem, Heyn. *Docta*, assueta plangere Memphiticum bovem.

V. 29. *Primus* Res gestas ab Osiride, ac beneficia in humanum genus collata, sed praecipue in Aegyptios diligenter enumerat Diodorus Siculus lib. 1. Biblioth.

Et teneram ferro sollicitavit humum.
Primus inexpertae commisit semina terrae,
Pomaque non notis legit ab arboribus;
Hic docuit teneram palis adiungere vitem:
Hic viridem dura caedere falce comam;
Illi jucundos primum matura sapores
Expressa incultis uva dedit pedibus.
Ille liquor docuit voces inflectere cantu,
Movit et ad certos nescia membra modos.
Bacchus et agricolae magno confecta labore
Pectora tristitiae dissoluenda dedit;
Bacchus et adflictis requiem mortalibus affert,
Crura licet dura compede pulsa sonent.
Non tibi sunt tristes curae, nec vultus, Osiri,
Sed chorus, et cantus, et levis aptus amor,
Sed varii flores, et frons redimita corymbis,
Fusa sed ad teneros lutea palla pedes:

Et teneram. Intactae antea telluris adunco vomere glebas movit. Nam *sollicitare* est loco movere, *Vulp. Teneram*, scil. mollem facilemque ad arandum propter Nili exundationem. *Inexpertae*, rudi quam nemo adhuc expertus fuerat. *Non notis*, ignotis, neglectis, quas coluit, et notas fecit.

V. 34. *Caedere*, amputare ferrea falce supervacua sarmenta, luxuriam foliorum seu pampinorum compescere. *Expressa*, ital. *spremuta. Incultis*, rudibus, sordidis rusticorum pedibus. *Movit nescia membra*, ital. *addestrò i rozzi piedi a muoversi con certe leggi. Confecta*, fracta, contusa rustico opere. *Tristitiae dissoluenda dedit*, scil. dissolvenda a tristitia, more graecorum casu patrio usus pro ablativo: a tristitia dissolvit, recreavit.

V. 42. *Pulsa*, vexata, contusa duris compedibus. *Sonent*, ital. *ne faccian sentire collo strascinamento.* Etiam mancipia in ergastulo, seu carcere rustico vincta, largiore vini potu hilarantur, et miseriarum obliviscuntur. *Nec vultus*, nec facies tristis et severa apud te locum habet. *Chorus*, Choreae. *Levis*, vel alatus, vel inconstans, utpote qui leves et inconstantes facit, *aptus*, scil. est *aptus*, tibi convenit. *Corymbis*, baccis hederae, qua Liber pater coronabatur, *Vulp. Fusa*, porrecta ad delicatos pedes tunica; puellari enim cultu Bacchus gaudebat. Palla fuit vestis muliebris exterior, Luteus autem, sive flavus color erat festi diei ornatus, et laetitiae index.

Et Tyriae vestes, et dulcis tibia cantu
  Et levis occultis conscia cista sacris.
Huc ades, et centum ludis, Geniumque choreis
  Concelebra, et multo tempora funde mero.
Illius e nitido stillent unguenta capillo,
  Et capite et collo mollia serta gerat.
Sic venias hodierne; tibi dem turis honores.
  Liba et Mopsopio dulcia melle feram.
At tibi succrescat proles, quae facta parentis
  Augeat, et circa stet veneranda senem.
Nec taceant monumenta viae, quem Tuscula tellus,
  Candidaque antiquo detinet Alba Lare.

V. 47. *Tyriae vestes.* Nam et purpura Bacchus utebatur, *Vulp. Dulcis cantu*, grata ob sonum. *Et levis cista*, et tenuis cista continens occulta mystica, mysteria. In sacris Liberi patris occulta quaedam et mystica cistis inclusa circumferri solebant, unde mulieres cistophorae. *Centum*, variis, multis ludis et choreis *Genium.* Nam locis tantum, sed etiam hominibus singulis Deum assignabant, quem *Genium* dicebant; totque Genios credebant esse, quot homines nascerentur. *Tempora funde mero*, scil. venis vino incalescentibus per eas diffuso.

V. 51. *Illius.* Genii. *Unguenta.* Amomo praecipue deos amorum praeside, comam unxisse, pulcre ostendit Broukhusius. *Et capite.* Luxuria veterum haec fuit non solum caput sertis redimire, quum genio indulgerent; sed etiam collo coronam circumponere, *Idem. Hodierne*, pro *Sic venias hodie*, o Geni. *Dem*, offeram. Ture in ignem indito te honorabo; et offeram dulcia liba Attico melle condita. Libum intellige epulas solemnes quae Genio offerebantur, et amicis etiam mittebantur. *Mopsopio*, quod Mopsopus fuerat antiquus rex Athenarum, ex *Vulp.*

V. 55. *At tibi.* Convertit sermonem ad Messalam. *Succrescat*, ital. *vada crescendo*, sensim crescat, quae suis rebus gestis augeat. *Veneranda*, hoc est formae dignitate, ut Vulpius praeclare interpretabatur, et omnino rebus gestis, et honoribus conspicua, et clara. *Nec taceant.* H. est Tusculani, et Alba celebrent magnificentiam Messalae in munienda parte Viae Latinae, quam jussu Augusti vel vetustate collapsam sternendam sumserat Messala inter ceteros viros triumphales: quibus viam partim ex manubiis, partim ex suis pecuniis reficiendas distribuerat. *Quem detinet Tu-*

Namque opibus congesta tuis hic glarea dura
Sternitur: hic apta jungitur arte silex.
Te canet agricola, e magna quum venerit urbe
Serus, inoffensum retuleritque pedem.
At tu, natalis, multos celebrande per annos,
Candidior semper candidiorque veni.

scula tellus; scil. ii qui Tusculi habitat, Tusculani; et is *quem detinet Alba candida antiquo lare*, qui domos antiquas incolit candidae Albae, scil. Albani. *Candida* dicitur Alba, quia Aeneas albam porcam cum triginta fetibus ejusdem coloris ibi comperisse perhibetur.

V. 59. *Opibus tuis*, tuis sumptibus comportata. *Sternitur*, strata conspicitur, complanata. *Apta arte*, artificio convenienti, arte magistra junguntur silices. *Canet*, laudabit rusticus, quam sero redibit ab urbe, et retulerit domum pedes illaesos, *senza aver inciampato*, vim confecerit. *Natalis*, scil. dies. *Candidior*, felicior, et semper felicior redi.

ELEGIA IV.

Ad bellum iturus militiam detestatur, et pacis otia laudat.

Quis fuit horrendos primus quis protulit enses?
Quam ferus, et vere ferreus ille fuit!
Tunc caedes hominum generi, tunc proelia nata:
Tunc brevior dirae mortis aperta via est.
At nihil ille miser meruit: nos ad mala nostra
Vertimus, in saevas quod dedit ille feras.

V. 1. *Quis fuit primus*. Inventionem ferri, et armorum fabricandorum sunt qui referant ad Chalybas gentem Poeticam: sunt qui ad Cyclopas, vel ad Dactylos Idaeos, *Vulp. Ferus*, crudelis. *Ferreus*, immitis, ferreo corde. *Nihil meruit*, nullam commeritus est poenam, vel reprehensionem quisquis ille fuit primus gladiorum inventor, imo laudandus ille est auctore Cicerone Tusc. l. 25. 62. *Omnes magni etiam superiores, qui ... praesidia contra feras invenerunt*, *Vulp. Vertimus*, convertimus in ruinam, exitium nostrum id, quod ille nobis subministravit, ut adversus truces feras adhiberemus.

Divitis hoc vitium est auri : nec bella fuerunt,
  Faginus adstabat cum scyphus ante dapes ;
Non arces, non vallus erat, somnumque petebat
  Securus varias dux gregis inter oves.
Tunc mihi vita foret, vulgi nec tristia nossem
  Arma, nec audissem corde micante tubam.
Nunc ad bella trahor, et jam quis forsitan hostis
  Haesura in nostro tela gerit latere.
Sed patrii servate Lares : aluistis et idem,
  Cursarem vestros quum tener ante pedes ;
Neu pudeat prisco vos esse e stipite factos :
  Sic veteris sedes incoluistis avi.
Tunc melius tenuere fidem, quum paupere cultu
  Stabat in exigua ligneus aede deus :

V. 7. *Divitis auri*, divites hominis efficientis. *Vitium*, culpa divitiarum haec est. Nam ob immoderatam divitiarum cupiditatem homines, ut plus haberent, regiones vicinorum invadere coeperunt ; unde bellorum origo. *Faginus*, pro *fagineus*, de fagino. *Adstabat*, stabat in mensa. Hujusmodi poculis utebantur veteres in sacris. Idcirco dapum hic mentionem facit, daps enim proprie significat carnem victimae occisae diis oblatam, ex *Vulp. Vallus*, munimenta. *Petebat*, somno se dabat custos gregis. *Securus*, tranquillus, quietus inter oves varii coloris, albas puta, nigras, maculosas.

V. 11. *Tunc mihi*, subaudi *utinam*: *foret* autem dixit pro *fuisset*. Utinam tunc ego vixissem, nec novissem funesta arma, *Vulp. Arma*, quae vulgaribus hominibus conveniunt, *Vulp. Micante*, tremente, palpitante. *Trahor*, invitus scil. *Quis*, aliquis. *Haesura*, quae haerebunt, figentur.

V. 15. *Sed patrii*. Commendat se Laribus domesticis, diis nimirum patriis, ut quandoquidem ad bellum iturus est, a latere suo tela hostium detorqueant, *Vulp. Aluistis*, ital *m' allevaste*, alumnus vester sum. *Cursarem*, quum puer currebam ludens. *Ante pedes*. Larem enim in foco praecipue statuebantur et colebantur.

V. 17. *E stipite*, formatos esse trunco antiquo. Tales enim habitastis in aedibus veterum avorum, majorum. *Tunc melius*, religiosus servaverunt fidem, quum in exigua domo stabant dii lignei paupere ornatu.

Hic placatus erat, seu quis libaverat uvam,
Seu dederat sanctae spicea serta comae.
Atque aliquis voti compos liba ipse ferebat;
Postque comes purum filia parva favum.
At nobis aerata, Lares, depellite tela,
Hostia erit plena rustica porcus hara;
Hanc pura cum veste sequar, myrtoque canistra
Vincta geram, myrto vinctus et ipse caput.
Sic placeam vobis; alius si fortis in armis,
Sternat et adversos Marte favente duces.
Ut mihi potanti possit sua dicere facta
Miles, et in mensa pingere castra mero.
Quis furor est atram bellis arcessere Mortem?
Imminet, et tacito clam venit illa pede.
Non seges est infra; non vinea culta, sed audax
Cerberus, et Stygiae navita turpis aquae.

V. 21. *Libaverat*, uvae primitias obtulerat. *Spicea serta.* Corona spicea Cereris propria fuit; sed et Cererem Diis domesticis et Laribus rusticis annumerabant, V. *Voti compos*, ital *ottenuta la grazia. Postque* et post ipsum, tenera filia, quae eum comitabatur, offerebat favum. *Aerata.* Hastas ferratas a nobis arcete. *Hostia erit rustica*, cadet vobis porcus, rustica victima e pleno stabulo.

V. 27. *Pura cum veste*, pura vestis appellabatur in sacris recens lota, candida, ut apud Virg. Aen. XII. 169. *duraque in veste sacerdos. Sequar*, comitabor. *Vincta*, coronata; Myrtea enim corona Lares donabantur. *Sic* : habitu sacrificantis, et opera pacis peragentis. *Facta*, res a se in bello gestas. *Pingere castra*, ital. *disegnare col vino*, quod facile fuit in mensis politis et accurate laevigatis. Morem militantium exprimit, qui domum reversi narrant sua facinora, ac saepe signis quibusdam facta describunt, aut etiam vino inter pocula in mensa designant.

V. 33. *Arcessere*, accelerare funestam mortem. *Imminet*, instat ipsa sponte sua. *Non seges est infra*, apud inferos non sunt arati campi, non cultae vineae, non sementem faciunt homines, non vites excolunt. *Audax* astros. *Navita turpis*, Charon portitor hor-

Illic exesisque genis, ustoque capillo
Errat ad obscuros pallida turba lacus.
Quam potius laudandus hic est quem, prole parata
Occupat in parva pigra senecta casa!
Ipse suas sectatur oves, at filius agnos;
Et calidam fesso comparat uxor aquam.
Sic ego sim, liceatque caput candescere canis,
Temporis et prisci facta referre senem.
Interea Pax arva colat: Pax candida primum
Duxit araturos sub juga curva boves.
Pax aluit vites, et succos condidit uvae,
Funderet ut nato testa paterna merum.
Pace bidens, vomerque vigent, at tristia duri
Militis in tenebris occupat arma situs
Rusticus e lucoque vehit, male sobrius ipse,

ridus, sordidus, fluvii Stygii. *Exesisque*. Larvae mortuorum fingebantur genis excavatis, carne scilicet excisa, V. *Ustoque capillo*. Calvas praeterea sibi fingebant mortuorum imagines, comis igne rogi penitus absumptis. *Id*.

V. 39. *Quam potius laudandus*. Tristem inferorum imaginem excipit suavis vitae rusticae descriptio, plane ut Horat. Od. II. 14. 17. 24. Mos olim erat, ut strenui milites qui egregium aliquod facinus edidissent, ab imperatoribus pro concione laudarentur, et praemiis donarentur; ad hunc mortem Tibullus respiciens, lepide affirmat, laudandum potius esse, qui procul a belli periculis pacis otio fruitur, atque in eo consenescit, V. *Prole parata*, cui liberis ex conjuge susceptis; supervenit senectus. *Comparat*, paret. Fessi ex itinere balneo aquae calidae ad lassitudinem deponendam utebantur veteres.

V. 43. *Sic ego sim*, id mihi contingat, et concedatur caput meum albescere canis, scil. capillis, quod raro militibus licet, qui plerumque flavo capillo moriuntur.

V. 45. *Arva colat*, cultos reddat agros. *Duxit*, misit sub juga boves, qui arant terram. *Aluit*, nutrivit. educavit *Condidit*, reposuit liquorem ex uva expressum, ut dolium, quod pater implevit, vinum praeberet filio.

V. 49. *Pace vigent*; pacis tempore exercentur. *In tenebris*, in tenebrosis locis recondita. *Occupat*. contegit. *Situs*, rubigo. *E luco*, ubi paullo ante cum uxore ac liberis genio indulserat. Nam convivia in lucis agitabantur, V.

Uxorem plaustro progeniemque domum.
Sed manibus qui saevus erit, scutumque sudemque
Is gerat, et sacris sit procul a studiis.
At nobis Pax alma veni, spicamque teneto:
Perpluat et pomis candidus ante sinus.

V. 52. *Plaustro*, quod simplicium temporum, itemque agrestium hominum et pauperum fuit, *Idem. Sudemque. Sudes*, potest genus teli militaris intelligi, vel (quod praestat) vallus, qui a milite portabatur. Qui cupidus est saeviendi, militiae durum opus exerceat. *Sit procul*, absit ad Musarum studiis, quibus bello nihil magis infestum: *At nobis*, tu vero, alma Pax ad nos veni, nobis ades. *Spicamque teneto*. Et ita in nummis saepe Pax cum aristarum fasciculo, etiam aristis ac pomis gremio onusto conspicitur. Vid. Broukh. et confer Statium. *Perpluat*, sinus anterior candidae vestis effundat copiosos fructus, ital. *ci piova*, *versi in copia de' frutti*. Veste alba Pacem deam induebant veteres.

ALBII TIBVLLI

EQVITIS ROMANI

EX LIBRO II.

CARMEN I.

Sacrum ambarvale describit: rura et ruris deos laudat; quibus mitioris victus, aedificandi, boves domandi, arbores inserendi, hortos colendi, vindemiae ac messis faciendae, mellis colligendi, cantus praeterea, saltationis, rudimentorum poeticorum, corollarum, lanificii tribuit inventionem. Cupidinem denique diis rusticis accenset.

Quisquis ades, faveas; fruges lustramus et agros
Ritus ut a prisco traditus exstat avo.
Bacche, veni, dulcisque tuis e cornibus uva
Pendeat, et spicis tempora cinge, Ceres.

V. 1. *Quisquis ades*, quisquis es, qui hic ades. *Faveas*, ital. *applaudisci, fa delle acclamazioni di buon augurio.* Aliis erat formula, qui in sacris silentium indicebatur, ut rite peragerentur, nulla mala voce obstrepente. *Lustramus*, expiamus, purificamus per sacrum ambarvale, quod ab arvis ambiendis dictum est. *Ritus ut*, est, ut postulat ritus; ex ritu et consuetudine ad nos usque transmissa ab antiquis majoribus. *Tuis e cornibus*. Hujusmodi cornua quae Baccho tribuunt, et aurea quidem, nihil aliud fuisse crediderim, quem certum capillorum ornatum, qui cornum figuram exhiberet. Dicta vero sunt auro, quod intonsa Bacchi coma flavo colore esset, *Vulp.*

Luce sacra requiescat humus, requiescat arator,
  Et grave suspenso vomere cesset opus.
Solvite vincla jugis, nunc ad praesepia debent
  Plena coronato stare boves capite
Omnia sint operata Deo; non audeat ulla
  Lanificam pensis imposuisse manum.
Vos quoque abesse procul jubeo, discedite ab aris,
  Siquos sollicitat conscia mens sceleris.
Casta placent superis; pura cum veste venite,
  Et manibus puris sumite fontis aquam.
Cernite, fulgentes ut eat sacer agnus ad aras,
  Vinctaque post olea candida turba coma.

V. 5. *Luce sacra.* Non omne tamen opus diebus festis intermittere cogebantur agricolae, sed ea tantum quae duriorem laborem efficerent, ideo Tibullus *grave opus*, dumtaxat *cessare* jubet, *Id.* Vide Virg. Georg. I. 2. v. 208 *Grave opus*, intellige opus gravis laboris. *Suspenso*, applicato parieti, aut trabi; ital *appeso*, *Cyllenius. Solvit vincla jugi*, ital. *dai gioghi le funi*, quibus boves alligantur *Ad praesepia*, in stabulis. *Coronato capite.* In Sacris ambarvalibus boves; in Vestae solemnibus aselli quibus ad molas circumagendas utebantur; in Consualibus et equi et asini corollis ornabantur.

V. 9. *Omnia sint operata Deo*, hoc est, ferientur, celebrent hunc diem omnes agrestes; vel omnia directa sint ad sacrum diis faciendum. *Ulla*, nempe femina. *Lanificam*, manum lanariam, lanificio assuetam, applicare operi; ital. *metter mano a filar la lana. Sollicitat*, sollicitos et anxios habet. *Casta placent.* Ex lege religionis sumptum est, quam Cic. in lib de Legibus recitat: *Ad divos adeunto caste, Cyllen. Pura cum veste*, scil. candida. Vid. El. 4. I. 1, v.27. *Puris*, a crimine. Eos enim, quibus purae manus non essent, sacris arcebant. Praeterea sacrificaturi aqua munda ante Sacrum manus abluebant.

V. 15. *Fulgentes*, ob ignem ibi accensum ad victimam comburendam. *Eat*, scil. sponte sua, non invitus ac tractus. Nam quae reluctabatur victima, cum ad aram duceretur, eam ligari non potuisse notum est. *Sacer*, sacrificio destinatus, *Post*, praecedentem candida et pura veste induti agrestes, ad quos sacrificium pertinebat, sequebantur. *Olea*, in cultu Larium myrteam, in sacro ambarvali oleaginam coronam gerebant.

Dî patrii, purgamus agros, purgamus agrestes,
Vos mala de nostri pellite limitibus.
Neu seges eludat messem fallacibus herbis:
Neu timeat celeres segnior agna lupos.
Tum nitidus plenis confisus rusticus agris
Ingeret ardenti grandia ligna foco;
Turbaque vernarum, saturi bona signa coloni,
Ludet, et ex virgis exstruet ante casas.
Eventura precor. Viden ut felicibus extis
Significet placidos nuntia fibra Deos?
Nunc mihi fumosos veteris proferte Falernos
Consulis, et Chio solvite vincla cado.
Vina diem celebrent: non festa luce madere
Est rubor, errantes, et male ferre pedes.

V. 17. ***Pellite***, propulsate a finibus agrorum, circum quos victimam ducimus. ***Seges***, ne cultus ager frustretur, defraudet spem messis inutilibus herbis, quae fruges obruant. ***Nitidus rusticus***, bene saginatus, cui nitet cutis, *V.* ***Plenis agris*** frombuti copia. ***Grandia ligna***, grandes arborum truncos; vel ad lignorum copiam respicit.

V. 23. ***Vernarum***, puerorum, quos domi ancillae pepererunt. ***Saturi***, copiosi, opulenti, qui largo victu multitudinem vernarum nutrire possit ***Ante***, subaudi ***focum*** (ubi Lares) ludet, et aedificabit casas ex virgis, ital ***capanne, casuccie di fuscelletti***. ***Eventura***, quod cupio, quod precor, eveniet. ***Felicibus***, faustis, faventibus intestinis. ***Nuntia***, fibrae deorum voluntatis interpretes, indicent Deos esse propitios.

V. 27. ***Fumosos Falernos***, cados scil. vini Falerni, qui vetustatem ementiantur fumo contracto. ***Veteris consulis***, nomen praeseferentes antiqui consulis. Vini enim vetustas ex consulis nomine noscebatur, quod a consulibus annos numerabant Romani. ***Solvite vincla***, resignate cadum Chium pice obstrictum, *V.* ital ***mettete mano al botticino***. ***Celebrent***, vino celebratur, ital. ***si solenizzi*** hic dies ***Madere***, ebrium esse. ***Male ferre pedes***, titubare inter ambulandum. Urbane, Itali, ***andare a spinapesce***, Vulpius.

Sed, bene Messalam, sua quisque ad pocula dicat,
  Nomen et absentis singula verba sonent.
Gentis Aquitanae celeber Messala triumphis,
  Et magna intonsis gloria victor avis,
Huc ades, adspiraque mihi, dum carmine nostro
  Redditur agricolis gratia caelitibus.
Rura cano, rurisque deos, his vita magistris
  Desuevit querna pellere glande famem.
Illi compositis primum docuere tigillis
  Exiguam viridi fronde operire domum:
Illi etiam tauros primum docuisse feruntur
  Servitium, et plaustro supposuisse rotam.
Tunc victus abiere feri, tunc insita pomus;
  Tunc bibit irriguas fertilis hortus aquas;

V. 31. *Quisque ad pocula*, unusquisque in vino bene dicat Messalae nimirum fausta illi precetur; vel ex sententia Broukhusii; dicat. *Bene Messalam*; nimirum bene Messalam valere, bene rem gerere precor: porro haec loquendi formula in libris Latinorum cum quartu casu vix invenitur si hunc locum Tibulli excipias, ut observat clariss. Vulpius. Ital. *alla prosperità di Messala*. *Sonent*, ital. *faccian risuonare*. *Gentis Aquitanae*. Vid. supr. Eleg. 3. I. 1. *Celeber*, Insignis. *Gloria*, intonsis majoribus ingens decus ob tuas victorias. Antiquissimi Romanorum capillum et barbam promittebant. Tonsores enim nonnisi post 454. in Italiam venere, ut e Varrone de R. R. II. 11. docent Broukh. et Vulpius ad hunc locum: Heyn.

V. 35. *Adspira*, huc veni, et fave mihi propitius. *Agricolis*, rusticis. *His vita magistris*, nempe hominum vita, homines his edocti desueverunt, ital. *lasciaron l' uso*. *Pelle famem*. Antiqui mortales glandivori fuerunt, donec ad mitiorem cibum Triptolemo auctore revocarentur. Is tritici semine primus arva conspersit. Vide Valerium Flaccum 1. Argonaut. v. 58.

V. 39. *Compositis*, apte dispositis hinc inde tigillis. *Domum*: quod consonant Odae 1. Horatii l. 3. 22. Somnus agrestium Lenis virorum non humiles domos Fastidit, *Servitium*, jugum subire. *Plaustro*, currui rotas subjicere, adjicere.

V. 43. *Abiere*. ital. *sbanditi furono* cibi ferarum proprii. *Pomus*, arbor pomifera. *Irriguas*, hortum irrigantes. *Aurea*,

Aurea tunc pressos pedibus dedit uva liquores
Mixtaque securo sobria lympha mero est.
Rura ferunt messes, calidi quum sideris aestu
Deponit flavas annua terra comas.
Rure levis verno flores apis ingerit alveo,
Compleat ut dulci sedula melle favos.
Agricola assiduo primum satiatus aratro
Cantavit certo rustica verba pede;
Et satur arenti primum est modulatus avena
Carmen, ut ornatos diceret ante deos.
Agricola et minio suffusus, Bacche, rubenti
Primus inexperta duxit ab arte choros:
Huic datus a pleno memorabile munus ovili:

flava nimirum, auro concolor, matura. *Securo*, innocenti. *Calidi sideris*, fervidi solis. *Annua terra*, terra quotannis deponit flaventes comas. Nam seges quotannis renovatur, aratur, seritur, tondetur denique messis tempore; ut recte ad hunc locnm Broukhusius.

V. 49. *Verno alveo*, in alevari verno tempore. *Flores ingerit*, florum succos recondit. *Sedula*, industria. *Assiduo satiatus aratro*, diuturni laboris, ac durissimi operis taedio affectus, V. Diuturno arandi labore defessus. *Certo pede*, definita rythmorum lege, certo ac definito quodam metro. Rustica *verba*, rudes versus, cantilenas. Poesim rure natum inter pastores et agricolas significat.

V.53. *Modulatur*, ital *accompagnò col suono dell' arida sampogna, cantò al suono ec. Carmen*, suas cantilenas, ut eas postea frequenti sacro caneret ante deos coronatos, scil. ante aras. Ornari Dii dicebantur, quum coronae simulacris imponebantur. *Minio suffusus*, aut reapse purpureo colore infectus aut faecibus vini perunctus. Vide Horat. Epist. ad Pisones v. 375. Broukhusius animadvertit, rusticus qui Bacchi sacra fecerant, ideo sibi faciem minio tinxisse, quod gentes nonnullae in Achaja et Arcadia statuam Bacchi eodem colorem inficere solerent. Vide Pausan. in Corinthiacis c. 2. Aliorum etiam deorum praecipue rusticorum, purpureum vultum fingebant, V. Trogoediae principia hic attingit poeta quae humilia prorsus et agrestia fuerunt. Vide Vulp. hoc loco. *Inexperta*, intentata, nondum tentata. Particula *ab* Poetis abundare solet. *Choros*. Rustici bene poti canere ac saltare coeperunt in festis Bacchi, quum antea cantus et saltationis omnino rudes fuissent, V.

Dux pecoris hircus: duxerat hircus oves.
Rure puer verno primam de flore coronam
  Fecit, et antiquis imposuit Laribus.
Rure etiam, teneris curam exhibitura puellis,
  Molle gerit tergo lucida vellus ovis:
Hinc et femineus labor est, hinc pensa, colusque,
  Fusus et apposito pollice versat opus:
Atque aliqua assiduae textis operata Minervae
  Cantat, et applauso tela sonat latere.
Ipse interque greges, interque armenta Cupido
  Natus, et indomitas dicitur inter equas.
Illic indocto primum se exercuit arcu.
  Hei mihi, quam doctas nunc habet ille manus!
Sancte veni dapibus festis, sed pone sagittas;
  Et procul ardentes, hinc procul, abde faces.

V. 58. ***Hircus***. Quum certatim quotannis poetae tragoediam, scriberent, qui sub arbitris victoriam adepti essent, hirco donabantur, quem pecoris ducem, etiam ovili statuere solebant. Intellige ergo datum hircum tanquam praemium. Ceterum Heynius ait hoc emistichium vix genuinum esse, ac certe Tibullo minus dignum. ***Curam exhibitura***, ital. *per dar da pensare, da fare*, sollicitudinem datura. ***Lucida***, nitida, candida.

V. 63 ***Hinc et***, scil. a lana, a vellere. ***Pensa***, Glomi lanae appensi, ac lanificis puellis distributi in opus diurnum, *V.* ***Apposito pollice***, auxilio pollicis. ***Versat opus***. ital. *torce girando il filo*. Nam ad conversionem fusi pollex adhibetur ***Operata textis***; intenta assiduis operibus Minervae, scil. telae texendae. Pallas enim ex Ovidio Fastor. 3. textoriam artem docuit: *textis* autem est casus sextus.

V. 66. ***Tela sonat***, hoc est ipsum textus. ***Applauso***, cum strepitu appulsum, alissum. Dum tela manu textricis hinc atque illinc percurritur et constringitur, sonitum seu crepitum edit, *V.* Lateribus pectine percussis, tela strepitum edit.

V. 69 ***Illic***, nempe rure inter armenta. ***Indocto***, rudi; vel pro *indoctus*, scil. inexpertus. ***Doctas***, peritas, expertas. ***Sancte***, tu quoque venerande Deus, veni ad solemnes epulas. ***Pone***, depone, missas fac, *V.* ***Abde***, absconde, reconde, remove.

Vos celebrem cantate Deûm, pecorique vocate
Voce; palam pecori, clam sibi quisque vocet,
Aut etiam sibi quisque palam: nam turba jocosa
Obstrepit, et Phrygio tibia curva sono.
Ludite, jam Nox jungit equos, cursumque sequuntur
Matris lascivo Sidera fulva choro.
Postque venit tacitus fuscis circumdatus alis
Somnus, et incerto somnia nigra pede.

V. 73 *Celebrem*. nemini ignotam, ital. *rinomato*, qui ab omnibus colitur et invocatur: vel victorem ac triumphatorem. *Vocate*, invocate. *Voce*, vel redundat, vel pro *nomine* adhibetur, ital. *invocatelo a nome pel bestiame*. *Palam*, clare, aperte, clara voce *Clam*, secrete, tacite. *Turba jocosa*, ital. *l'allegra brigata*. *Phrygio sono* ital. *in frigio tuono*. Vide Catulli Carmen XXXIV. v. 22.

V. 77. *Ludite*, ital. *divertitevi*, jocamini. *Jungit equos*, Equos et currum Nocti tribuunt poetae; eamque siderum matrem finxerunt, quod nonnisi noctu lucere videantur. *Lascivo choro* ital. *in festevol danza*. Siderum choreae, poetica lingua, sunt periodi tardiores vel celeriores planetarum, accessus eorundem, et recessus; ortus, occasus: coitiones, digressiones etc. Manil. lib. 1. Astronom. 2. 668. *Siderum chorum*, Tibullus appellavit *lascivum*, quod saltatio signum sit lasciviae, hilaritatis, et animi gestientis. *ex Vulp. Fulva*, rutila. *Postque*, et post sidera *Tacitus*, ital. *cheto cheto*. *Somnus*; Somnum Deûm esse noctis filium mortis fratrem putaverunt veteres, eique fuscas alas tribuerunt. *Incerto*, male firmo, titubanti. *Nigra*, Somniis nigras alas tribuit Euripides in Hecuba.

ELEGIA II.

Diem Cerinthi natalem celebrat.

Dicamus bona verba. venit Natalis ad aras;
Quisquis ades, lingua vir mulierque fave.
Urantur pia thura focis, urantur odores,
Quos tener e terra divite mittit Arabs.
Ipse suos Genius adsit visurus honores,
Cui decorent sanctas mollia serta comas;
Illius puro destillent tempora nardo,
Atque satur libo sit, madeatque mero.
Adnuat et, Cerinthe tibi, quodcumque rogabis;
En age; quid cessas? adnuet ille; roga.
Auguror, uxoris fidos optabis amores,
Jam reor hoc ipsos edidicisse Deos.

V. 2. *Lingua fave*, Hoc est *favere lingua*, dicere bona verba, scil. boni ominis. *Odores*, aromata odorata: puta cinnamomum, costum, casia, bdellium, stacte et alia hujusmodi, *V. Tener Arabs*, luxu perditus, deliciis affluens; imbellis, impar labori. *E terra divite*, copiosa nimirum, et feraci rerum opimarum, *V.*

V. 4. *Adsit*, adveniat. Invitabantur Genii ture ac vino ad epulandum. *Honores*, apectaturus festa, sacra sibi instituta. *Puro nardo*, vel unguento nardino genuino, et non adulterato, vel oleo nardino. Nam oleum, ex nardo tenue fuit ac simplex, unguentum crassum et mixtum, V. *Satur libo*, Libi natalitii saepius meminerunt poetae: Erat placenta de farre, melle, et oleo, cujusmodi placentam Itali hodie vocant *migliaccio*. Non solum autem diis offerebantur, sed etiam cognatis, et amicis muneri mittebatur die natali, *Id. Madeatque mero.* Ebrietatem Genio, quamquam deo: tribuere non verebatur Tibullus. Vel, si *madeat*, proprie accipiendum est, significaverit; vino sit aspersus. Nam cutem quoque odorato vino nonnumquam perfundebant veteres. *Idem.*

V. 9. *Adnuat*, significet nutu, et capitis flexu, se postulata concedere, *Id. Auguror*, vaticinor, praedico tamquam divinus et conjector. *Uxoris*, speratae, vel pactae, quod ex versu 18. hujus eleg. colligi potest, *Id. Edidicisse*, ipsos deos precum tuarum

Nec tibi malueris totum quaecumque per orbem
Fortis arat valido rusticus arva bove;
Nec tibi gemmarum quidquid felicibus Indis
Nascitur, Eoi qua maris unda rubet.
Vota cadunt. Utinam trepidantibus advolet alis,
Flavaque conjugio vincula portet Amor!
Vincula quae maneant semper, dum tarda senectus
Inducat rugas inficiatque comas.
Hac venias Natalis avi, prolemque ministres:
Ludat et ante tuos turba novella pedes.

formulam scire, aç memoria retinere. Huc enim recidunt preces et vota tua, quum deos rogaturus ad aras accedis; *Sappiano a mente.*

V. 13. *Nec malueris*, nec tibi praeoptaveris agros omnes: ital. *nè al confronto, a preferenza di questo ti elegeresti quanto terreno arano per tutto il mondo* robustis bovibus rustici duri, laboris patientes. *Felicibus Indis*, Indi felices vocantur, quod regio, quam incolunt fertilis valde sit, gemmis et auro scateat. Sic Arabiae pars *felix* appellata, *Eoi qua maris unda rubet* sole oriente. Mare illud, quod Rubrum appellant, cuius particula est sinus Arabicus, non ab aquae, neque ab arenae colore ita dictum volunt viri docti, sed ab rege Erythra qui sepultus fuerit in una Insularum Oceani ad meridiem siti. Ceterum omne mare, si longe spectetur, adventu diei purpurascit.

V. 17 *Vota cadunt. Cadere* hic est *evenire: accidere*, verbum simplex pro composito *Id.* ital. *esauditi, appagati sono i tuoi voti. Trepidantibus*, adcelerantibus, et festinantibus. *Id.* ital *con affrettato dibattimento di ale a volo ne venga Amore. Flavaque vincula*, ceston videlicet, seu cingulum Veneris luteo colore, qui color nuptiis dicatus. Vel potius intelligenda sunt legitima vincula; quibus inter se vir et uxor copulantur, *Id. gli aurei legami. Maneant*, durent. *Inducat rugas*, ital. *faccia raggrinzare il volto, e incanutire i capelli. Hac venias, Natalis avi*, o Natalis, o Geni, veni hoc omine felici, et prolem concede: et liberi succrescentes ludere possint ante focum, ubi et tu inter deos Lares positus es atque adoraris. *Turba novella*, turba puerorum succrescentium.

ELEGIA III.

Messalino, M. Valerii Corvini Messalae, summi oratoris filio, in Collegium quindecim virorum cooptato (quorum cura et munus erat Sibyllinos versus interpretari) oracula Sibyllarum laudat, Phoebique opem implorat.

Phoebe fave, novus ingreditur tua templa sacerdos,
Huc, age, cum cithara carminibusque veni.
Nunc, te vocales impellere pollice chordas,
Nunc, precor, ad laudes flectere verba, meas.
Ipse, triumphali devinctus tempora lauro
Dum cumulant aras, ad tua sacra veni;
Sed nitidus, pulcherque veni; nunc indue vestem
Sepositam; longas nunc bene pecte comas:

V. 1. *Phoebe.* Phoebum Apollinem invocat, quod hic Deus vaticiniis praeesset, quod numen suum Sibyllis afflavisse crederetur, et quod *Libri Sibyllini* ab Augusto Caesare *conditi* fuissent *duobus forulis auratis sub Palatini Apollinis basi*, teste Svetonio in Octavio cap. 31. *Novus Sacerdos.* Quindecemvir sacris faciundis, Marcus scil. Messalinus qui novum sacerdotium init. Duos habuit M. Valerius Corvinus Messala filios, Marcum et Lucium. Marcus natu major, de quo hic sermo, patris bellicam virtutem ac eloquentiam referre visus est. Lucius poetarum studiis inclaruit. Ex Valeria familia etiam mulieres, Messalinae dictae sunt. *Carminibus*, cantu.

V. 3. *Vocales*, sonoras *impellere*, tangere, carpere chordas digitis, quorum subsidio interdum plectrum, sive pecten veniebat. *Flectere verba*: nempe mihi te laudaturo verba, quae poetam deceant suppeditare, verba flexilia, et metro accomodata. V. *Cumulant aras*, dum sacerdos partes certas, decisas ex omni viscere ac membro victimae offerendae farina farris involutae, a ministris accipit, et aris imponit comburendas. Ex his porro partibus quandam struem excitare, est *cumulare aras*, *Id.*

V. 7. *Nitidus*, capillo bene pexo atque unguentato, *Id. Vestem sepositam.* Theatrale syrma, cum quo citharoedi prodibant in publicum; *seposita vestis*, est non quotidiana, ad laetos, et festos dies agendos in arcula reservata, *Id.*

Qualem te memorant, Saturno rege fugato,
  Victori laudes concinuisse Jovi.
Tu procul eventura vides tibi deditus augur
  Scit bene, quid fati provida cantet avis;
Tuque regis sortes; per te praesentit haruspex,
  Lubrica signavit quum Deus exta notis:
Te duce Romanos nunquam frustrata Sybilla est
  Abdita quae senis fata canit pedibus,
Phoebe, sacras Messalinum sine tangere chartas
  Vatis; et ipse, precor, quid canat illa, doce:
Haec dedit Aeneae sortes, postquam ille parentem
  Dicitur, et raptos sustinuisse Lares.
Nec fore credebat Romam, quum moestus ab alto

Qualem, talem te exhibe, qualem dicunt et cantu celebrasse laudes victoris Jovis postquam per summum scelus et impietatem, Saturnum patrem regno expulisset.

V. 11. *Debitus*, cujus ars tibi es debita. Attingit autem in his diversa vaticinandi genera augurium; oracula, haruspicinam, et libros Sibyllinos. *Sortes* versu 18. de oraculo accipio, ut toties, et paullo post v. 19. non cum Broukh. de sortibus proprie dictis, quae plebis superstitio esset nimis tenuis inter has laudes publicas. *Praesentit*, praevidet, futurum praenoscit, quum deus in lubricis (*arrendevoli*) hostiarum visceribus certas notas impressit. *Notis*. Haruspicum vanissima disciplina docebat quid certae notae in pecudum visceribus, praecipue jecore, portenderent ac significarent, V. Hae notae si non apparerent, *exta* dicebantur *muta*.

V. 15. *Sibylla*, Cumaeam intelligit, quae Aeneae sortes dedit. Vide Virg. L. 6. Quamquam Petrus Peritus peculiari libro de Sibylla, unam tantum fuisse statuit, quae a variis locis, ubi illa vixerit, varium nomen sortita fuerit. *Senis pedibus*. Manifestum hinc; hexametris libros sibyllinos exaratos fuisse. *Sacras chartas*, nempe libros Sibyllinos, qui a profanis aspici non poterant, nedum tangi, contrectari et evolvi. *Quid canat illa*, tu o Phoebe, Messalinum doce quid canat Sibylla obscuris vera involvens.

V. 20. *Lares* Nota, Lares manifeste hoc loco pro Penatibus positos. *Nec fore credebat*. Nam. fati sui incertus Aeneas, quum crudele patriae excidium defleret, talem tantamque fortunam sperare in rebus desperatissimis non poterat. *Ardentes deos*, deorum statuas

Ilion ardentes respiceretque Deos:
(Romulus aeternae nondum formaverat urbis
Moenia, consorti non habitanda Remo.
Sed tunc pascebant herbosa Palatia vaccae,
Et stabant humiles in Jovis arce casae.
Lacte madens ilicis suberat Pan illius umbrae,
Et facta agresti lignea falce Pales;
Pendebatque vagi pastoris in arbore votum,
Garrula silvestri fistula sacra Deo.
Fistula, cui semper decrescit arundinis ordo,
Et calamus cera jungitur usque minor.
At, qua Velabri regio patet, ire solebat
Exiguus pulsa per vada linter aqua.

una cum templis deflagrantes. *Ab alto*, a puppi navis, quae per altum mare navigabat. V.

V. 23. *Aeternae.* ut Romani putabant, vel diuturno tempore duraturae. *Formaverat*, nondum condiderat, exstruxerat: quamquam Brouk. de imagine nondum praeconcepta a Romulo interpretari mavult. *Consorti*, fratri germano scilicet; vel pari potestate et pari honore fruenti, *V. Herbosa Palatia*, montem Palatinum, in quo deinde Romulus habitavit sedesque fuit Imperii Romani, et domus Augusta, ex eod. *In Jovis arce* in rupe Tarpeja, ubi postea templum Jovis Capitolini, tuguria pastorum huc illuc dispersa cernebantur; in quibus et Romuli casa stramentis tecta, quam Curiam Calabram dixerunt. *Id.*

V. 27. *Lacte madens.* Ibi in luco sub umbra ilicis stabat simulacrum Panos, lacte aspersum. Lacte enim et libo fiebat sacrum omnibus diis agrestibus. *Pales*, simulacrum ligneum, rustica, rudi falce factum. *Pendebatque*, suspensa erat in arbore arguta fistula dicata agresti Deo, puta Pani, Pali, vel Fauno, Silaeno etc. votum errantis pastoris.

V. 31. *Decrescit* ital. *gradatamente va perdendo, scemando*, diminuitur. *Usque minor*, arundo alia brevior. Nam fistula septem cannis constabat, cera inter se ac lino conglutinatis, in summo, qua inflabatur, aequalibus, in imo qua exit spiritus, inaequalibus, *ex Broukusio. Velabri regio patet.* Velabri tractus, planities extenditur inter Capitolium, Palatinum, et Aventinum, ubi et Boarium Forum fuit. *Pulsa aqua*, aquam impellens. *Per vada*, per paludes, paludosa loca. Nam in Velabro olim inundantes aquae Tiberis stagnavere.

Illa saepe gregis diti placitura magistro
Nubilis est festa vecta puella die.
Cum qua foecundi redierunt munera ruris
Caseus, et niveae candidus agnus ovis).
Impiger Aenea, volitantis frater Amoris,
Troïa qui profugis sacra vehis ratibus,
Jam tibi Laurentes adsignat Juppiter agros:
Jam vocat errantes hospita terra Lares.
Illic sanctus eris, quum te veneranda Numici
Unda Deum caelo miserit Indigetem.

V. 35. *Illa* subaudi *aqua*, sive *via*. *Diti magistro*, diviti custodi gregis, vel diviti praefecto custodiae gregis, placitura. Alii legunt *gregis ditis*. *Festa die*. Palilibus, nisi fallor, quae agebantur XI. Calendas Majas, tunc enim pecora maxime fecunda; *Vulp*. *Vecta*, nempe lintre. *Cum qaa*, relata sunt domum munera; quae ad suos rediens domum retulit accepta munuscula ruralia.

V. 39 *Impiger Aenea*. Hae sunt sortes, Aeneae Sybillam dedisse superius dixerat poeta. Illi praedicit regnum Latii, posterorum felicitatem, futuramque Romanorum magnitudinem. *Impiger*, est acer, strenuus, laboris patiens, impavidus, *Vulp*. *Volitantis*, aligerum vocavit Virgilius. *Frater*, eadem enim matre natus erat, scil. Venere. *Troia sacra*, Deos ipsos Trojae patronos, *Id*. *Laurentes agros*. Laurentem, Latii urbs, versus oram maris Tyrrheni, a Latino, vel a Pico rege condita. Videtur esse locus qui nunc dicitur *Pratica*. Huc e Sicilia appulit Aeneas. *Vocat*, ad se vocat, invitat. *Hospita*, hospitalis, hospitium praebitura.

V. 43. *Illic*, scil. in agro Laurente. *Sanctus* hoc est divus. *Numici unda*. In hoc flumine repertum fuit cadaver Aeneae, et consacratum. *Veneranda unda* dicta, ut omnino fluvii *sancti*, quia ipsis numen inesse credebant. Sunt qui tradunt, Aeneam, hoc flumine submersum; ferunt alii non procul ab eo in pugna occisum; neque desunt qui corpus occisi nusquam comparuisse scribant, *Vulp*. Aeneam consecratum et caelo receptum: dixerunt Latini *Deum Indigetem*; *Jovem Indigetem*, *Patrem Indigetem*. Numicius Latii fluviolus, qui ex lacu Nemo effluens, Lavinio proximus labitur, nunc *Rivo di Nemi*. *Deum Indigetem*, *Vulp*. Latinos eiusce'llos dica-

Ecce super fessas volitat Victoria puppes;
　Tandem ad Trojanos diva superba venit.
Ecce mihi lucent Rutulis incendia castris;
　Jam tibi praedico, barbare Turne, necem:
Ante oculos Laurens castrum, murusque Lavini
　est,
　Albaque ab Ascanio condita Longa duce,
Te quoque jam video, Marti placitura sacerdos
　Ilia, Vestales deseruisse focos;
Carpite nunc, tauri, de septem montibus herbas
　Dum licet; hic magnae jam locus Urbis erit.
Roma, tuum nomen terris fatale regendis
　Qua sua de coelo prospicit arva Ceres,

visse tradit Dionys. Halicarnass. l. 1. c. 40. *Volitat Victoria*, alatam nobis hanc deam exhibent veteres nummi, et antiqua monumenta, *Vulp. Puppes*, tuas o Aenea. *Diva superba.* In bellis omnibus insolens est Victoria. *Venit*, transit propitia.

V. 47. *Ecce mihi lucent*, ital: *mi dan sugli occhi*, ignes coruscare video. Loquitur Sibylla tamquam de re praesenti, ut solent vaticinantes. *Barbare Turne. Barbarum* esse hoc loco hominem Latinum statuunt Broukh. et Vulpius. Ego intelligo crudelem; ferocem, saevum, audacem, ut saepe Virgilius. *Laurens castrum*; nempe Laurentem, veteris Latii oppidum. *Lavini.* In honorem Laviniae conjugis ab Aenea conditum. Ital. *Città Lavinia*, *Alba Longa* Ascanius Aeneae filius, abundante, ut ait Livius, Lavinii multitudine, novam urbem sub Albano monte condidit, quae ab situ porrectae in dorso urbis Longa Alba appellata est.

V. 52. *Ilia.* Romuli matrem, Vestae sacerdotem. Iliam vocare solent Poetae, Rheam Silviam Historici, *Vulp.* Filia fuit Numitoris fratre pulso, interfectoque ejusdem filio Lauso, Virginem Vestalem fecit, ut per speciem honoris ipsi spem partus adimeret. At illa ex Marte, ut ajebat, geminum partum edidit, Remum et Romulum. *Vestales focos*, ignem Vestae sacrum, virginibus custodiendum, ne extingueretur. *Tauri*, o armenta, pascite nunc quamdiu conceditur.

V. 55. *Tuum nomen*, tuum imperium, tua potentia fatis destinata gubernandis terris, quacumque Ceres de caelo prospicit arva sua. *Qua sua.* Significat poeta, culta omnia orbis terrarum loca, ubicumque aratur, seritur, et metitur, sub Romano imperio futura

Quaque patent ortus, et qua fluitantibus undis
  Solis anhelantes abluit amnis equos.
Troja quidem tum se mirabitur, et sibi dicet
  Vos bene tam longa consuluisse via.
Vera cano; sic usque sacras innoxia laurus
  Vescar, et aeternum sit mihi virginitas.
Haec cecinit vates, et te sibi, Phoebe, vocavit,
  Jactavit fusas et caput ante comas.
Quidquid Amalthea, quidquid Mermessia dixit,

Vulp. Quaque patent: et qua aperitur, apparet oriens. *Patent*, indicat solis egressum e mari Eoo, tamquam ex aliqua porta: vel poeta significare voluit mundi latitudinem, quae cosmographis ab Oriente in Occidentem porrigitur, *Vulp. Anhelantes*, decurso diei spatio fessos, et crebro anhelitu pectus quatientes. Vel simpliciter, spiritum igne mixtum naribus efflantes, *Id. Amnis*, Oceanus terram ambiens.

V. 59. *Troja quidem.* Quum scilicet Urbs Roma, ex Trojae cineribus nata, ad tantam magnitudinem et potentiam excreverit, domina effecta orbis terrarum, tunc ipsa mater Troja suam *regenerationem* admirabatur, *Vulp. Se*, scil: renatum. *Vos bene*, te scil, o Aenea, et comites peregrinationis tuae. *Tam longa*, tam longis itineribus. Hoc distichon supra collocarat Scaliger post v. 42. sed nullo cum fructu. *Vera cano.* certa praedico. *Innoxia*, sic semper sine damno vescar sacra lauru, et aeternum servem virgineum candorem. *Laurus vescar.* Qui laurum comedissent paullo frequentius, eos ad perfectam vaticinandi scientiam ope Phoebi perventuros, credula et vana sibi persuasit antiquitas, *Vulp.*

V. 63. *Vates*, Sibylla. *Vocavit*, invocavit, auxilium tuum imploravit. *Jactavit*, Ordo est: *et jactavit comas fusas ante caput.* Vates oracula edentes comam rotabant, capite huc illuc jactato. V. *Quidquid Amalthea.* Ordo syntaxeos repetendus est a versiculo hujus Elegiae 18. *Et ipse precor, quid canat, doce.* Vult enim poeta, Messalinum doceri ab Apolline, non tantum quid cecinerit vates Cumaea, cujus prolixum oraculum Aeneae redditum, hactenus interseruit: verum etiam quid praedixerint aliae Sibyllae Amalthea scil. Mermessia, Herophile, Albuna, V. Haec pluria nomina unius mulieris fuisse plurimi contendunt, ut dixi; Tibullus plures distinguit. *Amalthea*, Sunt qui tradunt Cumanam Sibyllam vocatam fuisse Amaltheam, quae Tarquinio Superbo Romae Regi scripta non-

Herophile Phoebo grataque quod monuit,
Quasque Albuna sacras Tiberis per flumina sortes
Portarit, sicco pertuleritque sinu:
Hae fore dixerunt, belli mala signa, cometen,
Multus ut in terras deplueretque lapis.
Atque tubas, atque arma ferunt crepitantia caelo
Audita, et lucos praecinuisse fugam.
Ipsum etiam Solem defectum lumine vidit

nulla magno pretio vendiderit, postea *Sibyllina* appellata, quae Romani servaverint annos 450. usque ad tempora Belli Civilis Syllani, V. *Mermessia*, sic appellata ab oppido *Mermesso* in monte Ida. *Herophile*, Sminthei Apollinis sacerdos, atque ideo illi grata. *Admonuit*, praenuntiavit.

V. 67. *Albuna*, Albuna, sive Albunea, fuit Sibylla Tiburtina, ad fluvium Anienem vaticinari solita, V. *Sortes*, vaticinia volumini, seu membranae inscripta. *Sicco pertuleritque sinu*, atque ea sicca gestaverit sicco sinu, licet aqua pertulisset. *Sicco sinu*. Transnabat Tiberim Sibylla; volumen sinu vestis involutum gerebat. Aqua fluminis librum alluebat: neque ipse tamen, neque vestis madescebat. Ejusmodi opinioni favebat apud veteres signum deae Tibure in fano ad Anienem constitutum, manu librum tenens, quod in Anienis gurgite inventum ferebatur. *Hae fore*, nempe Sibyllae istae, Cumana excepta. Nam Cumanae vatis oracula prospera et laeta fuerunt: harum vero omnino infausta. Praedixerunt enim Cometen futurum esse infaustum omen belli. Sic vulgo antiquis persuasum fuit, stellas crinitas, barbatas, caudatas; bella, tumultus, regnorum excidia portendere. *Multus ut deplueretque lapis*, nimirum; *fore ut deplueret*, ital. *e che in copia pioverebbono sassi sulla terra.*

V. 71. *Atque tubas*. Subaudi, *ut caedem Sibyllae praedixerunt*: eventu enim vaticinium comprobatum est, V. Et ajunt in aere auditum fuisse tubarum sonitum, atque armorum fragorem, et voces incertas e lucis prolatas praenuntiavisse cladem ac fugam exercituum. Hujusmodi portentorum pleni sunt libri poetarum et historicorum. *Ipsum etiam solem*. Quin etiam caliginosus annus vidit Solem luce destitutum atratos equos currui alligare.

Jungere pallentes nubilus annus equos,
Et simulacra Deum lacrimas fudisse tepentes,
Fataque vocales praemonuisse boves.
Haec fuerint olim. Sed tu jam, mitis Apollo,
Prodigia indomitis merge sub aequoribus,
Ut succensa sacris crepitet bene laurea flammis;
Omine quo felix, et sacer annus eat.
Laurus, io bona signa dedit, gaudete, coloni:
Distendet spicis horrea plena Ceres.

Nubilus annus. Obscurationem illam solis poeta significat quae contigit, occiso Caesare dictatore, annumque ferme integrum perduravit, V. De qua vide Gassendum Phys. sect. 2. l. 1. 4.

V. 75. *Tepentes*, ital. *calde lagrime.* Hujusmodi prodigia recenset Appianus Alexandrinus l. 4 Bellor. Civil. V. *Fata praemonuisse*, calamitates praenuntiasse. *Vocales boves*, humana voce locutos. Pecudes locutas, triste admodum habebatur. Exempla boum vocalium multa reperies apud Livium. *Haec fuerint*, ital. *sieno pure un giorno avvenute siffatte cose.* Solemnis precandi formula, ne deus iratus ultra velit saevire. *Jam mitis*, placatus, et e sagittario citharoedus, *Vulp. Merge.* Cujusmodi hoc sit, explicat Seneca l. 1. de Ira, c. 15. *Portentosos foetus extinguimus, liberos quoque, si debiles monstrosique editi sunt, mergimus.* Nec tantum monstrosi partus, expiationis causa, in mare projciebatur, sed et quaecumque prodigia aut portenta aboleri poterant. Ita Apollinis simulacrum, quod triduo fleverat ante mortem Scipionis Afric. min. concisum et in mare projectum Dio narrat. Vide D. Augustinum l. 5. de Civ. Dei, c. 14.

V. 79. *Crepitet bene laurea;* corona scil. ex lauro in flammas injecta, crepitet bene; ital. *scoppiando ne dia buon augurio. Succensa.* Mali ominis fuit, si laurus nullo crepitu deflagravisset, quemadmodum boni si clare crepuisset, ut fert ejus arboris natura, *Vulp. Sacer*, abundans, laetus. *Io*, particula est exultantis prae laetitia animi. *Distendet* onerabit, affatim implebit frumento horrea, ital. *empirà a ribocco.*

Oblitus, et musto feriet pede rusticus uvas,
  Dolia dum magni deficiantque lacus.
At madidus Baccho sua festa Palilia pastor
  Concinet; a stabulis tunc procul este lupi.
Ille levis stipulae solemnes potus acervos
  Accendet, flammas transilietque sacras.
Et fetus matrona dabit, natusque parenti
  Oscula comprensis auribus eripiet.
Nec taedebit avum parvo advigilare nepoti,
  Balbaque cum puero dicere verba senem.
Tunc operata Deo pubes discumbet in herba,
  Arboris antiquae qua levis umbra cadit.
Aut e veste sua tendent umbracula sertis
  Vincta; coronatus stabit et ante calix.

V. 83. *Oblitus*, perfusus musto vinitor premet uvas pedibus. *Dolia dum.* Tanta futura est ubertas vindemiae ut musto capiendo vasa non sufficiant. *Lacus*, vas amplum. ital. *tino*, *Dolium*, ital. *botte*, vasi in quos vinum ebullit ac defaecatur. *Madidus. Baccho*, vino ebrius. *Sua festa Palilia*, cantu celebrabit solemnis, in honorem Palis deae pastorum instituta. Haec agebantur 11. Cal. Maji ad lupos arcendos, et pro felici pecorum partu, *Vulp. Stabulis* ital. *mandre. Tunc*, eo die, tempore.

V. 87. *Solemnes*, festos, consuetos. *Potus*, vino madens. *Transilietque.* Eo die, combusta victima, pastores aqua aspergebantur, et vespertinis horis ignes ab agricolis excitabantur e stipula; quos ter transiliebant. Caussas ejus moris persequitur Ovidius l. 4 Fastor. *Vulp. Matrona*, mulieres fecundae erunt. *Comprensis auribus* ital. *stringendo colle sue mani gli orecchi*. Antiquae osculorum blanditiae.

V. 91. *Advigilare.* Hoc verbum proprie significat vigilare apud aliquem, ut solent custodes et excubitores, *Vulp. Senem* licet senem balbutire cum puero. *Operata Deo*, sacro peracto. *Discumbet*, scil. ad vescendum. *Levis*, mobilis umbra diffunditur.

V. 95. *Aut e veste*, aut ex vestibus suis conficent sibi tentoriola, funiculis colligata. *Coronatus calix.* Antiquos coronasse pocula, et sic bibisse notat Servius ad lib. 1. Aeneid. v. 724 *Broukus. Stabit ante*, ante toros scil. discumbentium.

At sibi quisque dapes, et festas, exstruet alte
Cespitibus mensas, cespitibusque torum.
Ingeret hic potus juvenis maledicta puellae,
Postmodo quae votis irrita facta velit.
Jam ferus ille suae plorabit sobrius idem,
Et se jurabit mente fuisse mala.
Pace tua, pereantque arcus, pereantque sagittae,
Phoebe, modo in terris erret inermis Amor;
Ars bona: sed postquam sumsit sibi tela Cupido
Heu, heu, quam multis ars dedit illa malum!
At tu, nam Divum servat tutela poetas,
Praemoneo, vati parce, puella, sacro,
Ut Messalinum celebrem, quum, praemia belli
Ante suos currus oppida victa feret,

At sibi quisque, quisque autem preparabit dapes, et laetas mensas alte cespitibus, ital. *sopra d' erbose zolle*, et cespitibus lectum.

V. 99. *Ingeret maledicta*, ital. *manderà imprecazioni*, convicia. *Potus*, ebrius. *Irrita facta*, quae, quum primum crapulam exhalaverit, optabit effectu carere. *Ferus ille*, ille idem paullo ante ferox plorabit suae, scil. puellae. *Sobrius*, ital. *passata l' ubriachezza*. *Mente fuisse mala*. Puta, malum Genium sibi convicia illa dictavisse, *Vulp*. Mente non sana, *Satius*.

V. 103. *Pace tua, Phoebe* ital *non l' aver a male, o Apollo*. *Ars bona*, ars mutui amoris fuit olim bona, quum inermis erat amor; quum simplices et recti hominum mores *Dedit malum*, exilio fuit. *Divum*, deorum praesidium, patrocinium tuetur poetas. *Praemoneo*, praedico. *Vati parce*, ital. *abbi riguardo*.

V. 109. *Quum praemia belli*, quum ante suum currum tradet debellatas urbes, militarium laborum fructus, bellicae suae virtutis praemia. *Currus*, Currum triumphalem Romani Imperatoris praecederant simulacra oppidorum quae ille ductu suo expugnaverat, et in ditionem redegerat. Ferculis autem imponebantur, ut ab omnibus facile spectari possent, *Vulp*.

Ipse gerens laurus, lauro devinctus agresti
  Miles, io, magna voce, Triumphe canet:
Tunc Messala meus pia det spectacula turbae,
  Et plaudat curru praetereunte, pater.
Adnue; sic tibi sint intonsi, Phoebe, capilli,
  Sic tua perpetuo sit tibi casta soror.

V. 111. *Ipse gerens laurus*, miles ipse manu gerens laurum, lauroque in agris decerpta coronatus magna voce clamabit; io triumphe, ital. *evviva*. *Agresti*, decerpebant milites, triumphantem secuturi, ramos frondentes e lauro, quam in agris invenissent; eos manu gerebant, iisque galeam coronabant, *Vulp*.

V. 113. *Messala meus*, subaudi *patronus*, cujus in clientela sum quo imperatore militavi, *Id*. *Pia det spectacula*, de se dulce spectaculum praebeat populo, quo pietatem patris in filium testetur. *Curru*, scil. filii. *Pater*, Messala. *Adnue*, sine te exorari et nutu capitis te exoratum esse ostende. *Vulp*. *Tibi sint*, ital. *ti si mantengano* longhi semper et intonsi capilli. *Soror*, Diana.

ALBII TIBVLLI

EQUITIS ROMANI

EX LIBRO III.

CARMEN I.

Festis Matronalibus Musas rogat, ut ad Neaeram, puellam speratam, perferant volumen carminum suorum.

Martis Romani festae venere Calendae:
  Exoriens nostri hinc fuit annus avis;
Et vaga nunc certa discurrunt undique pompa
  Perque vias urbis munera, perque domos.
Dicite, Pierides, quonam donetur honore
  Seu mea, seu fallor, cara Neaera tamen.
Carminibus sponsae, pretio capiuntur avarae;
  Gaudeat, ut digna est, versibus illa meis.
Lutea sed niveum involvat membrana libellum
  Pumex et canas tondeat ante comas;

V. 1. *Calendae.* Quemadmodum mense Decembri, quo Saturnalia celebrari moserat: matronae viris mittebant munera; ita Calendis Martii viri matronas remunerabantur, *Vulp. Exoriens annus,* initium anni. Romulus etiam annum constituit mensium decem, quorum primum de parentis nomine *Martium* nuncupavit, *ex eod. Avis,* majoribus nostris. *Vaga munera,* huc illuc ex omni parte. *Discurrunt pompa certa* ital. *si veggono andare in processione.*

V. 5. *Quoniam honore,* quo munere donanda erit. *Capiuntur.* ital. *vaghe sono, han piacere. Pretio,* pecunia. *Lutea,* membrana crocea, convolvat candidas chartas, et ante pumex abradat albos pilos extantes, et laeviget membranam. *Involvat.* Veteres interiore tantum libri parte scribebant, quae candida erat, ut literae; succo loliginis ductae, magis apparerent. Tota enim libraria suppellex, et integrae veterum bibliothecae e solis plerumque constiterunt voluminibus convolutis, in modum columellae, seu cylindri; quae propterea volumina forulis recondebantur. Non erant igitur libri in aversa etiam chartae facie conscripti.

Summaque praetexat tenuis fastigia chartae,
Indicet ut nomen litera facta meum.
Atque inter geminas pingantur cornua frontes;
Sic etenim comtum mittere oportet opus.
Per vos, auctores hujus mihi carminis, oro,
Castaliamque umbram, Pieriosque lacus,
Ite domum, cultumque illi donate libellum,
Sicut erit, nullus defluat inde color.
Illa mihi referet si nostri mutua cura est,
An minor; an toto pectore deciderim.
Sed primum meritam longa donate salute,
Atque haec submisso dicite verba sono:

V. 11. *Summaque praetexat.* Ordo syntaxeos, est et littera facta praetexat fastigia summa tenuis chartae, ut indicet nomen meum: hoc est in summa ora voluminis, seu exteriore (ut malim), seu interiore inscriptum esto; TIBULLI CARMEN. *Atque inter.* Extremae voluminis orae impactus erat *umbilicus*, scil. teres bacillus, cui volumen circumvolvebatur. Umbilici hujus eminentes utrinque partes, auro, argento, vel alio metallo praemuniri solitae et varie pingi, dicta *cornua*, ital. *pometti*. Frontes libri quae sint disputatur inter viros doctos. Vossius et Schwarzius intelligunt, puto, utrinque oras laterum chartae, quae, (ut fere nunc nostrorum librorum trinae frontes) circumcidebantur, et pumice poliebantur. *Sic comtum*, sic ornatum decet muneri mittere libellum meum.

V. 15. *Per vos, auctores*, per vos ipsas, quae mihi versus hos inspiratis, vos oro; Musae. *Castaliamque umbram* hoc est nemus circa fontem Castalium, in monte Parnasso, *Pieriosque lacus*, puta Aganippen, Hippocrenen, et alios Pieriis his puellis sacros. *Ite domum*, scil. Neaerae. *Sicut erit*, non explicitum, sed loris, et obstrigillis clausum, et sigillo munitum; ital. *condizionato: Id. Nullus defluat*, ital. *non ismonti.* Si enim volumen temere aperiatur, color paullatim atteritur et diluitur.

V. 19. *Refert*, scil. per epistolam, ital. *in risposta*, significabit. *Si mutua*, utrum eundem erga me amorem servet an minor eo sit quo ipsam prosequor, an omnino ex ejus animo exciderim; nostri, memoria apud eam oblivione penitus deleta fuerit. *Longa donate salute*, ital. *mille saluti*, plurimam salutem dicite Neaerae. *Sic longum salvere, longum valere*, dicebant veteres. *Submisso sono*; submissa voce.

Haec tibi vir quondam, nunc frater, casta Neaera,
Mittit, et accipias munera parva, rogat.
Teque suis jurat caram magis esse medullis
Sive sibi conjux, sive futura soror.
Sed potius conjux; hujus spem nominis illi
Auferet exstincto pallida Ditis aqua.

V. 25. *Vir quondam*, subaudi *futurus, destinatus, quondam*, hoc loco futurum tempus respicit, ut recte notat Lipsius. *Nunc frater*. Eo enim te amore complectitur, quo frater sororem solet. *Sive soror*, sive illi futura sis loco sororis, scil. familiarissima. *Sed potius conjux*, te potius conjugem optat. *Auferet exstincto*. Hoc est, sperare non desinet conjugium tuum, nisi prius eum Orcus abstulerit. *Pallida aqua*, coenosa, turpis, livida: ut inferorum omnia *Id*.

ELEGIA II.

Lygdamus Neaerae conjugio fraudatus, graviter dolet: mandat, quomodo mortuus condi sepulcro velit: ubi ossium collectionem, quae post crematum cadaver fieri solebat, elegantissime describit.

Qui primus caram juveni, carumque puellae
Eripuit juvenem, ferreus ille fuit.
Durus et ille fuit, qui tantum ferre dolorem,
Vivere et erepta conjuge qui potuit.
Non ego firmus in hoc; non haec patientia nostro
Ingenio; frangit fortia corda dolor.

V. 1. *Caram juveni*, pactam, promissam puellam. *Carumque*, et juvenem speratum puellae. *Ferreus*, immitis, immanis, crudelis. *Durus*, duro corde. *Erepta*, praerepta et occupata. Neaeram enim alius praeripuerat, uxorem duxerat, poetam Lygdamo et speratam, antequam ipsi nuberet.

V. 5. *Firmus*, fortis, constans sum. *Nostro ingenio*, nativa mea

Nec mihi vera loqui pudor est, vitaeque fateri
  Tot mala perpessae taedia nata meae.
Ergo quum tenuem fuero mutatus in umbram,
  Candidaque ossa super nigra favilla teget,
Ante meum veniat, longos incomta capillos,
  Et fleat ante meum moesta Neaera rogum;
Sed veniat carae matris comitata dolore;
  Moereat haec genero, moereat illa viro.
Prefatae ante meos Manes, animamque precatae
  Perfusaeque pias ante liquore manus.
Pars quae sola mei superabit corporis, ossa
  Incinctae nigra candida veste legant,
Et primum annoso spargant collecta Lyaeo,
  Mox etiam niveo fundere lacte parent,
Post haec carbaseis humorem tollere velis,
  Atque in marmorea ponere sicca domo.

indoles munita est tanta patientia. *Vitaeque fateri*: nec pudet fateri hinc nata esse taedia vitae, perpessae tot mala. *Fateri*. Non est mihi pudor vera loqui, ac fateri, natum esse in animo meo vivendi taedium, et quo tot perpessus sum mala. *Muret.* Non obscure significat, se, quod vita jam ipsi molesta sit sua manu consciscere velle, *Vulp.*

V. 9. *Mutatus in umbram.* Tum demum *umbra* dicebatur, quum corpus igne esset consumtum. *Brouk. Super teget* pro *superteget. Fleat* Lacrimis et fletu carorum gaudere credebantur umbrae, *Brouk. Genero viro*, gratia generi, gratia viri.

V. 15. *Prefatae ante* postquam prius meos Manea allocutae fuerint: meam umbram nomine vocaverint; et precatae fuerint, pacem et quietem animae meae, et prius aqua pias manus laverint. Nam in re sacra et religiosa antiqui semper manus lavabant. *Snperabit*, supererit, reliqua erit. *Incinctae*, non cintae, *Vulp. Nigra veste*: caeruleis enim, et atris vestibus in funeribus utebantur antiqui. *Legant*, colligant. Hoc munus ad consanguineos et carissimos pertinebat. *Idem.*

V. 20. *Fundere parent*, perfundant, madefaciant. *Carbaseis velis*, velis lineis, linteis mirae tenuitatis. *Sicca* arida exsiccata. *Domo*, in urna marmorea, vel in sepulcro ipso marmore extincto, in quo urna cum ossibus et cineribus condebantur.

Illuc, quas mittit dives Panchaia merces,
Eoique Arabes, pinguis et Assyria,
Et nostri memores lacrimae fundantur eodem.
Sic ego componi versus in ossa velim.
Sed tristem mortis demonstret litera caussam;
Atque haec in celebri carmina fronte notet:
LYGDAMVS HIC SITVS EST; DOLOR HVIC, ET CVRA NEAERAE,
CONJVGIS EREPTAE, CAVSSA PERIRE FVIT.

V. 23. *Illuc*, in urnam, in sepulcrum. *Quas merces*, Tus puta, myrra, stacte, aromata alia odorifera, *Vulp. Panchaja* regio Arabiae Felicis odoramentis celeberrima. Dives dicitur, quod ferat arbores et frutices resinam et gummi stillantes, *Id. Eoique Arabes. Arabia*, Orientalis est et late patens Asiae regio ad mare Erythraeum inter sinum Persicum et Arabicum et aromatum maxime ferax. *Pinguis et Assyria*, opulenta. De opulentia nemo non novit. Nam praeter purpuram, et eximios odores, auri etiam atque argenti ferax fuit. *Brouck. Nostri memores*, quas elicuit et expresserit nostri memoria, *Vulp Fundantur eodem.* ital *quivi medesimo si accolgano. Eodem*,.in ossa et cineres meos, in urnam sepulcralem, vel in vasculum vitreum eadem urna condendum; quae vascula vocabant *lacrimatoria. Id. Componi*, in urna condi, sepeliri. *Componi* proprie dicebant cineres et ossa quum in monumentum condebantur vasculis suis inclusa, *Brouk. Versus*, mutatus, redactus, versus.

V. 27. *Tristem*, funestam, vel acerbam. *Litera*, inscriptio. Mortis caussam in brevi marmore sepulcrali saepe incidere solebant antiqui. Vide l. 1. Eleg. II. v. 51. *In celebri fronte.* Voluit igitur sepeliri prope viam publicam, in celebritate hominum ac frequentia, *Brouck. Frontem* significat agri religiosi, nimirum sepulcro destinati, *Vulp.* In agro confinio propter viam publicam. *Notet*, designet, habeat hos versus incisos. *Lygdamus*, videtur Albium exprimere, graeca interpretatione; Lygdinum marmor est candidissimum. *Cura*, sollicitudo, aegritudo, qua fuit oppressus, ob Neaeram sibi conjugem praereptam. *Perire*, pro pereundi, ex graecismo.

ELEGIA III.

Ad Neaeram: Se nihil aliud unquam optavisse, nisi ut ea secum in gratiam rediret; sed vota perdidisse.

Quid prodest coelum votis implesse, Neaera?
  Blandaque cum multa tura dedisse prece?
Non ut marmoreo, prodirem e limine tecti
  Insignis clara conspicuusque domo.
Aut ut multa mei renovarent jugera tauri,
  Et magnas messes terra benigna daret,
Sed tecum ut longae sociarem gaudia vitae,
  Inque tuo caderet nostra senecta sinu
Tunc quum praemensa, defunctus tempora lucis
  Nudus Lethaea cogerer ire rate?
Nam grave quid prodest pondus mihi divitis auri?
  Arvaque si findant pinguia mille boves?
Quidve domus prodest Phrygiis innixa columnis,

V. 1. ***Implesse***, fatigavisse. ***Blandaque***, supplicem animum et adulationem quandam praeseferentia, *Vulp.* ital. *lusinghieri*, vel apta ad pietatem excitandam. ***Dedisse***, obtulisse. ***Insignis*** ital. *distinto*, et illustris claritate domus ac generis nobilitate. ***Renovarent*** ad novam stationem, *Vulp.* ***Magnas***, largas, copiosas. ***Benigna***, fertilis.

V. 7. ***Tecum sociarem gaudia***, ital, *teco avessi comune il godimento di una lunga vita.* ***Caderet***, ital, *e la mia vecchiezza terminar dovesse fra le tue braccia.* ***Praemensae***, quum decurso spatio vitae praefinitae a Parcis: quae putabantur tempus vitae unicuique praemetiri ac praefinire in ipso vitae exordio ***Lethaea ire rate***, Charontis navicula ad inferos et flumen *Lethe* transire.

V. 11. ***Grave pondus***, magna vis auri pretiosi, vel auri, quo dives fiam. ***Grave***, dixit, quod aurum metallorum omnium gravissimum est ***Findant***, arent. ***Phrygiis columnis***, Marmor Phrygium temporibus Augusti permagno aestimabatur.

Taenare, sive tuis, sive, Caryste, tuis,
Et nemora in domibus sacros imitantia lucos,
Aurataeque trabes, marmoreumque solum?
Quidve in Erythraeo legitur quae litore concha,
Tinctaque Sidonio murice lana juvat,
Et quae praeterea populus miratur? In illis
Invidia est; falso plurima vulgus amat.
Non opibus mentes hominum curaeque levantur;
Nam Fortuna sua tempora lege gerit.
Sit mihi paupertas tecum jucunda, Neaera;
At sine te regum munera nulla volo.

V. 14. *Taenare.* Viride marmor Lacedaemonium, quod in laudatissimis numerabatur, Taenarium etiam dicitur a Poetis, Taenarus enim Laconiae promontorium fuit, *Vulp. Caryste.* Caristio quoque marmori locus erat inter pretiosa. Nomen dedit Carystos, oppidum insulae Euboeae. Virebat porro hic lapis, et maculis fluctus marinos referentibus distinctus erat, *Idem.*

V. 15. *Et nemora.* Hortos non solum et pomaria, sed et nemora in aedibus habebant locupletiores Quirites, quorum domus erant amplissimae, et in recessu dormiebant, procul a strepitu viarum frequentium. *Lucus*, ait Servius *est arborum multitudo cum religione, nemus vero composita multitudo arborum.* Ital. *e aver in casa folte piantagioni d' alberi, che gareggino co' sacri boschi. Aurataeque trabes*, designant lacunar auro obductum. *Marmoreumque solum*, pavimentum tessellatum, seu vermiculatum crustis varii marmoris, *Vulp. Concha* conchylium, in quo bacca pretiosa, seu margarita, *Id. Legitur*, colligitur, ital. *le perle, che si pescano* in mari rubro. *Lana*, et vestes purpureae, purpura tincta Sidone, Phoeniciae urbe nobilissima. *Murex*, piscis marinus: cujus sanguine tingitur purpura.

V. 19. *Et quae*, atque alia quae. *In illis invidia est.* Istae invidiam excitant: ex his invidia nascitur. *Falso.* temere, immerito plurima expetit. Non enim divitiae aut honores bona sunt ab hominibus tantopere expetenda. *Sua lege*, nuto suo, ital. *a suo talento. Tempora gerit*, diversos status, conditiones, vicissitudines rerum humanarum gubernat.

V. 24. *Munera nulla volo*, non curo divitias regum. *Reddere*,

O niveam, quae te poterit mihi reddere, lucem!
  O mihi felicem terque, quaterque diem!
At si, pro dulci reditu quaecumque voventur,
  Audiat aversa non meus aure Deus.
Nec me regna juvent, nec Lydius aurifer amnis,
  Neu, quas terrarum sustinet orbis, opes.
Haec alii cupiant; liceat mihi paupere cultu
  Securo carae conjugis ore frui.
Adsis, et timidis faveas, Saturnia, votis,
  Et faveas concha, Cypria, vecta tua.
Aut si fata negant reditum, tristesque Sorores
  Stamina quae ducunt, quaeque futura canunt,
Me vocet in vastos amnes nigramque paludem
  Dives in ignava luridus Orcus aqua.

te scil. amicam. *Quaecumque voventur*, at si vota omnia quae fiunt pro optata reconciliatione concordiae, reditu in gratiam. *Aversa aure*, auribus alio conversis, non faventibus. *Non meus deus*, deus iratus, inimicus. *Deus* fortasse hic est Genius vel Cupido. *Lydius*: Pactolus Lydiae fluvius, aureis arenis illustris, *P*. *Opes*, omnes divitiae thesauri, quos continent totus terrarum orbis.

V. 30. *Paupere cultu*, victu tenui qui pauperem deceat. *Securo* mihi tranquillo, ital. *in pace*; *Posse frui*, ital. *poter godere della presenza dell' amata consorte*. *Faveas*, annue. *Timidis votis*; Nam cum metu et silentio superstitioso vota concipere antiqui solebant. *Saturnia*, Junonem Lucinam invocat, matrimonii praesidem. *Vulp*. *Cypria*, Venerem e mari emergentem ad litora Cypri appulisse primum concha marina vectam, referunt fabulae. *Id*. Vecta, scil. undas maris.

V. 35. *Reditum*, reconciliationem. *Tristesque*, Parcae, severae, inexorabiles deae, quae vitae nostrae stamina ducunt, et futura praenuntiant. *Vastos amnes*, scil inferorum. *Paludem*, Stygem. *Dives*, qui dives est; qui dominatur. *In ignava*, in aquis, quae lente fluunt. *Luridus*, valde pallidus. *Orcus*, est hoc loco Dis pater, sive Pluto, non Charon, *Broukh*.

ELEGIA IV.

Narrat, se per quietem ab ipso Apolline admonitum de Neaerae pactae sibi conjugis perfidia; itemque doctum, quibus artibus eam flectere, ac sibi reconciliare posset.

Dî meliora ferant, nec sint insomnia vera,
  Quae tulit extrema pessima nocte quies.
Ite procul, vanum falsumque avertite visum,
  Desinite in vobis quaerere velle fidem.
Divi vera monent; venturae nuntia sortis,
  Vera monent Tuscis exta probata viris:
Somnia fallaci ludunt temeraria nocte,

V. 1. *Meliora*, scil. auguria, vel oracula. Insomnium enim vocat id, quod revera fuerat oraculum. *Di meliora*, dicebant veteres etiam quum aliquid abominarentur, et a se deprecarentur. *Insomnia*, somnia. Haec duo vocabula promiscui usurpata occurrunt. *Extrema nocte*, sub finem noctis sub diluculum: quae somnia vera esse opinabantur antique. *Pessima quies*, funestus, fatalis somnus. In eo enim res pessimae, sinistrae, adversae sibi a Phoebo praenuntiatae fuerant. *Ite procul*, nempe, o somnia. *Falsum visum*: vanum phantasma. *Avertite*, removete. *Desinite*, desistite velle, me quarere fidem in vobis, me vobis fidem adhibere; ital. *lasciate di pretendere, che io vi presti fede*. Ceterum vss. 3. et 4. ab indocto interpolatore profectos licet conjicere. *Heynius*.

V. 5 *Monent*, nuntiant vera, non deludunt. *Venturae nuntia sortis*, vera monent intestina, viscera animalium praenuntia futurorum eventuum, adprobata, examinata a Tuscis haruspicibus. *Divi vera*. In oraculis, et in extispiciis veritas inest, non insomniis, *Muret. Tuscis*. Notum est quantopere ea gens omni divinarum rerum intelligentia credita sit excellere, *Id. Temeraria*, at somnia temeraria, temere nullo consilio. *Fallaci nocte*, ideo *fallaci*, quod plurima noctu visuntur falso, *Cyllen. Ludunt*, vel quod quasi jocentur, et nugas agant inaniter discurrendo, levesque et confusas imagines in animis dormientium excitando: vel quod iis illudant, eosque decipiant, V.

Et pavidas mentes falsa timere jubent.
At natum in curas hominum genus omina noctis
Farre pio placant, et saliente sale.
Sed tamen, utcumque est, sive illi vera monenti,
Mendaci somno credere sive volent,
Efficiat vanos noctis Lucina timores,
Et frustra immeritum praetimuisse velit:
Si mea nec turpi mens est obnoxia facto,
Nec laesit magnos impia lingua Deos.
Jam Nox aetherium nigris emensa quadrigis
Mundum caeruleo laverat amne rotas,
Nec me sopierat menti Deus utilis aegrae
Somnus; sollicitas deficit ante domos,

Pavidas, et meticulosos hominum animos falsa metuere cogunt; ital. *fan concepire vani timori.*

V. 9. *Natum in curas*, ad aerumnas ac metus facti homines. *Omina noctis*, somnia. *Farre pio*, nempe mola salsa, quae inter cornua victimae ponebatur, *Vulp*. Farre religioso, sacro, et sale in igne crepitante, saliente. *Utcumque est*, ital. *comunque sia*. *Sive illi vera monenti*; sive homines velint credere illi monenti vera: nullam scil. insomniis fidem habendam esse, sive despicere monita mea, et mendacibus somniis, tamquam veritati ipsi, fidem adhibere.

V. 13. *Efficiat*, reddat vana noctis elapsae terribilia, formidolosa somnia. *Immeritum*, me innocentem, qui nullo modo Neaerae perfidiam et dissidium merui, quod insomnia minabantur. *Obnoxia*, nec animus meus reus est mali, scelestis facinoris. *Aetherium mundum*, caelum, ingentia caeli spatia. *Nigris quadrigis*, nigro curru. Qui nocti quadrigas tribuat, praeter Tibullum, non facile invenies. Alii bigas tribuunt. *Caeruleo amne*, h.e. mari Oceano. Exeuntem noctem declaravit per descensum Noctis in Oceanum.

V. 19. *Me*, meos sensus. *Deus utilis*, numen amicum, propitium animis afflictis *Sollicitas domos*, in quibus scil. habitant sollicitudines, ital. *ove albergan gli affanni*: magna enim lis est Somno cum sollicitudinibus et curis. *Deficit*, ital. *vien meno*, evanescit vires amittit suas, *Vulp*.

Tandem, quum summo Phoebus prospexit ab ortu
Pressit languentis lumina sera quies.
Hic juvenis castâ redimitus tempora lauro
Est visus nostra ponere sede pedem.
Non illo quidquam formosius ulla priorum
Aetas, humanum nec videt illud opus.
Intonsi crines longa cervice fluebant,
Spirabat Syrio mirtea rore coma.
Candor erat, qualem praefert Latonia Luna,
Et color in niveo corpore purpureus;
Ut juveni primum virgo deducta marito
Inficitur teneras, ore rubente, genas.

Quum summo ab ortu, quum dies apparuit in extremo Oriente, *Id.* ital. *allorchè Febo si affacciò all' estrema sponda d' oriente*, *Pressit*, clausit. *Languentis*, scil. longa et intempestiva vigilia: vel clausit mihi languentes oculos tardus somnus.

V. 23. *Hic*, tunc. *Casta lauro*, quod in hanc arborem versa fuerit Daphne puella castissima, *Vulp. Ponere pedem*, ingredi domum meam. *Aetas*. scil. vidit, protulit. *Nec videt*; *nè ravvisato l' avrebbe per cosa umana.* Latet, inquit Vulpius, in hoc disticho malignum ulcus, quod Chironis auxilio indigeat. Achilles Statius malebat *fuit* pro *videt*, neque tamen aliquid proficiebat. Broukusius legebat *nec valet.* Nonulli vero hoc disticon sic afferunt; *Non vidit quicquam formosius ulla priorum Aetas humanum nec fuit illud opus.* Opus humanum h. e. homine natus.

V. 27. *Intonsi*, longi capilli per longum collum fluebant; ital. *gli scendeano ondeggiando. Syrio rore.* Unguento nardiuo, quod permagno aestimabant. Nardus frutex nasci solitus in Syria Palaestina. *Vulp. Myrtea*; nigra scil. quae floris aut foliorum aut baccarum mirti colorem imitaretur, *Idem. Candor*, illius talis erat. *Latonia*, Latoniae filia, Phoebi soror. Luna enim eadem est ac Diana. *Et color purpureus*, scil in candidis membris permixtus erat color purpureus.

V. 31. *Ut juveni*, quemadmodum puella primum deducta domum juvenis mariti; *inficitur*, tingitur. Hinc tinctores, *infectores*

Ut, quum contexunt amarantis alba puellae
 Lilia: ut autumno candida mala rubent.
Ima videbatur talis illudere palla;
 Namque haec in nitido corpore vestis erat.
Artis opus rarae, fulgens testudine et auro,
 Pendebat laeva garrula parte lyra.
Hanc primum veniens plectro modulatus eburno,
 Felices cantus ore sonante dedit.
Sed postquam fuerant digiti cum voce locuti,
 Edidit haec dulci tristia verba modo:

dicuntur, *Contexunt*, ital. *intrecciano*, simul conjungunt, corollas de candidis floribus et rubris plectentes.

V. 35. *Ima*, limbus longae vestis videbatur ludens descendere usque ad talos demissa deos majorum gentium ornabat: fuit enim index majestatis et potentiae. Fuit etiam citharoedorum ac tibicinum. *Vulp. In nitido corpore erat*, vestis haec tegebat corpus pulcre lotum atque unguento splendens. *Artis opus rarae*, ital. *di raro lavoro*, artifici singularis. *Fulgens*, coruscans. *Testudine*. Corticibus marinae testudinis in tenues laminas dissectis varia opera et pretiosa fingebant artifices. *Vulp. Laeva parte*, fidicine, laevo humero lyram suspensam sustinebant, dextera vero manu, vel inermi, vel plectro armata, ejus chordas percutiebant, *Id. Garrula*, sonora.

V. 39. *Primum veniens*: statim ac venit hanc pulsans eburneo pectine. *Felices cantus*. Cantus, de quibus hoc versu praeceptiones et praeludia fuerunt: qualia musici hodierni vocant *far delle ricercate. Felices* appellat, non quod felicia promitterent; sed quod facile, ac feliciter provenirent, cantoris voluntati omnino respondentes, *Vulp.* ital. *con armonica voce fece naturalissime ricercate. Fuerunt locuti*, ital. *ma poichè le dita colla voce n'ebbero fatto sentir dolce armonia*; digiti a percutiendis chordis, et vox a canto cessavit. Veteres enim citharoedi alternis canebant, et citharam pulsabant; licet aliquando et citharam pulsarent, et canerent eodem tempore. *Dulci modo*, dulci modulatione haec tristitia injucunda mihi verba protulit. Modulatio erat omnino dulcis, verborum sententia tristis, ac poetae votis contraria.

Salve, cura Deûm, casto nam rite poëtae
Phoebusque et Bacchus Pieridesque favent.
Sed proles Semeles, Bacchus doctaeque Sorores
Dicere non norunt, quid ferat hora sequens.
At mihi fatorum leges, aevique futuri
Eventura, pater posse videre dedit.
Quare, ego quae dico non fallax, accipe, vates,
Quodque Deus vero Cynthius ore feram.
Tantum cara tibi, quantum nec filia matri,
Quantum nec cupido bella puella viro.
Pro qua sollicitas caelestia numina votis,
Quae tibi securos non sinit ire dies.
Et, quum te fusco Somnus velavit amictu
Vanum nocturnis fallit imaginibus,
Carminibus celebrata tuis formosa Neaera

V. 43. *Deum cura*, deorum amor. *Casto rite*, Poeta qui nullo scelere se contaminaret, qui omnia pietatis officia diis persolveret praecipue carminum auctoribus *rite* castus habebatur. Huic autem favere credebant Apollinem, Liberum patrem. Musas novem, *Vulp. Dicere non norunt*; nesciunt praedicere, qui futurum tempus afferat. Nam omnes deos, sed solos fatidicos, quorum consulebantur oracula, futura praescire, credebant veteres.

V. 47. *Aevique futuri eventura*, futuri temporis eventus. *Pater*, Jupiter parens. *Videre*, Cernere, praenoscere. *Pater*. Ea cernere Apollinem putabant quae secretiore Jovis consilio abdita continerentur. Id vero privilegium Apolloni filio Jupiter lubens dederat, *Vulp. Accipe*, audi ea, quae ego vates non mendax, ego Apollo nuntiem tibi.

V. 51. *Tantum cara*, illa tantum tibi cara; illa tibi carior quam filia matri, quam puella sponso. *Cupido*, amanti sponso. *Bella*; ital. *gentile*. *Sollicitas*, ital. *stanchi*, *inquieti*. *Securos*, quae tibi non permittit ducere dies tranquillos.

V. 55. *Fusco amictu*, fuscis aliis. *Vanum*. Vel adverbii vim habet, *ut indignum nefas*; vel est te *vanum*, h. e. credulum, delusum. *Imaginibus*, ital. *fantasmi*.

Alterius mavult esse puella viri;
Diversasque suas agitat mens impia curas,
Nec gaudet casta nupta Neaera domo.
Ah crudele genus, nec fidum femina nomen!
Ah pereat, didicit fallere siqua virum!
Sed flecti poterit; mens est mutabilis illis;
Tu modo cum multa brachia tende prece.
Saevus Amor docuit validos tentare labores;
Saevus Amor docuit verbera posse pati.
Me quondam Admeti niveos pavisse juvencos,
Non est in vanum fabula ficta jocum.
Tunc ego nec cithara poteram gaudere sonora,
Nec similes chordis reddere voce sonos;
Sed perlucenti cantus meditabar avena,
Ille ego Latonae filius atque Jovis.
Nescis, quid sit amor, juvenis, si ferre recusas
Immitem dominam, conjugiumque ferum,

Puella, sponsa. *Diversasque sibi curas*, (ita legit Heynius) ital. *pensieri, sentimenti ben diversi. Mens impia*, it. *quell' empio cuore, quel cuor disleale*, illa perfida non reddit parem voluntatem, amantem, non redamat, dissidium cogitat, quum tu ab bujusmodi cogitationibus longissime absis, ex *Vulp. Gaudet*, contenta est *Casta*, frugi, quae luxu careat. Nam facilius in angusta morum integritas servatur.

V. 61. *Crudele genus*, saeva progenies. *Nec fidum*, infidum nomen: quasi audito nomine feminae, statim et perfidae meminisse necesse sit. *Vulp. Fallere*, prodere. *Illis*, nempe feminis, quippe animo sunt mutabiles. *Brachia tende*, illi manus cum multis praecibus; supplica brachiis protensis.

V. 65. *Tentare*, suscipere graves labores. *Verbera saeva* in morem servorum, qui ob levia interdum peccata flagello a crudelibus dominis caedebantur, *Vulp. Admeti*, Thessaliae regis, cujus armenta Apollinem pavisse de caelo a patre Jove expulsum fabulantur. *Fabula ficta*. ital. *fola inventata per un vano trastullo*.

T. 69. *Gaudere*. ital. *prender diletto. Similes chordis*, ital. *uniformare, accordar la voce al suono delle corde. Perlucenti avena*, tenui fistula, ital. *trasparente. Meditabar. Immitem dominam*, quod bene interpretari possumus per *conjugium ferum*, scil. amorem aerumnosum puellae ferae ac superbae.

Ergo ne dubita blandas adhibere querelas,
Vincuntur molli pectora dura prece,
Quod si vera canunt sacris oracula templis,
Haec illi nostro nomine dicta refer:
Hoc tibi conjugium promittit Delius ipse;
Felix hoc, alium desine velle virum.
Dixit, et ignavus defluxit pectore somnus,
Ah ego ne possim tanta videre mala!
Nec tibi crediderim votis contraria vota,
Nec tantum crimen pectore inesse tuo.
Nam te nec vasti genuerunt aequora ponti,
Nec flammam volvens ore Chimaera fero.
Nec consanguinea redimitus terga caterva,
Cui tres sunt linguae, tergeminumque caput.

V. 75. *Blandas querelas*, ne dubites uti conquestionibus sed blandis, quae non irritent, sed mitigent. *Vincuntur*, ital. *s'ammolliscono*. *Pectora dura*, ital. *i cuori ancorchè duri*. *Canant*, nuntiant. *Oracula*, responsa edita ex tripode in templis meis. *Nostro nomine*, ital. *da mia parte*. *Illi*, scil. Neaerae.

V. 79. *Conjugium*. scil. Tibulli. *Promittit*, tibi destinatum a fatis significat Apollo ipse. *Felix hoc*, hoc viro, hoc conjugio felix eris, ne alterum quaeras. *Dixit*, sic dixit Apollo. *Ignavus*, piger, iners. *Defluxit*, e membris meis evanuit, discessit. *Ne possim*, Tibullianum omnino pro *ne videam*.

V. 83. *Tibi*, inesse vota contraria; te habere vota contraria votis meis qui te mihi conjugem opto; vel ipsis votis tuis pristinis, *Vulp*. *Crediderim*, credere, persuadere mihi possum. *Crimen*, tantum facinus locum habere in tuo pectore. *Vasti ponti*, undae maris vasti, belluis et monstris scatentis. *Volvens*, vomens ab ore immani flammarum globos. *Chimaera*, Monstrum horribile, natum ex Typhone et Echidna, cui ferunt fuisse leonis caput, caprae corpus, draconis caudam; Bellerophontis autem confixa sagittis interiit.

V. 87. *Nec consanguinea* Subaudi *Cerberus Canis* quem tacito nomine circumloquitur. *Consanguinea caterva* sunt serpentes cervicibus, jubae, ac dorso Cerberi haerentes, uno atque eodem partu procreati, *Vulp*. Nec Cerberus habens dorsum cinctum agmine serpentum eodem partu natorum. *Scyllave*, vel Scylla canibus circum-

Scyllave virgineam canibus succincta figuram:
Nec te conceptam saeva leaena tulit,
Barbara nec Scythiae tellus, horrendave Syrtis,
Sed culta, et duris non habitanda, domus,
Et longe ante alias omnes mitissima mater,
Isque pater, quo non alter amabilior.
Haec Deus in melius crudelia somnia vertat,
Et jubeat tepidos irrita ferre Notos.

septa sub puellari figura. Scylla Phorci filia, quae fontem a Circe medicamine infectum ingressa, sensit sibi corporis inferiorem partem in serpentes et canum capita converti. Idcirco impatiens prodigii in mare se praecipitem dedit. Hinc fabulati sunt, factam scopulum navigantibus infestam, qui est contra Charybdim, ex *Vulp. Conceptam tulit*, vel pro simplici *concepit*, vel pro *utero gessit*.

V. 91. *Scythiae tellus*. Scythia regio septentrionalis latissima, cujus maxima pars ad Asiam, minima ad Europam pertinet, populos habet efferatos ac barbaros. *Syrtis*. Duae sunt Syrtes apud Leptim Africae oppidum, major, et minor: sed ambae inhospitae, desertae, ferae, arenis oppletae, *Vulp. Duris non habitanda*, digna quae non habitentur a duris, ital. *da gente di cuor duro*. *Isque Pater*, et talis pater. *Deus* vel Genius, aut Cupido, vel pro *dii* mutent in melius haec infausta somnia. *Irrita ferre*, disperdere effectu carentia.

ELEGIA V.

Ad Amicos in thermis Etruscis commorantes ut pro ipsius valetudine vota suscipiant.

Vos tenet, Etruscis manat quae fontibus unda,
Unda sub aestivum non adeunda Canem,

V. 1. *Vos tenet*, vos, o amici, retinent aquae balneorum, quae manant e fontibus Etruscis, balnea non adeunda (ital. *da non prendersi*) tempore aestuoso Caniculae. Quae Etruriae Balnea designet Poeta, incertum. Thermas, fuisse, et multo sulphure abundantes, illud suadet, quod adulta jam aestate adeundae non erant. Clusinas aquas

Nunc autem sacris Bajarum proxima lymphis,
  Quum se purpureo vere remittit humus:
At mihi Persephone nigram denuntiat horam;
  Immerito juveni parce nocere, Dea.
Non ego tentavi nulli temeranda virorum,
  Audax laudandae sacra docere Deae.
Nec mea mortiferis infecit pocula succis
  Dextera, nec cuiquam tetra venena dedit;
Nec nos sacrilegos templis admovimus ignes,
  Nec cor sollicitant facta nefanda meum.
Nec nos, insanae meditantes jurgia linguae,
  Impia in adversos solvimus ora Deos.

hic significari putavit Scioppius. Has quidem frigidas fuisse, licet aegrotis curandis utiles, testatur Horatius Ep. 15, v. 5. Sed in Agro Clusino qui tum late patebat, Thermas etiam fuisse, ex iis, quae Clar. Vir Josephus Baldassarri, refert in opere quod inscribitur » *Delle acque minerali di Chianciano* » Senis edito an. 1756. satis apparet.

V. 3. *Nunc autem* hac vero tempestate, (qua vere purpureo *all' accostarsi della vaga Primavera, humus remittit se, il terreno si addolcisce*) est virtute simillima sacris lymphis Bajarum balnea magni habita: quae *sacra* vocat, quod cuique fonti suum esset attributum numen. *Proxima* valet hic virtutis *efficacia simillima.* Sed hos duos versus a mala manu insertos censet *Heynius. Persephone*, Proserpina, in cujus potestate hominum vitam positam credebant. *Nigram horam*, fatalem horam mortis. *Immerito juveni*, mihi, qui nullo crimine commerui, ut me perderes, et sum adhuc juvenis ideoque morti immaturus.

V. 7. *Tentavi*, non ausus sum temerarius vulgare occulta mysteria venerandae deae nulli hominum violanda, contaminanda. Loquitur de Sacris Deae Bonae. *Laudandae*, dixit pro *Bonae. Infecit*, temperavit pocula letalibus liquoribus. *Tetra*, nocentia, crudelia.

V. 11. *Admovimus*, injecimus. Quod impii et sacrilegi homines facere solebant, ut Deorum fana in turba et confusione tutius ac facilius expilare possent. *Sollicitant*, sollicitum habent, ital. *Inquietano*. *Insana*, nec impium os aperui. Itsque nec facto, nec dicto deorum iram provocavi.

Et nondum cani nigros laesere capillos;
Nec venit tardo curva senecta pede.
Natalem nostri primum videre parentes,
Quum cecidit fato consul uterque pari.
Quid fraudare juvat vitem crescentibus uvis,
Et modo nata mala vellere poma manu?
Parcite, pallentes undas quicumque tenetis,
Duraque sortiti tertia regna Dei.
Elysios olim liceat cognoscere campos,
Lethaeamque ratem, Cimmeriosque lacus;
Quum mea rugosa pallebunt ora senecta,
Et referam pueris tempora prisca senex.

V. 15. *Laesere*, immutavere, variavere. A viridi aetate sua misericordiae caussam ducit. *Venit*, advenit senectus quae curvos ac tarde incedentes reddit. *Natalem primum*, diem quo natus fui: diem ortus mei celebrarunt. *Fato pari*, eodem genere mortis. *Consul uterque*, Hirtius et Pansa bello Mutinensi interfecti. *Quum cecidit*, Versiculus hic Tibulli non est, *Vulp.* Mihi probabilius fit, totum distichon a mala manu venisse, quippe quod importune sententiam interrumpit, *Heynius*.

V. 19. *Fraudare*, spoliare. *Crescentibus*, nondum ad maturitatem perductis. *Mala manu*, manu maligna, crudeli. *Quicumque*, vos omnes, o Dii, quibus imperium est pallentium fluminum Erebi. *Sortiti*, et quibus sorte obtigit tertium regnum inexorabilis Dei, scil. Plutoni. *Tertia regna*, Quum Jupiter, Neptunus, Pluto (qui et Orcus, et Dis pater) Saturni patris hereditatem sorte dividerent inter se, caeleste regnum Jovi, marinum Neptuno, subterraneum Plutoni obtigit: quod tertium, seu postremum, est in rerum universitate; Hoc autem incolunt et alii dii; quibus tamen omnibus Pluto imperat, *Vulp.*

V. 23. *Olim liceat*, alio tempore, tardius mihi concedatur invisere. *Cimmerios*. Inferorum lacus *Cimmerios* vocat propter obscuritatem. Cimmerii enim Homero populi sunt caliginoso aere, ac nebuloso tecti, apud quos densae ac profundae silvae solis radios omnino excludunt. Ad hos accessit Ulysses, quum regionem mortuorum vellet invisere; tamquam inferorum aditum et januam, *Vulp.* *Rugosa*, quum scil. mea facies pallida fiet senio rugas inducente. *Tempora prisca*, facta priscorum temporum.

Atque utinam vano nequidquam terrear aestu!
Languent ter quinos sed mea membra dies.
At vobis Tuscae celebrantur gramina lymphae,
Et facilis lenta pellitur unda manu.
Vivite felices, memores et vivite nostri,
Sive erimus, seu nos fata fuisse volent.
Interea nigras pecudes promittite Diti,
Et nivei lactis pocula mixta mero.

V. 27. *Utinam*, Dii faciant, ut febris, qua laboro, frustra me terreat aestu suo vano, non funesto; ardore suo minime periculoso. *At vobis celebrantur*. Interea a vobis frequentantur, coluntur; vos vero frequentatis. *Gramina*, herbosas ripas fontis, lymphae Tuscae. Broukhusius per vocabulum *gramina* intelligit campum, quo exercebantur ante lavationem et natationem. *Et facilis*, et tenta manu agitatis, impellitis natantes cedentem aquam. *Sive erimus*, sive vivam, sive fata volent me, mortem obivisse. *Nigras pecudes*; victimae atri coloris Plutoni et Manibus caedebantur, *Vulp. Promittite*, vovete, spondete pro meo capite ac salute, Infernis enim Diis, animas pecudum pro vita hominum compensationem dabant, *Id. Et lactis*; Lac, mel, sanguinem, vinum Diis inferorum libabant. *Idem.*

ELEGIA VI.

Amoris curas, et sollicitudines vino diluere instituit Poeta, nec tamen felici satis successu. Aestuat miseri amantis animus in omnes partes distractus: imprecatur puellae, deprecatur; excitat se ad hilaritatem, redit ad tristitiam: suo exemplo alios monet puellarum perfidiam timere; cum hac ipsa tamen perfidia amicae memoriam animo dimittere nequeat. Est hujusmodi elegia inter praestantiores sui generis; varietate potissimum affectus et veritate.

Candide Liber ades; sic sit tibi mystica vitis
　Semper sic hedera tempora vincta geras;
Aufer et ipse meum, pariter medicande, dolorem
　Saepe tuo cecidit munere victus amor.
Care puer, madeant generoso pocula Baccho;
　I, nobis prona funde Falerna manu

V. 1. *Candide*; Bacchum candidum appellat, hoc est *pulcher, formose*: a parte denominatur totum; ad pulcritudinem enim pertinet candor. *Sic sit tibi*, h. e. oro te per vitem tibi sacram, et per hederam, capitis insignem *Mystica vitis*. Nam in sacris Bacchi, quae et mysteria et orgia, et initia dicebantur, magnus erat vitis usus, palmitum, pampinorum, uvarum, *Vulp. Hedera.* Liberis patris corona hederacea erat, tum quia Nymphae Nysiades puerum in cunis jacentem frondibus hederae injectis occuluerunt, ne a Junone eum perdere optante conspiceretur, tum ob memoriam dilecti pueri Cissi in hederam mutati.

V. 3 *Aufer*. Aufer, o Bacche, meum dolorem, *Broukh. Pariter medicande*. Qui olim, ut ego nunc, pariter medicandus fuisti vino. Sunt qui legunt cum Heynio: *Aufer et ipse meum, pater, et medicare dolorem. Tuo munere*, nempe vino, vel opera tua. *Cecidit*, a te victore supplantatus; vel cessit. *Puer*, famule, pocillator. *Madeant*, spument, impleantur. *Generoso*, nobili et laudato vino. *Prona manu*, larga, ad ministrandum inclinata, quae lagenam invertat.

Ite procul durum, curae, genus, ite labores,
Fulserit hic niveis Delius alitibus;
Vos modo proposito, dulces faveatis, amici,
Neve neget quisquam me duce se comitem;
Aut sit quis vini certamen mite recusat,
Fallat cum tecto cara puella dolo,
Ille facit dites animos Deus: ille ferocem
Contulit, et dominae misit in arbitrium;
Armenias tigres et fulvas ille leaena
Vicit, et indomitis mollia corda dedit.
Haec Amor, et majora valet; sed poscite Bacchi
Munera; quem vestrum pocula sicca juvant?
Convenit ex aequo, nec torvus Liber in illis,

V. 7. ***Durum genus***, saeva progenies. ***Labores***, sunt dolores animi. Davisius ad Cic. Quaest. Tusc. II. 15. p. 154. ***Fulserit***, fulgeat hoc die Apollo candidis avibus, prospera ac laeta portendentibus, prosperis auguriis. Optat ut candidus, felix, serenus transeat dies, quo cupit genio indulgere. ***Proposito faveatis***, ital. ***secondate il mio pensiere. Negat se comitem***, ital. ***ricusi di farmi compagnia.***

V. 11. ***Vini certamen***, hoc est compotationem. Certamen vini dixit, quum alter alterum studet potando superare. ***Tecto dolo***, occulta fraude. ***Ille Deus***; Bacchus animos bilarat. ***Ferocem contudit, mittit***; pro ***contundere, mittere solet.***

V. 15. ***Armenias***. In saltibus Armeniae, tigres et leaenae stabulantur ferocissimae. Finxerunt autem veteres, Bacchus tigres ac leaenas, quas perdomuisset, currui suo junxisse; ut significarent, nullum esse hominem tam difficilis naturae, quin emolliatur et frangatur bibendo, ***Vulp. Vicit***, domuit. ***Indomitis***, immanibus et non antea domitis feris dedit mansuetos spiritus, indomitas feras mansuefecit. ***Amor***. Non equidem negaverim, sit nonnumquam ab Amore Bacchum, rebus gestis aequari et superari. Nihilominus ne despondeamus animum, experiamur quid efficere possit vini vis, ***Vulp. Sicca***, cuinam vero vestrum placere possunt pocula vacua?

V. 19. ***Ex aequo***, pariter una, libenter. Nulla Baccho cum libenter potantibus discordia est. ***Nec torvus***, nec iratus, ac supercilio subducto, sed mitis et placidus est ***in illis***, pro ***in illos***. ***Jocosa***, quae

Qui se, quique una vina jocosa colunt.
Jam venit iratus nimium, nimiumque severis;
  Qui timet irati numina magna, bibat.
Quales his poenas qualis quantusque minetur,
  Cadmeae matris praeda cruenta docet.
Sed procul a nobis hic sit timor, illaque, si qua est,
  Quid valeat laesi, sentiat, ira Dei.
Quid precor ah demens? venti temeraria vota,
  Aëriae et nubes diripienda ferant.
Quamvis nulla mei superest tibi cura, Neaera;
  Sis felix, et sint candida fata tua.
At nos securae reddamus tempora mensae;
  Venit post multos una serena dies.

hilaritatem excitat. *Colunt*, ital *gli fanno onore*. *Jam venit iratus*, sed jam irascitur, iratum se praebet. *Nimium nimiumque*, praeter modum. *Severis*, siccis, sobriis, abstemiis. *Numina magna*, formidandam potentiam. Dii irati majore ac terribiliore specie mortalibus apparere credebantur.

V. 23. *Quales*, quam graves. *Qualis quantusque*, et quam furens, et quam terribilis. *Cadmeae matris*. Pentheus Thebarum rex Bacchi orgia contemnebat. Hunc Agavè mater Cadmi filia, quum per silvam discurreret, iisdem sacris operata, in veteri lentisco latentem deprehendit, visaque sibi leonem sive aprum cernere, caput illi gladio recidit, avulsumque circumtulit, *Vulp*. *Illaque si qua est*: siquidem vivit Neaera, si modo superest, si vescitur aura: ut contra. *Nulla est*, pro *periit*. *Sentiat* experiatur quid possit ira contemti Dei.

V. 27. *Quid precor*. Jucunda correctio optati impotentis, *Broukh*. *Diripienda ferant*, diripiant, disperdant. *Candida*, laeta, prospera, felicia. *Reddamus*. Multis exantlatis laboribus, reliquum tempus genio et jucundae comessationi deberi videbatur ethnicis: quamobrem Tibullus verbo *reddendi* elegantissime usus est. *Vulp*. Nos vero sepositis curis, demus mensae debitum tempus *Post multos*, scil. dies nubilos, tristes.

Hei mihi, difficile est imitari gaudia falsa;
Difficile est tristi fingere mente jocum.
Nec bene mendaci risus componitur ore:
Nec bene sollicitis ebria verba sonant.
Quid queror infelix? turpes discendite curae,
Odit Lenaeus tristia verba pater.
Gnosia, Theseae quondam perjuria linguae
Flevisti, ignoto sola relicta, mari.
Sic cecinit pro te doctus, Minoi, Catullus,

V. 33. *Heu mihi.* Affectionibus subita commutatio. Vide aestuantem amatorem, et a se ipso dissidentem, et discordantem. *Gaudia falsa*, fictam laetitiam, vultu simulare laetitiam minime sinceram. *Imitari*, nimirum, in dolore ita imitari gaudentem, ut sola imitatio gaudii vera sit, gaudium ipsum fictum, *V. Tristi mente*, quum tristitia oppressus est animus. *Fingere jocum*, ital. *fingere buon umore. Nec bene risus componitur*, ital. *nè ben si confà, s' accorda il riso con simulato sembiante*, nec bene convenit risus ori quod risum mentitur. *Nec bene sonant*, ital. *Nè stan bene, nè hanno garbo i discorsi da imbriaco in chi si trova in guai. Ebria verba*, sunt ebriorum propria, levia nimirum, futilia, inconsiderata, *V.*

V. 37. *Turpes*, ital. *disdicevoli*, convivio minus conveniente. *Lenaeus pater*, Lenaeus, unum e Bacchi cognominibus, *απο τω ληνων* a torcularibus, quibus uva exprimitur. *Gnosia*. Convertit sermonem ad Ariadnam, Minois Cretae regis filiam quam Theseus a domo patris abductam, immemor beneficiorum, in insula Naxo dormientem reliquit. Huic miserae mulieri, a perjuro amatore deceptae, se confert Tibullus: Neaeram vero, infidelem puellam Theseo comparat. *Gnosiam* vocat, quod Gnosos fuerit una e celeberrimis Cretae urbibus, *V.* Quod ego nunc, tu olim Ariadna conquesta fuisti de perjuriis linguae Theseae mari ignoto, ital, *coll' ignoto mare*; nempe in litoribus desertis, surdum mare allocuta flevisti.

V. 41. *Sic cecinit pro te.* Te conquerentem ac diras Theseo imprecantem induxit Veronensis poeta in poemate quantivis pretii de Nuptiis Pelei ac Thetidos, verbaque et sententias dolori tuo pulcherrime accomodavit, *V. Minoi*, Minoi filia. *Doctus Catullus*, cognomen hoc Catullo veteres omnes tribuere: *doctus* dicitur in sua quisque arte peritus. *Ingrati viri.* Thesei. *Vos ego.* Sodales et compoto-

Ingrati referens impia facta viri.
Vos ego nunc moneo, Felix, quicumque dolore
Alterius disces posse carere tuo.
Nec vos aut capiant manantia lumina fletu,
Aut fallat blanda sordida lingua prece.
Etsi perque suos fallax jurarit ocellos
Junonemque suam, perque suam Venerem.
Nulla fides inerit; perjuria ridet amantum
Juppiter, et ventus irrita ferre jubet.
Ergo quid toties fallacis verba puellae
Conqueror? ite a me, seria verba, procul.
Quam vellem tecum parcis discumbere mensis!
Et tecum longos pervigilare dies!
Naiada Bacchus amat; cessas o lente minister!
Temperet annosum Marcia lympha merum.

res alloquitur, tamquam si diceret. Monuit puellas Catullus, ne virorum juramentis fidem haberent, proposito exemplo Thesei et Ariadnae: ego vicissim juvenes moneo, ut sibi caveant a muliercularum levitate, proposito exemplo Neaerae, *V. Posse carere tuo*, te liberare dolore tuo, ital. *a poterne campar te stesso*.

V 46. *Sordida lingua*, est avarae puellae, quae blanditias eo consilio adhibet, ut miserum amatorem expoliet. Heyn. *Suos ocellos*, Juramentum amantium olim sanctissimum. *Junonemque*. Ut viri per genium suum, ita mulieres per Junonem et Venerem suam jurare consueverant, *V. Inerit*, scil. illius verbis: nullam fidem merebuntur juramenta. *Irrita*, nullo effectu.

V. 51. *Ergo*. Iterum dolet, se gravia adhuc pertractare. *Seria verba*, tristia, et lamentabilia, quae convivam et genio indulgentem minus decent, *Vulp. Quum vellem*. Iterum convivii, et compotationis specie animum exhilarat. *Najada*, vinum aqua misceri ac temperari postulat. Bacchus enim, ut est in fabulis, a Nymphis Najadibus educatus fuit; quod poeticum figmentum significat, merum aqua dilui ac mitigari oportere, *Id. Cessas*, increpat puerum pocillatorem, quod piger sit in praebendis poculis. *Marcia lympha*. Aqua haec omnium aquarum Romanis fuit celeberrima. Ab Anco Marcio, Romanorum rege, vel a Q. Marcio praetore in urbem inducta, ab auctore suo nomen habuit.

Non ego (si fugiat nostrae convivia mensae,
  Ignotum cupiens vana puella torum)
Sollicitus repetam tota suspiria nocte.
  Tu puer, i, liquidum fortius adde merum.
Jamdudum Syrio madefactus tempora nardo
  Debueram sertis implicuisse comas.

V. 58. *Torum*, lectum scil. ubi convivae discumbebant. Sensus est: *se ingannata la vanarella sdegni la mia mensa bramando gli altrui inviti, non perciò ec.* *Jamdudum*, particula tempus non longum in re praesenti significari, animadvertit Broukhusius, eamque pluribus veterum testimoniis illustravit. Itaque vel minimam moram impatienter ferre videtur. *Madefactus*, e frutice pretioso in Syria nato, *Vulp*. Veteres Romanos, quum convivia inirent unguentis caput ungere, et coronis frontem redimire consuevisse, notissima res est.

ALBII TIBVLLI

EQVITIS ROMANI

EX LIBRO IV.

CARMEN I.

MESSALAE ΠΑΝΗΓΥΡΙΣ

Laudat Messalam patronum suum, virum eximium, a civili prudentia, eloquentia, militari scientia; et rebus bello gestis: eumque toto terrarum orbe illustrem futurum vaticinatur.

Te, Messala, canam, quamquam, me cognita virtus
Terret, ut infirmae nequeant subsistere vires:
Incipiam tamen. At meritas si carmina laudes
Deficiant, humilis tantis sim conditor actis,
Nec tua, te praeter chartis intexere quisquam
Facta queat, dictis ut non majora supersint;
Est nobis voluisse satis; nec munera parva

V. 1. *Te Messala.* Dubitatum a nonnullis, utrum hoc poema vere Tibullum habeat auctorem, ob stili differentiam; Tibullus enim, qui se nitidum et cultum in Elegiis adeo praestitit, ut Quintiliani judicio, ceteros omnes Elegiae scriptores post se reliquerit, hoc in Carmine sui omnino dissimilis deprehenditur. Fortasse, inquit clarissimus Vulpius, Albius noster, vix pueritiam egressus, hoc poema composuit *viribus* adhuc *infirmis*, ut ipse ait de se. Latina tamen omnia sunt, ac purissimae quidem latinitatis quae manifesto clamet Augustaeum illud aevum. De Messala vide Eleg. I. *Virtus*: procul dubio virtus Messalae.

V. 4 *Deficiant*, h. e. si poesis mea laudum quas mereris, pondus ferre non possit. *Id. Conditor*, scriptor rerum a te tamen praeclare gestarum. *Praeter te*, mira laus a facundia et bonis artibus, *Vulp. Intexere*, literis mandare.

Respueris. Etiam Phoebo gratissima dona
Cres tulit: et cunctis Baccho jucundior hospes
Icarus, ut puro testentur sidera caelo,
Erigoneque Canisque, neget ne longior aetas.
Quin etiam Alcides, Deus ascensurus Olympum
Laeta Molorcheis posuit vestigia tectis
Parvaque caelestes pacavit mica, nec illis

Respueris rejeceris, aspernatus fueris. *Cres tulit.* Apollo, Pythone serpente occiso, Delphicum et oraculum sibi ipse excitavit; et Cretenses quosdam ex Gnoso Minoia prolios ac pios delegit, qui sibi sacra facerent. Hi tunc forte navigabant, resque Cretensium publica erat adhuc angusta. Existimat Barthius, horum ducem Cretem Tibullo vocari, quem sacris praefectum Phoebus alloquebatur. Hanc fabulam copiose persequitur Homerus Hymno in Apollinem a v. 382. ex *Vulp. Tulit*, Cres obtulit Phoebo dona gratissima, licet parva.

V. 10. *Icarus*, Erigones pater, qui Bacchum liberaliter hospitio accepit. Hic hospitem suum utre vini pleno remuneratus est, jussitque ut ad finitimos vitis sationem ac vindemiam propagaret. Icarus deinceps onerato plaustro cum Erigone filia, et cane Moera ad vicinos quosdam pastores devenit, et cum iis Dei munus communicavit. Pastores, quum immoderatius bibisset, ebrietate correpti sunt. Putantes igitur, se ab Icaro tentatos veneno cum fustibus occiderunt, et cadaver insepultum abjecerunt Canis autem Moera ululans id Erigonae monstravit. Puella infortunio consternata in arbore proxima se suspendit. Icarus postea et Erigone, Deorum voluntate in astrorum numerum relati fuere. Erigone in signis Zodiaci Virgo est, Icarus in sideribus est Arcturus: Canis ipse Moera, Canicula vocatur; vel Anticanis, Canis minor, *ex Vulp. Puro*, sereno: nubilis enim noctibus astra non apparent, *Id. Neget*, ne ob longinquam aevi vetustatem, sera posteritas fidem habere nolit iis quae de Icaro, Bacchi hospite, tradita sunt, *Id.*

V. 12. *Deus ascensurus*, caelum ascensurus deorum ordini adscribendus. *Laeta posuit vestigia*, hilares pedes intulit, hilaris Molorchi domum introiit, non dedignatus hospitis paupertatem, quum jussu Euristhei iret occisum leonem Nemaeum; quo interfecto ad Molorchum in agro Cleonaeo, non procul a silva Nemaea, rediit, eique omnem illum agrum donavit. *Parvaque mica*, granum vel turis,

Semper inaurato taurus cadit hostia cornu.
Hic quoque sit gratus parvus labor, ut tibi possim
Inde alios aliosque memor componere versus.
Alter dicat opus magni mirabile mundi:
Qualis in immenso desederit aere tellus:
Qualis et in curvum pontus confluxerit orbem,
Et vagus a terris qua surgere nititur aer,
Huic ut contextus passim fluat ignibus aether,
Pendentique super claudantur ut omnia caelo.
At, quodcumque meae poterunt audere Camenae
Seu, tibi par poterunt, sed quod spes abnuit ultro,
Sive minus; certeque canent minus, omne vovemus
Hoc tibi, nec tanto caveat mihi carmine charta
Nam quamquam antiquae genti superant tibi laudes

vel etiam salis lenivit, ex iratis propitios fecit deos. *Inaurato*: inaurabant antiqui victimarum cornua.

V. 17. *Memor* scil. acceptorum beneficiorum. *Componere*, conscribere. *Alter*, alius. *Dicat*, canat· *Desederit*, scil. igne, et aere discretis, quomodo terra subsederit. *In curvum orbem*, in rotundam figuram, quam efficit Oceanus amplexu suo terram ambiens, *Pass.* *Vagus*, huc illuc permanens. *A terris*, tellure subtus relicta. *Qua*, qua ratione, quomodo sursum tendere conetur. *Huic ut contextus*. Revocavimus lectionem, quae fuit ante Broukhusium. *Huic* scil aeri contextus dicitur aether, quia ei est proximus.

V. 23. *Pendentique super*, caelo desuper imminente contineantur. *Tibi par*, merito tuo conveniens poterunt canere. *Sed quod*, quod, tamen spes ipsa polliceri non audet quamvis large promittere solita sit, *Vulp.* *Ultro*, sponte sua, per se ipsa. *Vovemus*, dedicamus, consecramus *Nec tanto*, nec charta, sive libri a me conscripti careant hujusmodi carminibus; in vulgus prodeant sive praeclaris tuis laudibus, o Messala

V 28. *Antiquae gentis*, Antiqua gens Valeria, a Valerio Voleso, qui Romam e Sabinis venit cum Tatio. Ex gente Valeria plures familiae fuerunt, cognominibus distinctae, Maximi, Publicolae, Flacci, Messalae, Corvini etc. *Pass.* *Superant*, abunde sunt.

Non tua majorum contenta est gloria fama,
Nec quaeris, quid, quaque index sub imagine dicat
Sed generis priscos contendis vincere honores,
Quam tibi majores majus decus ipse futuris
At tua non titulus capiet sub stemmate facta,
Aeterno sed erunt tibi magna volumina versus,
Convenientque tuas cupidi componere laudes
Undique, quique canent vincto pede, quique soluto.
Quis potior, certamen erit; sim victor in illis,
Ut nostrum tantis inscribam nomen in actis.
Nam quis te majora gerit castrisve, forove?
Nec tamen hinc aut hinc tibi laus majorve, minorve;
Justa pari premitur veluti cum pondere libra,
Prona nec hac plus parte sedet, nec surgit ab illa.
Qualis, inaequatum si quando onus urget utrinque
Instabilis natat, alterno depressior orbe.

V. 29. *Nec quaeris*, nec scire laboras nec curas, *Pass. Index*, subscriptae cuique imagini literae: titulus. *Contendis*, certas, niteris superare. *Majus decus*, ipse futurus majus decus, ornamentum posteris tuis, quam tibi fuerunt majores.

V. 33. *Titulus sub stemmate.* Jejuna laus est brevis titulus nomini subjectus. *Convenient*, ex omni parte confluent cupidi celebrandi. *Laudes* fortia facta. *Vincto pede*, versu nimirum, et prosa oratione, *Vulp. Quis potior*, certabunt inter se quis potior, scil praestantior sit habendus, *Id. Sim victor*, utinam in eo certamine palmam referre possim, *Id. Nostrum*, ut meum nomen inscribam in tantis a te rebus gestis.

V. 39. *Gerit*, sustinet graviora aut in bello, aut in foro. Messalam, ob virtutem bellicam, et eloquentiam laudat. *Hinc aut hinc.* Par tibi laus a castris et foro. Aeque bonus et imperator et orator, *Pass. Prona*, inclinata deprimitur. *Surgit*, in sublime attollitur. *Qualis* quomodo, si pondus inaequale ex utraque parte premit, mobilis, incerta fluctuat; vacillat nunc dextra, nunc sinistra lance, magis inclinata.

Nam seu diversi fremat inconstantia vulgi,
Non alius sedare queat; seu judicis ira
Sit placanda, tuis poterit mitescere verbis
Non Pylos, aut Ithace tantos genuisse feruntur
Nestora, vel parvae magnum decus Urbis Ulyxen;
Vixerit ille senex quamvis, dum terna per orbem
Saecula fertilibus Titan decurrerit horis:
Ille per ignotas audax erraverit urbes.
Qua maris extremis tellus excluditur undis.
Nam Ciconumque manus adversis repulit armis:
Nec valuit Lotos ceptos avertere cursus;

Diversi: dissentiens a bonis, diversa sentiens tumultuetur vulgus inconstans. *Ira*, iratus judex placandus.

V. 78. *Pylos*, Tres in Peloponneso Pyli fuerunt, Eliaca, Triphyliaca, Messeniaca: singulae autem alumno Nestore gloriabantur. Ceterum Strabo lib. 8. Geograph., vero simillimum existimat, Pylum ubi regnavit Nestor, Triphyliacam fuisse, *Vulp. Ithace*, parva insula maris Jonii patria Ulyxis, *Id. Tantos genuisse*, tam claros, tam excellentes viros procreasse dicuntur. *Dum terna saecula*. Nestor ex Cic. de Senect. tres hominum aetas vixit. Opinio est per manus tradita, Nestorem trecentos annos vixisse. Non defuerunt tamen qui scriberent nonaginta natum annos demum obiisse; saeculum enim pro spatio centum annorum non semper accipitur; sed interdum etiam pro annis triginta, ex *Vulp. Per orbem*, per caelum. *Fertilibus horis*: pro partibus annis: *fertiles* dicuntur, quia earum vicissitudo fertilitatis caussa est.

V. 50. *Ille*, Ulyxes. *Tellus excluditur*, quasi extra clauditur; Oceanus enim, quod mare ultimum dici potest, terras ambit exterius, *Vulp. Nam Ciconumque* pro *namque manus Ciconum*. *Adversis armis*, scil. oppositis armis. *Lotos*, Quum Ciconas reliquisset Ulyxes, ad *Lotophagos* delatus est, qui *Lotum* edebant, qui cibus tam suavis gustu fuisse dicitur, ut eos, qui gustarent, in patriam redeundi oblivio caperet. Ad eas ab Ulyxe duo socii missi fuerunt, qui, quum herbas ab eis datas gustassent, ad naves iterum reverti obliti sunt, quos vix tandem vinctos ipse reduxit. *Ceptos cursus*, iter institutum.

Cessit et Aetnaeae Neptunius incola rupis,
Victa Maroneo foedatus lumina Baccho;
Vexit et Aeolios placidum per Nerea ventos.
Incultos adiit Laestrigonas, Antiphatenque,
Nobilis Artacie gelida quos irrigat unda;
Solum nec doctae verterunt pocula Circes,
Quamvis illa foret Solis genus, apta vel herbis
Aptaque vel cantu veteres mutare figuras.
Cimmeriorum etiam obscuras accessit ad arces,

V. 56. *Neptunius.* Polyphemus Cyclops Neptuni filius, qui, in Sicilia sub Aetna monte habitavit, quem Ulyxes vino Ismario delinitum somnoque sepultum, torre obusto excaecavit, *Vulp. Victa lumina*, unicum oculum, quem sub fronte Polyphemus gerebat, vino somnoque domitum et oppressum, *Vulp. Maroneo*, vino ita dicto a Maronea, litorali Thraciae urbe; quod vinum *Ismarium*, appellavit Propertius. *Foedatus*, turpatus videlicet sanguine ex oculo effoso defluente, *Id. Aeolios ventos*, Aeolo regi parentes. Narrat Homerus initio lib. 10. Odyss. Ulyxen ad Aeolum in insulam Aeoliam venisse, ibique benigne sceptum, ab hospite suo, donatum fuisse utre ex corio bubulo, in quo venti omnes inclusi essent, praeter Zephyrum. *Pass. Per Nerea*, per mare tranquillum, obstrictis aliis ventis praeter Zephyrum *V.* Nereus Deus marinus, pro mari.

V. 59. *Laestrigonas*, crudeles populos, gigantibus similes, humana carne victitantes; qui in Italia Formias Campaniae urbem incoluisse dicuntur. Vide Plin. lib. 7. Hist. Nat. c. 2. Horum Rex fuit Antiphates, qui, uno e sociis Ulyxis dilanisto, humanis dapibus sibi coenam apparavit. *Artacie*, fons eo nomine celeber apud Laestrigonas. *Solum.* Solus enim Ulyxes a Circe discessit intactus ejus veneficiis, solus scil. ex illis, qui relictis navibus, aedes Veneficae ingressi fuerunt, et cum ea versati. *Doctae*, artis magicae perita. *Verterunt*, mutavernnt ex homine in suem, *Vulp. Solis genus*, filia solis Circe. *Veteres figuras*, antiquas formas, et priores *Vulp.*

V. 64. *Cimmeriorum.* Cimmerii ait Pompejus Festus dicuntur homines, qui frigoribus occupatas terras incolunt. Quales fuerunt inter Bajas et Cumas, in ea regione, in qua convallis satis eminenti jugo circumdata est; quae neque vespertino tempore sole contigitur. Hinc proverbium. *Cimmeriae tenebrae. Accessit*, pervenit ad tenebrosas Cimmeriorum regiones. *Cadente ortu*, albente coelo, ital-

Quis numquam cadente dies apparuit ortu,
Sive supra terras Phoebus, seu curreret infra.
Vidit ut inferno Plutonis subdita regno
Magna deûm proles levibus discurreret umbris;
Praeteriitque cita Sirenum litora puppi.
Illum inter geminae nantem confinia mortis,
Nec Scyllae saevo conterruit impetus ore,
Quum canibus rabidas inter freta serperet undas,
Nec violenta suo consumsit more Charybdis,
Vel si sublimis fluctu consurgeret imo,
Vel si interrupto nudaret gurgite pontum.

sull' alba. Sive supra terras. Antipodas videtur hic agnoscere et fateri Tibullus, *Vulp. Subdita*, subjecta stygio imperio Plutonis. *Magna Deum proles*, heroes diis geniti. *Discurreret*, huc illuc volitaret, et vagaretur, *Vulp. Levibus umbris.* Leves umbrae hic sunt simulacra mortuorum, inania, sine corpore, *Id.*

V. 69. *Praeteriit*, praeternavigabit veloci nave maritimam oram Sirenum obturatis cera sociorum auribus. *Litora*, oram maritimam Siciliae juxta Pelorum promontorium ad Acheloi fluminis ostium. Veteres nummi Sirenas exhibent vultu quidem virgineo, sed parte corporis inferiore in avem desinente, gallinae non absimilem; in parte superiore alas habentes in humeris, manu autem, tibiam vel lyram. *Nantem*, navigantem. *Geminae mortis*, Scyllam scopulum infamem et Charybdim voraginem in freto Siculo *mortem geminam* vocat, *Vulp. Scyllae impetus*, h. e. Scylla impetum habens, violenta. *Saevo ore.* Scyllae Homerus capita sex horribilia, tres dentium ordines densos et frequentes, ad morsum paratos tribuit, *Pass.*

V. 72. *Quum canibus*, quum serperet, irreperet inter freta, undas rabidas canibus, h. e. in mediis aquis Siculi maris concitatis et commotis a latrantibus monstris, quibus succincta est Scylla. *Serperet.* Serpebat Scylla, quia ei duodecim pedes Homerus effingit. *Vulp. Suo more*, mos hic est natura, *Id. Consumsit*, absumpsit, devoravit, peremit, *Pass. Si*, pro *dum. Imo*, ab imis undis. *Interrupto*, impetu maris represso fundum retegeret, atque aperiret.

Non violata vagi sileantur pascua Solis,
Non amor, et fecunda Atlantidos arva Calypsus,
Finis et errorum misero Phaeacia tellus.
Atque haec seu nostras inter sunt cognita terras
Fabula sive novum dedit his erroribus orbem,
Sit labor illius; tua dum facundia major.
Jam te non alius belli tenet aptius artes:
Qua deceat tuta castris praeducere fossam;
Qualiter ad versos hosti defigere cervos;
Quemve locum ducto melius sit claudere vallo,
Fontibus ut dulces erumpat terra liquores;

V. 76. *Violata.* Temerata loca, in quibus pascebantur boves, Soli sacri, caesis et mactatis ipsis armentis, *Vulp*, *Vagi*, libere per aerem vagantis, *Id. Amor Calypsus.* Ulyxes ad Ogigiam insulam delatus, ubi Calypso habitabat, ab ea adamatus fuit. Calypsum Atlantis filiam vocat Homerus. Ogygiae ager fertilis et amoenus celebrabatur. *Erroris*; maris nempe, viarum, et diuturnae jactationis. Quum enim pervenisset Ulyxes ad Alcinoum Phaeacum regem, a longis laboribus quiescere coepit; regia enim ope ac beneficentia in patriam Itacen aditus ei patefactus est, *Vulp. Phaeacia tellus*, ital. *Corfù.*

V. 79. *Seu nostras.* Praepositio *inter* valet *intra.* Sive haec sunt gesta intra orbem nobis notum, sive fabulose acta narrantur in parte mundi nobis ignota, *Brouk. Fabula*, fabulosa narratio assignavit his navigationibus et itineribus mundum nobis ignotum. *Sit labor.* Dicatur Ulyxes pertulisse graviora, vindicet sibi laudem patientis, *Pass. Tua dum*, dummodo tua facundia dicatur major facundia Ulyxis, cujus eloquentiam tota Graecia admirata est. *Tenet*, nemo commodius, decentius te callet militares artes, qua ratione, vel parte conveniat, expediat ducere fossam ante castra; fossa castra praecingere.

V. 84. *Qualiter*; quo modo. *Adversos*, e regione oppositos, in quos hostis incurrat. *Cervi* hoc loco sunt furcillati rami, *Pass.* Cervis antiquorum hodie respondent; quos vocamus *Cavalli di Frisa*, *Vulp. Defigere*, in terram demittere. *Ducto vallo*, ducere vallum, ital. *tirare, fare una trincea. Erumpat*, ut terra copiose emittat e fontibus dulces aquas. Ducum enim est, ne castra in arido et aquae inopi loco ponantur.

Ut facilisque tuis aditus sit, et arduus hosti,
Laudis et assiduo vigeat certamine miles;
Quis tardamque sudem melius celeremque sagittam
Jecerit, aut lento perfregerit obvia pilo,
Aut quis equum celerem arctato compescere freno
Possit, et effusas tardo permittere habenas,
Inque vicem modo directo contendere cursu,
Seu libeat curvo brevius compellere gyro;
Quis, parma seu dextra velit, seu laeva tueri
(Sive hac, sive illac veniat gravis impetus hastae)
Amplior; aut signata cita loca tangere funda.
Jam simul audacis veniunt certamina Martis,
Adversisque parant acies concurrere signis;
Tunc tibi non desit, faciem componere pugnae,

Arduus, difficilis. *Laudis certamine*, ut in castris ab hostium insidiis bene munitis miles se se exerceat, assidue cum commilitonibus de laude, nempe de factis laudabilibus certando.

V. 89. *Tardamve sudem*, praeacutum palum gravis ponderis. *Lento pilo*, jaculo et hastili Romanorum proprio: quod in hostem conjectum crispabatur, tenaciterque adhaerebat. *Perfregerit*, penitus fregerit, transverberarit quaecumque itinere occurrentia, obstantia. Pilum a milite Romano jactum ita vehemens erat, ut scutatos pedites, ac loricatos equites transverberaret, *Pass. Effusas*, immissas. *Tardo*, lente incedenti ex opinione sessoris. *Contendere*, tendere, pergere; vel certare cum sociis pariter equitantibus, *Pass. Curvo gyro*: in orbem flectere et circumagere: *Brevius*, angustiore spatio.

V. 95. *Parma*, scuto brevi et equestri. *Dextra*, quae ad dexteram sunt, vel ad laevam manum protegere velis, *Pass. Sive hac*, sive a dextra; sive a laeva, id est, undecumque hasta veniat, eam ad partem clypeum seu parmam convertat, *Id. Amplior*, praestantior. *Signata loca*, sunt loca oculis notata, et designata, *luoghi tolti di mira*. Nos itali dicimus *il bersaglio*, *Vulp. Cita funda*, ex qua glans plumbea, vel lapis excutitur summa celeritate et impetu, *Pass. Tangere*, percutere, ferire. *Jam*, pro *praeterea*. *Simul*, simul ac instant vera et expressa, non ficta et adumbrata certamina.

V. 99. *Concurrere*, procursu utrinque facto confligere. *Non desit*, tunc tibi facile, in promptu est, exercitum ordinare, sive

Seu sit opus, quadratum acies consistat in agmen;
Rectus ut aequatis decurrat frontibus ordo;
Seu libeat duplici sejunctim cernere Marte,
Dexter uti laevum teneat, dextrumque sinister
Miles, sitque duplex geminis victoria castris.
At non per dubias errant mea carmina laudes:
Nam bellis experta cano; testis mihi victae
Fortis Iapydiae miles, testis quoque fallax
Pannonius, gelidas passim disjectus in Alpes;
Testis Arupinas et pauper natus in armis.
Quem si quis videat vetus ut non fregerit aetas;
Terna minus Pyliae miretur secula famae.
Centum fecundos Titan renovaverit annos:
Ipse tamen velox celerem super edere corpus

opus sit, ut cohortes stent in agmine quadrato, ut directi ordines extendantur in longitudinem frontibus aequatis. *Sejunctim*, separatim certare duobus exercitibus, acie bipartita. *Dexter*, ut miles romanus, qui est in dextro latere, sinistras adversariorum copias lacessat, ac pugnando detineat: qui est in sinistro, cum dexteris hostium copiis confligat; atque ita duplex victoria a duobus exercitibus quodammodo referatur.

V. 106. *At non*, neque vero mea carmina vagantur per incertas laudes, quasi nihil certi ac explorati possim afferre. *Experta*, quae ipse hisce oculis vidi et expertus sum. *Iapydiae*, Iapydes, gens *Illyrica*, pugnax et latrociniis famosa. Hos aliosque populos hic a Tibullo memoratos debellavit Augustus. In his tamen bellis egregia Messalae virtus enituit, qui solos Salassos ductu suo perdomuit. *Fallax*, infidus, fraudolentus. *Disjectus*, inordinate repulsus, se recipere coactus in Alpium juga. *Arupinas*, Arupinates, Arupini, Iapydiae oppidi incolae. *Natus in armis*, ob paupertatem nutritus inter arma: nam rei familiaris inopia ad bellum cogit.

V. 111. *Quem si quis*, quem Arupinatem si quis videat, quomodo senecta non debilitarit, mirum non videatur, Nestorem Pylium trecentos annos vixisse. *Centum*. Quamvis Sol renovaverit, percurrerit centum fertiles annos. *Velox*, vel ipse velox, veloci saltu; vel corpus velox. *Edere*, attollere corpus super equum, insilire expeditus incitatum equum.

Audet equum, validisque sedet moderator, habenis.
Te duce non alias conversus terga domatur
Libera Romanae subjecit colla catenae.
Nec tamen his contentus eris; majora peractis
Instant; compertum est veracibus ut mihi signis,
Queis Amythaonius nequat certare Melampus.
Nam modo fulgentem Tyrio subtemine vestem
Indueras oriente die duce fertilis anni:
Splendidior liquidis quum Sol caput extulit undis,
Et fera discordes tenuerunt flamina venti,
Curva nec assuetos egerunt flumina cursus.
Quin rapidum placidis etiam mare constitit undis,
Nulla nec aërias volucris perlabitur auras,
Nec quadrupes densas depascitur aspera silvas,

Sedet, insidet moderans fortes, firmas habenas, tamquam fortis, validus equus.

V. 116. *Non alias*, non alio tempore Arupinas equorum domitor, converso tergo, capta fuga, subjecit colla ad id tempus libera romano jugo. *Domator*, pro *domitor*. *Peractis*, majora, illustriora, quam quae gessisti, imminent, ut mihi exploratum ac certum est non dubiis indiciis. *Melampus*, celeberrimus vates, maximaeque auctoritatis, Amythaonis filius, Biantis frater, *Vulp*. *Certare*, repugnare, contradicere.

V. 121. *Modo*, nuper. *Fulgentem*. His verbis significat Messalae consulatum. Vestem purpuream sumebant consules, quae late splendebat. *Subtemen* est id quod subit stamini filum, trama. Haec autem subtemina, priusquam ex illis panni texerunt, purpura tingi solebant; vel, quod verius existimo, lana ipsa, ex qua subtemen, *Vulp*. *Oriente die*, surgente die. *Duce*. Dux anni dies sunt ipsae Calendae Jan. quibus novi consules solemne votum suscipiebant, *Id*. *Splendidior*. Omen felicis anni a candidiore luce solis primo anni die, *Pass*. *Tenuerunt*, cohibuerunt flatos suos indomitos, violentos, *Id*. *Curva*, flexuosi amnes. *Egerunt*, solitos cursu tenuerunt.

V. 126. *Rapidum*; fervens, concitatum *Nulla nec*. Negatio duplex pro simplici. *Aerias*; sublimes paullo altiores. *Perlabitur*, volavit, perstrepuit. *Quadrupes aspera*, nec ullum hirsuta fera pascendo edidit sonum.

Quum largita tuis sunt multa silentia votis
Jupiter ipse levi vectus per inania curru.
Adfuit, et caelo vicinum liquit Olympum,
Intentaque tuis precibus se praebuit aure;
Cunctaque veraci capite adnuit; additus aris
Laetior eluxit structos super ignis acervos.
Quin hortante deo magnis insistere rebus
Incipe; non iidem tibi, sint, aliisque triumphi.
Non te vicino remorabitur obvia Marte
Gallia, nec latis audax Hispania terris,
Nec fara Theraeo tellus obsessa colono,
Nec qua vel Nilus, vel regia lympha Choaspes
Profluit, aut rapidus, Cyri dementia, Gyndes

Largita, quin immo omnia cum magno longoque silentio audiverunt vota quae consul nuncupasti pro populo Romano. *Levi curru*, volucri quadriga delatus per aera vacuum interfuit. *Olympum*: Olympum Tibullus facit hic deorum sedem, caelo altiorem et superiorem unde tamen in caelum proximus sit descensus, ut advertit Dousa ex Homero, V.

V. 132. *Se praebuit*, attentas praebuit aures votis tuis, et sincero nutu capitis omnia adprobavit. *Additus aris laetior*, ignis positus in aris clarior effulsit supra grana turis aggesta et cumulata. *Deo*, Jove impellente, inhaerere magnis rebus, urgere illustria facta incipe. *Non iidem tibi sint triumphi*, non eadem gloria, quae ceteris contigit. *Non te vicino*. His verbis quasi praesagientis animi quodam vaticinio; illum Messalae triumphum auguratur, quem quarto post anno egit de subactis Aquitanis, *Brouk*. Nec Gallia tibi occurrens proximo tumultu retinebit, aut retardabit, quin Gallis domitis ad ulteriores nationes debellandas pergas. *Audax Hispania*, Hispani veteres, sive Hiberi, non latrociniis tantum infames fuerunt, verum etiam fortes et strenui, belloque clarissimi, *Vulp*.

V. 139. *Theraeo colono*. Africa, et in primis Cyrenaica. *Obsessa*, insessa, possessa. *Nilus*. Non te remorabitur Aegyptus ab Augusto in provinciae formam redacta, nec illa regio, per quam delabitur fluvius Choaspes, cujus aquam Persarum reges potare unam solebant ob singularem ejus suavitatem, et quocumque ibant, secum ferri jubebant. *Rapidus*, violentus. *Gyndes*, Asiae fluvius, qui in Tigrim influit. *Cyri dementia*. *Cyrus* Babylonem oppugna-

Radit Arectaeos haud una per ostia campos,
Nec qua regna vago Tomyris finivit Araxe,
Impia nec saevis celebrans convivia mensis
Ultima vicinus Phoebo tenet arva Padaeus,
Quaque Istrus, Tanaisque Getas rigat, atque Mosynos.
Quid moror? Oceanos ponto qua continet orbem,
Nulla tibi adversis regio se se offeret armis.
Te manet invictus Romano Marte Britannus.

turus, Gynden late fusum vado transire tentavit. Ibi unus ex equis qui trahere regium currum albi solebant, abreptus, vehementer commovit regem. Juravit itaque, eo se amnem illum redacturum, ut transiri calcarique etiam a feminis posset. Huc deinde omnem transtulit belli apparatum, et tamdiu adsedit operi, donec CLXXX cuniculis divisum alveum in CCCLX rivos dispergeret, et siccum relinqueret, in diversum fluentibus aquis. Periit itaque et tempus et militum ardor, et occasio aggrediendi imparatos hostes. Ita Seneca lib. 3. de Ira, cap. 21. quem vide. *Arectaei campi* juxta Babylonem et oppidum *Arec*, de quo mentio cap. 10. Geneseos. *Haud una per ostia*, divisus enim a Cyro trecentis sexaginta ostiis evolvebatur, ex *Vulp.*

V. 143. *Tomyris*, Massagetarum regina quae fines et terminos imperii sui Araxe Armeniae fluvio circumscripsit, *P. Vago*, late fuso. *Celebrans*, instruens impias epulas barbaris mensi. Nam Padaei, Indiae populi, orienti soli proximi, aegrotantes senes antequam morerentur, necabant, eorumque carnibus vescebatur. *Ultima arva*, extremas ad Orientem regiones, ultra quas nihil, nisi Oceanus, *P. Istrus*, alio nomine Danubius. Getas ad ripas Danubii inferioris habitasse testatur Ovidius in Tristibus ac Ponticis Epistolis. *Tanais* Scythiae fluvius, qui in Pontum Euxinum irrumpit. *Mosynos*. Hos populos Plinius in Ponticis gentibus numerat, *Brouk.*

V. 147. *Quid moror?* Cur singula et minuta recensendo te diutius detineo? *Pass. Continet*, ambit, cingit. *Se se offeret*, se tibi objiciet, ac remorabitur. *Invictus*, Romanis armis nondum penitus subactus. Devicerat quidem barbaros Britanniae populos secundis praeliis C. Caesar; qui subacti tandem fuerunt a Claudio Principe.

Teque interjecto mundi pars altera Sole:
Nam circumfuso considit in aëre tellus,
Et quinque in partes toto disponitur orbe.
Atque duae gelido vastantur frigore semper;
Illic et densa tellus absconditur umbra,
Et nulla incepto perlabitur unda liquore,
Sed durata riget densam in glaciemque nivemque;
Quippe nbi non umquam Titan superingerit ortus
At media est Phoebi semper subjecta calori,
Seu propios terris aestivum fertur in orbem,
Seu celer hibernas properat decurrere luces,
Non ergo presso tellus consurgit aratro,
Nec frugem segetes praebent, nec pabula terrae;
Non illic colit arva deus, Bacchusve, Ceresve,
Nulla nec exustas habitant animalia partes,
Fertilis hanc inter posita est, interque rigentes,
Nostraque. et huic adversa solo pars altera nostro,

Pars altera terra pedibua nostris opposita. *Sole interjecto*, quod qui ab zona nostra temperata septentrionali velit ad oppositam australem migrare, debeat per zonam torridam transire, quam sol semper insistit, V.

V. 151. *Considit*, sedet quodammodo sua gravitate depressa. *Quinque in partes*, zonas nimirum, fascias, cingulos; quibus respondent in caelo totidem, V. *Disponitur*, dividitur totus orbis. *Vastantur*, vastae, incultae et desertae manent, V. *Umbra*, perpetua caligine obtegitur. *Perlabitur*, labitur quidem, non tamen decurrit quae coeperat currere, gelu durata, cujus vi stare cogitur. *Superingerit*, infundit, injicit sua spicula, radios.

V. 159. *Propior terris*, temperatae nimirum zonae septentrionali, quam habitamus, V. *Aestivum in orbem*: in circulum quem Sol describit diurna conversione quum Tropico Cancri propinquat, *Id. Decurrere*, emetiri dies hiemales. *Presso*, depresso. *Consurgit*, attollitur, sulco et vomere excitatis glebis, V. *Segetes*, agri arati et consiti, terra sata. *Terrae*, prata, silvae, campi, *Pass. Nulla nec*: credebant sub zona torrida nullos esse habitatores, ne belluas quidem, *Idem*.

V. 166. *Huic adversa*, pars mundi altera, adversa sive opposita huic solo nostro, est regio Antichthonum, sive Antipodum, quâ

Quas utrinque tenens similis vicinia coeli
Temperat, alter et alterius vires necat aer.
Hinc placidum nobis per tempora vertitur annus;
Hinc et colla jugo didicit submittere taurus,
Et lenta excelsos vitis conscendere ramos,
Tondeturque seges maturos annua partus;
Et ferro tellus, pontus confinditur aëre
Quin etiam structis exsurgunt oppida muris.
Ergo ubi per claros ierint tua facta triumphos,
Solus utroque idem diceris magnus in orbe.
Non ego sum satis ad tantae praeconia laudis,
Ipse mihi non si praescribat carmina Phoebus.
Est tibi, qui possit magnis se accingere rebus,

tamen habitant zonam temperatam Australem. *Vulp. Utrinque tenens*, hinc, inde cingens, dextra laevaque complectens, *Pass. Similis vicinia.* Caeli enim et aeris propinquitas eadem fere est in duabus zonis terrestribus temperatis, *Id. Necat.* Tibulli sententia est; In zonis temperatis, aerem calidum, qui movetur ab zona torrida vicina, misceri cum frigido, qui spirat ab zona frigida exadversum, atque ita effici temperiem, extincto scil. nimio frigore, atque utroque in blandum teporem coalescente, V. *Placidus*, benignus, clemens, moderatus quatuor tempestatibus distinguitur; quum sub zona torrida perpetua sit aestas; sub rigentibus vero perpetua hiems, *Id.*

V. 171. *Lenta*, flexilis. *Conscendere*, se se attollere ad ulmorum, populorumque, quibus maritatur, brachia et flagella, summumque verticem, *Pass. Tondeturque*, pro tondetur maturi partus segetis annuae, *Id. Seges*, terra sata. *Annua*, nomen loco adverbii, pro, quotannis. *Confinditur*, finditur vomere ferreo tellus; aereis navium rostris, vel aeratis remis mare, V. *Exurgunt*, in altum tolluntur. *Erint*, obtinuerint, promerita fuerint triumphos. *Solus*, solus Magni nomen obtineris, *Pass.* Et quidem solus in orbe utroque, nam qui antea magni dicti sunt, in una tantum orbis parte inclaruere, V. *Utroque*, in utraque zona temperata, quas antiqui solas habitabiles putabant, *Id.*

V. 177. *Tantae laudis*, tantarum rerum laudabiliter gestarum. *Praescribat*, monstret, doceatque praecinendo. *Est tibi*, habes inter clientes et amicos Valgium, qui par sit heroico carmine scri-

Valgius, aeterno propior non alter Homero;
Languida nam noster peragit labor otia, quamvis
Fortuna, ut mos est illi, me adversa fatiget.
Nam mihi quum magnis opibus domus alta nitet,
Cui fuerant flavi ditantes ordine sulci
Horrea, fecundas ad deficientia messes,
Cuique pecus denso pascebant agmine colles,
Et domino satis, et nimium furique, lupoque;
Nunc desiderium superest: nam cura novatur,
Quum memor anteactos semper dolor admovet annos.
Sed licet asperiora cadant, spolierque relictis,
Non te deficient nostrae memorare Camenae,
Nec tibi Pierii solum tribuentur honores;
Pro te vel rapidas ausim maris ire per undas,
Adversis hiberna licet tumeant freta ventis,
Pro te vel solus densis subsistere turmis,

bendo, *Pass.* T. Valgius Rufus, aevo Augusti poeta celeberrimus Heroica scripserat, Lusus Pastorales, Elegos, Epigrammata; sed omnia interciderunt. *Propior*: nemo alius propius ad immortalis Homeri majestatem accedit. *Labor peragit.* Mira locutio, pro a laboribus desistimus, et otio nos damus, V. *Fatiget*, vexet, male habeat.

V. 184. *Ditantes ordine.* Seges in sulcis flavescens ordine locupletat horrea; tempore enim suo segetes quaeque maturescunt, non cunctae simul. Igitur messis alia aliam ordine subsequitur, et in horreis certo quodam ordine conditur, *Brouckh. Deficientia*, angusta ad continendas tam copiosas messes. *Pascebant*: gramen et frondes in collibus pecus carpebat. *Satis*, sufficiebat domino. *Desiderium.* Amissas enim res desideramus; et saepius frustra, V. *Novatur*, recrudescit, et renovatur, *Id. Admovet*, ante oculos ponit, atque ita in memoriam revocat. *Memor dolor*, acerba recordatio injuriarum militarium et rapinarum triumviralium, *Brouk.*

V. 190. *Vadant*, graviora eveniant. *Relictis*, exuar, carere cogar iis, quae mihi reliqua sunt, quae mihi supersunt non adempta in agrorum divisione jussu triumvirorum facta, *Pass. Deficient*, desinent celebrare. *Subsistere*, me objicere obviam ire. *Turmis*, Turmae sunt equitum, cohortes peditum. *Parvum*, gracile, tenue corpus tradere ardentibus flammis montis Aetnae in Sicilia.

Vel parvum Aetneae corpus committere flammae.
Sum quodcumque, tuum est: nostri sit parvula, cura;
Sit tibi, quante libet, si sit modo; non mihi regna
Lydia, non magni potior sit fama Gylippi;
Posse Meleteas nec mallem mittere chartas.
Quod tibi si versus noster totusve minusve
Vel bene sit notus, summo vel inerret in ore,
Nulla mihi statuent finem te fata canendi.
Quin etiam mea quum tumulus contexerit ossa;
Seu matura dies fato properat mihi mortem
Longa manet seu vita; tamen, mutata figura
Seu me finget equum rigidos percurrere campos
Doctum, seu tardi pecoris sim gloria taurus,
Sive ego per liquidum volucris vehar aëra pennis;

V. 197. *Tuum est*, subaudi *manus*. *Lydia*. In Lydia, minoris Asiae provincia, regnavit Croesus regum locupletissimus: in eadem fluvius est aurifer Pactolus, V. *Potior*, non sit magis optanda et praestantior mihi videatur, *Pass.* *Cylippi*. Petierant auxilium a Lacedaemoniis adversus Athenienses Syracusani. Ab illis mittitur Gylippus solus, sed in quo instar omnium auxiliorum erat. Is centum et triginta naves Atheniensium cepit et incendit, et Syracusanos ab obsidione liberavit, captis Atheniensium ducibus Demosthene et Nicia, V. *Meleteas*, Homericas, a Melete fluvio Smyrnam affluente, ad cujus ripas natum Homerum ajunt, *Pass.*

V. 201. *Quod tibi si*. Quod si tibi meum carmen, vel totum vel ex parte sit valde familiare, eoque plurimum sis usus, vel erret in primoribus labris errore memoriae, propterea quod leviter tantum ac perfunctorie legeris. *Nulla fata*, quaecumque mihi fata immineant, non imponent finem. *Matura dies*, praeceps, festinata hora accelerat.

V. 206. *Mutata figura*. Ineptam Pytagorae doctrinam de migratione animarum post mortem in alia corpora, attingit. *Finget equum*. Sive mihi equi formam tribuet vita altera et longa aetas, V. *Percurrere campos doctum*. Campos hic videtur Tibullus posuisse pro hippodromo, vel circo, ubi equi exerceri solebant. *Sim taurus*: fiam taurus tardi armenti decus.

Quandocumque hominem me longa refecerit aetas
Incepti, de te subtexam carmina chartis.

Quandocumque, quum tandem post varias figuras brutorum animalium assumtas, in humanam formam rediero, incepta de factis et laudibus tuis carmina absolvam, *Pass.*

CARMEN II.

De Sulpicia Calendas Martias, qui mos Matronarum erat, celebrante.

Sulpicia est tibi culta tuis, Mars magne, Calendis;
  Spectatum e caelo, si sapis, ipse veni.
Hoc Venus ignoscet; at tu, violente caveto.
  Ne tibi miranti turpiter arma cadant:
Illius ex oculis, quum vult exurere divos;
  Accendit geminas lampadas acer Amor.
Illam, quidquid agit, quoquo vestigia movit,
  Componit furtim subsequiturque decor,
Seu solvit crines, fusis decet esse capillis;
  Seu comsit, comtis est veneranda comis.

V. 1. *Sulpicia.* Fortasse patricia haec mulier filia fuerit Servii Sulpicii, Jurisconsulti, cujus ad Ciceronem exstant epistolae. Elegiam hanc, et quae sequuntur Tibulli non esse suspicantur nonnulli. Sed videris eruditissimum Virum Jo. Antonium Vulp. qui ad Tibullum pertinere multis argumentis egregie demonstrat. *Tibi culta*, se comsit; ut comta et ornata Martias Calendas tibi sacras celebraret: quo die matronis ac virginibus domi sedentibus munera mittebantur, ex *Vulp. Ignoscet*; adeo Veneri cara est Sulpicia, ut eam rivalem aequo animo passura esse videatur. *Id Violente*, quum utpote bellator, violentus sis. *Cadant*; dedecet enim virum bellatorem, si hastam, vel gladium e manu sibi effluere sinat, V.

V. 5 *Exurere*, inflammare, *Lampadas*, duas faces. *Vestigia componit*, exornat, concinnat, et comitatur venustas. *Furtim*, ital. *senza che altri se n' accorga.*

Urit, seu Tyria voluit procedere palla;
Urit, seu nivea candida veste venit.
Talis in aeterno felix Vertumnus Olympo
Mille habet ornatus, mille decenter habet.
Sola puellarum digna est, cui mollia caris
Vellera det succis bis madefacta Tyros,
Possideatque, metit quidquid bene olentibus arvis
Cultor odoratae dives Arabs segetis,
Et quascumque niger rubro de litore conchas
Proximus Eois colligit Indus equis:
Hanc vos, Pierides, festis cantate Calendis,
Et testudinea Phoebe superbe lyra.
Hoc solemne sacrum multos celebretur in annos;
Dignior est vestro nulla puella choro:

Urit; inflammat. *Tyria palla*, in publicum prodire matronali veste induta purpurei coloris, et pretiosissimi quidem cujusmodi fuit Tyria palla exterius indumentum matronarum, satis amplum, quo stolam et interiora omnia tegebant, V. *Candida*, nitens, venusta. *Venit*, procedit.

V. 13. *Felix*, cui omnia quae agenda suscipit ex sententia succedunt, ille felix appellatur. Talis erat Vertumnus qui omnes se in facies belle et commode vertere poterat, *Vulp. Ornatus*, cultus varios, qui varias ejus figuras deceant. *Id. Cari succis*, pretiosis, et nonnisi magno parabilibus, *Id. Bis madefacta*, ostro bis imbuta, et penitus saturata. *Id. Bene olentibus*, aromata scil. large illinc provenientia. *Id. Dives*, ob auri fodinas, *Id.*

V. 19. *Conchas*, gemmas. *Eois equis*, solis orientis equis, soli nascenti orientali oceano. *Cantate*, celebrate, laudate. *Dignior*. In Sulpicia laudanda optima operam vestram collocabitis, o Musae. Qui Sulpiciam poetissam volunt, ita hunc versum explicare possunt; Omnium puellarum dignissima est Sulpicia, quae Musis annumeretur, ex Vulp.

CARMEN III.

Sulpicia queritur, Cerinthum studio venationis longe abesse.

Parce meo juveni; seu quis bona pascua campi,
  Seu colis umbrosi devia montis, aper.
Nec tibi sit duros acuisse in proelia dentes;
  Incolumem custos huc mihi servet Amor.
Sed procul abducit venandi Delia cura.
  O pereant silvae, deficiantque canes!
Quis furor est, quae mens densos indagine colles
  Claudentem, teneras laedere velle manus!
Quidve juvat furtim latebras intrare ferarum?
  Candidaque hamatis crura notare rubis?
Sed tamen, ut tecum liceat, Cerinthe, vagari,
  Ipsa ego per montes retia torta feram;
Ipsa ego velocis quaeram vestigia cervae,
  Et demam celeri ferrea vincla cani.
At tu venandi studium concede parenti,
  Et celer in patrios ipse recurre lares.

V. 1. *Bona pascua.* Unde et apri boni; frugum enim, et praecipue farris esu pinguescunt. Iligna etiam glande pastos laudabant antiqui, ex *Vulp. Devia montis*, umbrosos et inv os montes. *Ne tibi sit*, subaudi *potestas*, *facultas*, *animus* acuendi dentes ad pugnam: ital. *non ti venga voglia etc. Venandi cura*, studio, amore venandi. *Delia*, Diana venationis Dea.

V. 8. *Laedere*, duris retibus tractandis, et silvae circumponendis manuum teneritudinem laedere. *Indago*, apud poetes est retium cassiumque series, qua toti saltus circumdantur, V. *Hamatis rubis*, aduncis spinis. *Notare*, cruentare.

V. 11. *Ut tecum*, dummodo mihi concedatur. *Torta*, quae scil. sunt ex lino intorto, seu cannabe, V. *Vincla*, copulam, qua canes venatici jungi ac retineri solent, *Id.*

CARMEN IV.

Ad Phoebum, ut Sulpiciam aegrotantem saluti restituat.

Huc ades, et tenerae morbos expelle puellae?
Huc ades, intonsa Phoebe superbe coma.
Crede mihi, propera, nec te jam, Phoebe, pigebit
Formosae medicas adplicuisse manus.
Effice, ne macies pallentes occupet artus,
Neu notet informis candida membra color,
Et quodcumque mali est, et quidquid triste timemus
In pelagus rapidis devehat amnis aquis.
Sancte, veni, tecumque feras, quicumque sopores,
Quicumque et cantus corpora fessa levant;
Nec juvenem torque, metuit qui fata puellae,
Votaque pro domina vix numeranda facit;
Interdum vovet, interdum, quod langueat illa,
Dicit in aeternos aspera verba deos.
Phoebe fave laus magna tibi tribuetur, in uno
Corpore servato restituisse duos.

V. 2. *Intonsa.* Formosi adolescentes nutriebant comam quae sacra erat Apollini numquam senescenti, vel Aesculapio ejus filio; et ob id decus feroces erant; et magnos sibi spiritus sumebant. Et ephebis porro excedentes tondebantur, et cum coma puerilem superbiam deponebant. Horat. Od. 10. lib. 4. *Medicas manus.* Phoebus enim artis medicae magister habebatur. *Macies*, hanc *marasmum*, ve, *atrophiam* vocant medici. *Occupet*, invadat. *Notet*, deformet, inficiat.

V. 7. *Mali*, morbi. *In pelagus.* Expiationes et purgamenta omnia ad flumen, vel ad mare deferebant, *Brouk* *Sopores*, pharmaca, quae somnum concilient. *Cantus*, magici susurri carmine compositi, V. *Fessa*, morbo langnentia sublevant. *Facit*, nuncupat, suscipit.

V. 15. *Fave*, adsis. *In uno*, in reddenda uni puellae sanitate, duos a morte revocasse, Sulpiciam scil. et Cerinthum.

Jam celeber, jam laetus eris ; quum debita reddet
Certatim sanctis laetus uterque focis.
Tunc te felicem dicet pia turba Deorum,
Optabunt artes et sibi quisque tuas.

Celeber; frequentes enim tua templa celebrabunt, V. *Debita reddet*, persolvet vota, *Id. Certatim*, certabunt enim inter se, uter ipsorum religione antecellat, *Id. Pia*, benigna, et misericors *Idem*.

DOMITIVS MARSVS

In Tibulli Obitu.

Te quoque Virgilio comitem, non aequa, Tibulle,
Mors juvenem campos misit ad Elysios:
Ne foret, aut elegis molles qui fleret amores,
Aut caneret forti regia bella pede.

Domitius Marsus. Hujus quoque praeclari viri scripta omnia interierunt. Vixit temporibus Augusti, et Epigrammatum scriptor habitus est in primis nobilis atque excellens.

V. 4. *Aut caneret* bella quae inter reges fuere. *Forti pede*, scil. heroico.

PROPERTII VITA

SEXTVM AVRELIVM PROPERTIVM in Umbriae regione natum fuisse ex pluribus ipsius Poetae locis certo scimus: verisimillimum autem est ejus patriam HISPELLVM fuisse; nam ipsemet Lib. 4. Elegia I. v. 65. seq. ait patriam suam in valle Umbriae ita sitam fuisse, ut arces ejus scanderent de vallibus:

Scandentes si quis cernet de vallibus arces,
Ingenio muros aestimet ille meo.

Porro HISPELLVS *unice situm illum habet* in valle Spoletina, quem Propertius designavit: ejus *murus* (sicuti nosmetipsi testes sumus oculati) *acclivis* est, ex imo ad verticem consurgit verbum autem *scandendi*, quo Propertius utitur, est, pedetentim et per diversos gradus se se attollere: quod fit urbe ad clivum quendam reclinato situ posita. Adde quod Libro IV. Elegia I. v. 124. LACVS VM-

BER proximus dicitur patriae Propertii, qui lacus ex Kuinoelii sententia plane est CLITVMNVS Mevaniam inter et HISPELLVM. Tandem sepulcrum Propertii recentiore aetate, scilicet anno MDCCXXII. HISPELLI repertum non leve pondus addit nostrae sententiae, adeo ut Propertium in posterum *Hispellatem* habendum vix dubitari posse videatur.

De tempore natalium hujus Poetae facilis conjectura est, in annum V. C. DCCII. incidisse. Pompejo, et Scipione Metello Consulibus.

Poetae hujus pater videtur fuisse *Sex.* ille *Propertius*, cujus nomen delatum eo tempore quo P. Clodius tribunus plebis rempublicam seditionibus miscebat, civiumque locupletium bonis inhiabat, queritur Cicero in Orationem pro Domo sua.

Ope ingenii, et scribendi carminis facultate, Maecenatis patrocinium et amicitiam consecutus est; cujus hortis in Esquilina regione positis proxime habitavit.

Gallo cuidam, viro nobili, nec non

Tullo consularis familiae gratissimus fuit Propertius. Ovidium, Ponticum, Bassum poetas, aequales suos, familiariter dilexit. Callimachum et Philetam e Graecis imitandos sibi proposuit. Hellades certe omnes depopulatus, transmarino sale scripta sua condivit, veterum fabularum studiosissimus. Magno spiritu et heroicis aptissimo praeditus fuit; cujus rei fidem faciunt ea quae de antiquitatibus Urbis Romae, de Augusti victoriis et de Cornelia matrona Paulli censoris uxore, magnifico verborum apparatu, et numeris Elegiae modum excedentibus erudite cecinit. Nonnulli, ut testatur Quintilianus, Propertium Tibullo in Elegia praeposuere. Passienus quoque Paullus, gentilis ejus, in carmine scribendo, si Plinium Caecilium audimus, ab ipsius vestigiis ne latus quidem unguem discessit. Fortasse ultimam senectutem exegit in studiis illis, quibus se operam daturum aetate ingravescente, olim significaverat. Haec de Propertio vel historica fide, vel probabilibus conjecturis afferri possunt.

[illegible]

SEXTI AVRELII

PROPERTII

EX LIBRO I.

ELEGIA I.

Cynthiam, quae luxu vestium et margaritarum delectaretur, a nimio formae cultu pluribus exemplis dehortatur.

Quid juvat ornato procedere, vita, capillo?
  Et tenues Coa veste movere sinus?
Aut quid Orontea crines perfundere myrrha?
  Teque peregrinis vendere muneribus?
Naturaeque decus mercato perdere cultu,
  Nec sinere in propriis membra nitere bonis?
Adspice quos submittat humus formosa colores,
  Ut veniant hederae sponte sua melius;

V. 1. *Ornato*, pexo, composito calamistris inusto, V. *Procedere*, in publicum prodire: sed verbo *procedere* gressus delicatus, et arte com positus exprimitur. *Vita*, mea lux blandiendi modus. *Tenues sinus.* Intellige sinus vestium tenuissimarum, quales erant bombicinae et pellucidae ex Insula Coa, V. *Sinus*, ital. *pieghe. Movere*, eleganter pingit sinuum in ambulando vibrationem. *Orontea mirrha*, h. e. stacte, quae alibi quidem nascebatur, sed in magna copia advehebatur a mercatoribus Antiochiam Syriae (totius Orientalium rerum celeberrimum emporium) quam fluvius *Orontes* alluit, *Scaliger. Vendere*, teque totam tradere mercibus externis comportatis.

V. 5. *Mercato cultu*, cultu quem emeris, mercata fueris, ital. *abbigliamento. Perdere*, corrumpere naturae donum. *Id propriis bonis*, nativis dotibus splendescere.

V. 7. *Submittat*, quos preferat, producat flores renidens tellus. *Ut veniant*, quomodo melius, felicius subnascatur hedera nullo serente, aut colente; per se ipsa proveniat.

Surgat et in solis formosior arbutus antris,
    Et sciat indociles currere lympha vias:
Litora nativos per se dent picta lapillos,
    Et volucres nulla dulcius arce canant.
Non sic Leucippis succendit Castora Phoebe,
    Pollucem cultu non Hilaira soror.
Non Idae, et cupido quondam discordia Phoebo
    Eveni patriis filia litoribus.
Nec Phrygium falso traxit candore maritum
    Avecta externi Hippodamia rotis:
Sed facies aderat nullis obnoxia gemmis,
    Qualis Apelleis est color in tabulis.

In solis, desertis, et humano cultu carentibus, *P. Arbutus*, Ital. *corbezzolo*. *Indociles vias*, quas currere instituit nullo docente.

V. 11. *Litora per se picta*, quomodo litora, natura ipsa vicem pictoris fungente, exhibeant nativos lapillos. *Non sic*, scil. mercato cultu. *Leucippis*, Leucippi nimirum filiae Phoebe, et Hilaira. Desponderat Leucippus Phoeben atque Hilairam filias sua forma praestantes Lynceo et Idae Apharei filiis Castor et Pollux eas rapuere: sponsi raptas repetivere. Sed quum deorum fortitudini pares esse non possent, instituto singulari certamine, victi et occisi sunt, V. *Succendit*, inflammavit. *Cultu non*, non inflammavit cultu scil. mercato. *Non Idae*. Marpesam Eveni filiam Apollo amavit. Eam Idas, Apharei filius, Lyncei frater, rapuit, accepto a Neptuno volucri curru. Evenus insecutus raptorem usque ad amnem Lycormam, quum assequi nequivisset, prae ira equos jugulavit, seque in fluvium praecipitem dedit; qui ejus postea nomine dictus Evenus. Tunc Apollo Idae occurrit, ortaque inter eos contentione, Jupiter virgini potestatem fecit deligendi utrum mallet. Puellam vero Idam Phaebo praetulit, V. *Cupido*, amanti. *Discordia*, discordiae caussa. *Litoribus*, ripis Eveni fluminis. *Filia*, Marpesa.

V. 17. *Phrigium maritum*, Pelopem Tantali filium. *Falso candore*, cerussa quaesito, vel gypso, vel aliis medicamentis, V. *Traxit*, scil. in sui amorem illexit. *Hippodamia*. Oenomai regis Elidis, et Pisarum filia formosissima, curru Pelopis, hominis barbari ac Phrygis, longe avecta, *Pass. Aderat*, facies non erat obnoxia gemmis; gemmarum adjumento non indigebat; nihil gemmis debebat, sibi tantum et pulcritudini suae confixa, ex *Vulp. Qualis color*. Apelles Heroidas et quidem pulcherrimas pinxit, nihil fuco, nihil adscititiis ornamentis debentes, ex *eod.*

Non illis studium vulgo conquirere amantes;
Illis ampla satis forma; pudicitia,
Non ego nunc vereor, ne sis mihi vilior istis,
Uni si qua placet, culta puella sat est.
Quum tibi praesertim Phoebus sua carmina donet.
Aoniamque libens Calliopea lyram:
Unica nec desit jucundis gratia verbis,
Omnia quaeque Venus, quaeque Minerva probat.
His tu semper eris nostrae gratissima vitae,
Taedia dum miserae sint tibi luxuriae.

V. 21. *Studium*, cura erat. *Vulgo*, passim sine delectu copiam sibi amatorum, *far incetta d' amanti* V. *Ampla*: magnifica, illustris, late splendens pulcritudo erat illis pudicitia, *Non vereor*. Amovet a se suspicionem contemtus: ne forte Cynthia existimaret, se cum illi veteribus comparatam amatori sordere, *Id*. Non vereor, ne putes te esse apud me istis viliorem. *Culta*, satis ornata. *Quum tibi*. Poeticae facultatis studio insignem fuisse Cyntiam significant, V. *Libens*, hilaris, et ex animo. *Lyram*, Lyram, poeseos facultatem, *Idem*.

V. 27. *Unica gratia*, singularis in dicendo lepos et venustas. *Omnia quaeque* et sunt in verbis tuis omnia quae Veneri placent, et quae Minervae; venustas scil. et sapientia in iis collucent. *Vitae*, vel animo meo, vel mihi viventi, quoad vixero hisce virtutibus eris carissima. *Taedia dum* dummodo tibi odio sit, stomachum tibi faciat luxus, qui infelices reddit, malorum ac miseriarum caussa.

ELEGIA II.

Cynthiae perfidiam criminatur, quae, quamvis Propertius in magnum vitae periculum fuisset adductus, tamen ornatus non deposuit, nec de eo minimum laboravit. Quodnam vero periculum subierit Poeta, nefas est divinare.

Saepe ego multa tuae levitatis dura timebam
Hac tamen excepta: Cyntia, perfidia.

V. 1. *Multa tuae levitatis dura*, multas acerbitates tuae incon-

Adspice me quanto rapiat Fortuna periclo;
Tu tamen in nostro lenta timore venis.
Et potes hesternos manibus componere crines,
Et longa faciem quaerere desidia;
Nec minus Eois pectus radiare lapillis,
Ut formosa novo quae parat ire viro.
At non sic Ithaci digressu mota Calypso
Desertis olim fleverat aequoribus.
Multos illa dies incomtis moesta capillis
Sederat, injusto multa locuta salo.
Et, quamvis numquam posthac visura, dolebat,
Illa tamen longae conscia laetitiae.
Alphesiboea suos ulta est pro conjuge fratres
Sanguinis et cari vincula rupit amor,

stantiae. *Quanto periculo* quantum in discrimen vitae me vocet Fortuna; vel quanto vitae periculo exagitet me Fortuna, vel tertio casu, vel sexto dictum puta. *Lenta*, nihil commoveris: audis otiosa et secura. *Venire* Propertius non semel usurpat pro *esse*, V.

V. 5. *Hesternos*, quos hesterno die comseras et ornaveras. *Id.* *Manibus*, arte ornatricis et cura. *Id.* *Componere*, Probro dabatur nuptia mulieribus viro absente ac periclitante, capillum comere. *Id.* *Faciem quaerere*, formam tibi conciliare et parare velle longa inertique mora, *Id.* *Nec minus*, atque etiam. *Eois lapillis*, gemmis ex ultimo oriente petitis. *Radiare*; scil exornare. Vid. Brouk *Formosa*, ut nova nupta quae parat ire formosa novo marito; ut ipsi placeat.

V. 9. *Ithaci.* Ulyxis Ithacensis discessu perturbata. Calypso Atlantis filia Ulyxem detinebat, ejus amore capta, in Insula Ogygia, *Pass.* *Desertis*, vel deserto in litore, vel fleverat: *aequoribus*, tertio casu apud mare fleverat, et conquesta erat, *V.* Litore deserto, scil. sine navibus. *Sederat*, Sedere solebant lugentes passis inornatisque comis. *Injusto*, multis verbis de mari saevo conquesta. *Pass.*

V. 13. *Numquam* licet perpetuo caritura esset ejus conspectu, dolebat, praeteritae laetitiae recordatione, *Id.* *Alphesiboea.* Alphesiboeam duxit uxorem, donatu monili: mox Alcmaeon ipsam relinquens duxit Callirhoen. Quum autem hic ad Alphesiboeam rediisset recepturus monile, ab Alphesiboeae fratribus occisus est, quod facinus aegerrime ferens Alphesiboea, fratres suos obtruncavit, ut inquit Propertius. *Vincula*, arctissimam illam necessitudinem, qua soror fratribus devincta est. V.

Nec sic Aesoniden rapientibus anxia ventis
Hypsipyle vacuo constitit in thalamo;
Hypsipyle nullos post illos sensit amores,
Ut semel Nemonio tabuit hospitio.
Conjugis Hevadne miseros elata per ignes
Occidit Argivae fama pudicitiae.
Quarum nulla tuos potuit convertere mores,
Tu quoque uti fieres nobilis historia.
Desine jam revocare tuis perjuria verbis,
Cynthia, et oblitos parce monere Deos.
Audax ah! nimium, nostro dolitura periclo,
Si quid forte tibi durius inciderit,
Muta prius vasto labantur flumina ponto,
Annus et inversas duxerit ante vices:

V. 17. *Aesoniden*, Jasonem Aesonis filium, *Id. Rapientibus*, alio citissime auferentibus *Id. Hypsipyle.* Una ex feminis Lemniis, patrem servavit; quum reliquae omnes viros et parentes occidissent, quumque esset Regina insulae Lemni, Jasonem ad vellus aureum adsportandum properantem hospitio excepit, ex quo duos filios habuit. *Sensit*, experta est nullam aliam amoris flammam. *Tabuit*, ital. *si strusse*, amore consumta est hospitis Aemonii, sive Thessali scil. Jasonis.

V. 21. *Evadne.* Haec uxor Capsnei, est filia Martis ex Thebe Asopi filia, se in ardentem mariti rogum conjecit. Capaneum Juppiter fulmine percusserat, dum homo audax muros Thebarum scalis conaretur adscendere. *V. Miseros ignes* ignes enim regales et per se sunt miseri, et in Evadne imprimis commiserationi apti. *Elata*, exstincta. Nam elata proprie non est, quae ipsa se se conjecit in rogum, *Id Fama*, ob insignem pudicitiam, decus et gloria Graecarum mulierum, *Pass. Convertere*, in melius mutare tuum ingenium, ut fama pudicitiae tuae literis sermonibusque hominum celebraretur, *V. Revocare*, iterare et renovare, *Id. Monere*, in deorum memoriam reducere, qui jam obliti eorumdem videntur. *Parce*, ital.*rimanti*, *lascia stare.*

V. 27. *Nostro periclo*, perfidiae poenam sensura, sed mei capitis discrimine, cujus salus cum salute tua conjuncta est. *Pass. Durius*, siquid adversi tibi acciderit.

V. 29. *Muta.* Illud ante continget, ut flumina sine ullo strepitu in mare devolvantur, quod eorum naturae contrarium est, *V. Duxerit*, annus aget temporum vicissitudinem ordine praepostero; ordi-

Quam tua sub nostro mutetur pectore cura;
Sis quodcumque voles, non aliena tamen:
Quamve mihi viles isti videantur ocelli,
Per quos saepe mihi credita perfidia est:
Hos tu jurabas, si quid mentita fuisses,
Ut tibi suppositis exciderent manibus.
Et contra magnum potes hos attollere solem?
Nec tremis admissae conscia nequitiae?
Quis te cogebat multos pallere colores,
Et fletum invitis ducere luminibus?
Queis ego nunc pereo, similes moniturus amantes
O nullis tutum credere blanditiis?

nem invertet. *Tua cura*, amor tui in meo pectore mutetur, alio transferatur. *Quodcumque*, et rigidis moribus et dissolutis, non tamen aversa, nec iniqua mihi, *Pass.*

V. 33. *Quamve*, aut quam viles, minimi pretii mihi videantur isti tui oculi, per quos saepe tuis mendaciis fidem habui. *Hos tu*, per hos, si qua in re fefellisses, et pejerasses, jurabas, ut tibi ex fronte in subjectas manus deciderent, defluerent. *Et potes*, audes et sustines rectis oculis solem adversum tuae testem perfidiae, intueri? Nec perhorrescis illum justitiae oculum, violatae fidei conscia?

V. 39. *Pallere*, colorem faciei saepe mutare. Etenim pallor non unius coloris est, *V. Ducere*, lacrymas ex oculis, iis invitis, exprimere, elicere. *Queis*, quibus illecebris et verbis et exemplo incautus amantes, qui nimiam credulitatem meam imitantur, *Pass. Nullis blanditiis*, scil. neque jurejurando muliebri, neque pallori simulato, neque falsis lacrymulis, *Id.*

ELEGIA III.

Gallum sodalem suum, proposito exemplo Herculis et Hylae, admonet, ut Hylam puerum ab ipso adamatum, caute ac diligenter custodiat.

Hoc pro continuo te, Galle, monemus amare,
Id tibi ne vacuo defluat ex animo:
Saepe imprudenti fortuna occurrit amanti;
Crudelis Minyis dixerit Ascanius.
Est tibi non infra speciem, non nomine dispar,
Thiodamanteo proximus ardor Hylae,
Huic tu, sive leges umbrosae flumina silvae,
Sive Aniena tuos tinxerit unda pedes,
Sive Gigantea spatiabere litoris ora,
Sive ubicumque vago fluminis hospitio;

V. 1. *Hoc*, nempe hoc quod sequitur vs 3. praeceptum, memoria non excidat. Translatio a vasis, quae quum liquor effluxit vacua fiunt. *Pro continuo amore*, pro nostra numquam intermissa necessitudine. *Imprudenti*, incauto. *Occurrit*, intervenit adversa aliqua fortuna, ital. *fassi incontro*. Fortuna quae sequitur, secunda est; quae occurrit adversa. *Crudelis*, Argonautis funestus, infestus Ascanius. Bithyniae lacus vel flumen, ad cujus ripas raptum Hylan fuisse scribit Hyginus Fab. 14. *Dixerit*, dicet, dicat, testis fuerit.

V. 5. *Non infra*, forma non inferior, nomine non diversus, similis Hylae Thiodamantis filio ex Menodice Nympha. *Proximus ardor*, amor proxime accedens ad Hylan: amabilis puer vix concedens Hylae. *Leges*, praetervehens oram fluminis, prope flumen iter carpens. *Tinxerit*, leviter alluerit, ut quum pede tentatur flumen, *Pass.*

V. 9. *Spatiabere*, inambulabis voluptatis aut valetudinis caussa, maritima regione juxta Cumas. Ibi enim Phlegraeus campus, et ibi Gigantes habitasse dicuntur, et cum Diis pugnasse, a quibus victi Herculis auxilio, *Pass.* ital. *Passeggierai*. *Vago hospitio*, sive excipieris instabili hospitio fluminis. *Defende* arce, prohibe. Horat.

Nympharum semper cupidas defende rapinas,
Non minor Ausoniis est amor ah! Dryasin.
Ne tibi sit duros montes, et frigida saxa.
Galle, neque expertos semper adire lacus:
Quae miser ignotis error perpessus in oris
Herculis, indomito fleverat Ascanio!
Namque ferunt olim Pagasae navalibus Argo
Egressam longe Phasidos isse viam.
Et jam praeteritis labentem Athamantidos undis
Mysorum scopulis adplicuisse ratem.
Hic manus heroum placitis ut constitit oris,
Mollia composita litora fronte tegit.
At comes invicti juvenis processerat ultra
Raram sepositi quaerere fontis aquam;

Ode 17. lib. 1. *Defendit aestatem capellis.* Porro *semper cupidas rapinas*, dictum est pro *semper cupidarum Nympharum*; *Cupidus* vero pro amante. *V. Non minor*, subaudi, quam fuerit in Bithynicis Nymphis, a quibus alter Hylas raptus est, *Id.*

V. 13. *Ne tibi sit*, ne tibi voluntas sit, ne velis adire asperos saxis et frigidos montes, ubi degunt Oreades, neque lacus, quos semper periculosos et insidiis plenos experti sunt amantes. *Quae*, scil. infortunia. *Miser error Herculis*, miser Hercules errans, conquestus erat apud crudelem Ascanium.

V. 17. *Pagasae*, Pagasa oppidum Thessaliae, ubi Argo navis vehens Argonautas exstructa est. *Longe viam*, longam viam ad Phasin usque navigasse. Credebant antiquissimi, ut notat Brouk. Colchos et pontum Euxinum, terrarum omnium et marium terminos esse ad Orientem. *Athamantidos* Athamantis est Helle filia Athamantis Thebarum Regis, quae demersa undis dedit nomen Hellesponto. *Mysorum.* Mysia, regio in Asia, Bithyniae ac Phrygiae contermina.

V. 21. *Manus heroum.* Argonautarum, in quibus heroes Jason, Hercules, aliique. *Placitis oris*, tranquillo portu, pacatis regionibus, tacito litore conquievit, consedit *Pass. Mollia*, vel gramine tenero vestita; vel mollia futura substratis frondibus, vel est hypallage, pro molli fronde, *Id. Composita*, dispositis frondibus, frondosis ramis. *Comes.* Hylas Herculis minister et armiger. *Raram*: an quia siticulosa et arida Mysia et Bithynia? an *raram*, ob ejus bonitatem? *P. Sepositi*, in secessu abditi, *Id.*

Hunc duo sectati fratres, Aquilonia proles,
Hunc super et Zethes, hunc super et Calais,
Oscula suspensis instabant carcere palmi,
Oscula et alterna ferre supina fuga.
Ille sub extremo pendens secluditur ala,
Et volucres ramo submovet insidias.
Jam Pandioniae cessat genus Orithyiae:
Ah! dolor ibat Hylas, ibat Hamadryasin.
Hic erat Arganthi Pege sub vertice montis
Grata domus Nymphis humida Thyniasin.

V. 25. *Aquilonia proles*, Zethes et Calais Boreae, sive Aquilonis liberi secuti sunt Hylam cum Argonautis ad vellus aureum. *Hunc super*, huic, scil. Hylae, uterque supervolando conabatur, manibus libratis; seque in aere sustinentibus, carpere oscula; et modo hoc, modo illo fugiente, dare illi oscula superne inversa. *Supina*, superne inversa, quia caelum aspiciens Hylas supino erat vultu, et ipsi fratres e caelo venientes supino erant ore, P.

V. 29. *Ille perdens*, Hylas in altum elatus, in aere suspensus, osculum detrectans, caput abdit inter alam et cubitum attollentis, sub alae extremitate, et frondeo ramo oculos et labra procacis impedit, ex *Vulp*. *Volucres insidias*, insidias alatorum juvenum sibi factas arcet. *Cessat*, jam desinunt Hylam sectari Zethes et Calais, filii Orithyae nepotis Pandionis. *Ah! dolor*, nihil aliud est, quam exclamatio. Respicitur nempe ad casum Hylae, qui jam jam a Nymphis rapiendus, et in fonte submergendus erat, *V. Hamadryasin*; ad Hamadryadas ibat, ut ab iis raperetur.

V. 33. *Arganthi*, Arganthus, sive Argantonius, ad cujus radices, vel paullo infra verticem raptus fuit Hylas. *Pege*, fons, greca vox. *Vertice*, in radicibus ipsis, *Pass*. Paullo infra verticem; ibi enim solent fontes erumpere: neque huic explicationi adversatur, quod infra fit prati mentio. Nam et in editis montibus identidem modicae planities occurrunt, quae prata vocari possunt, *V. Grata Domus*, ubi Nymphae Bithyniae libenter habitabant. Fontes flumina sunt domus humida Najadum. *Thyniades Nymphae*, pro Bithyniae; nam ea regio Thynia dicta a Thyno Arganthones Nymphae filio, ut Arrianus scribit, quamvis Plinius Thyniam a Bythinia separet, *Pass*.

Quam supra nullae pendebant debita curae
  Roscida desertis poma sub arboribus,
Et circumriguo surgebant lilia prato
  Candida purpureis mixta papaveribus:
Quae modo decerpens tenero pueriliter ungui,
  Proposito florem praetulit officio,
Et modo formosis incumbens nescius undis
  Errorem blandis tardat imaginibus.
Tandem haurire parat demissis flumina palmis,
  Innixus dextro plena trahens humero.
Cujus at accensae, Drydaes candore puellae,
  Miratae solitos destituere choros:
Prolapsum leviter facili traxere liquore:
  Tum sonitum rapto corpore fecit Hylas.

Quam supra, supra quam pendebant velut rore educata, fragrantia, recentia poma, quae nihil debebant curae seu cultui agricolarum, utpote sponte nata. *Nullae*, vox obsoleta, pro *nulli*.

V. 37. *Circumriguo*; in prato undequaque irrigato crescebant lilia. *Quae*, lilia scil. et papavera tenera manu legens, Hylas, ut pueri solent: curam legendi floris suscepto numero hauriendae aquae anteposuit.

V. 41. *Incumbens*, pronus in undas, suam sibi imaginem referentes intuens, ignarus periculi, errorum suum longiorem reddit, blanda et arridentia sibi simulacra in fonte spectando, ex *Pass*. Blandam sibique arridentem imaginem suam admiratus in suo errore detinetur, cunctatur, *lungamente s' intrattiene nel suo inganno*. *Tandem*, demum post longam moram demissis in fontem manibus, aggreditur haurire aquam. *Innixus*, adducto brachio conatus extrahere plenam urnam. P.

V. 45. *Cujus*, cujus humeri pulchritudinem admiratae Nymphae Najades eum admiratione spectantes, cupiditate accensae, ital. *invaghitesi*: consuetas reliquere choreas, Hylam in fontem praecipitem actum, quum prolapsus esset, ad se leviter traxere. *Facili liquore* pro facilius cedente. *Rapto*, tum Hylas se raptum sentiens a Nymphis, edidit clamorem.

Cui procul Alcides iterat responsa: sed illi
Nomen ab extremis fontibus aura refert.
His, o Galle, tuos monitis servabis Amores,
Formosum Nymphis credere tutus Hylan.

V. 49. *Iterat.* Ad hunc sonum saepius proclamarit Hercules nomen *Hylae*. *Aura*, i. e. Echo, aeris filia. *His monitis*, his exemplis admonitus, a Nympharum rapinis defendes delicias tuas. *Tutus*, quum nihil omnino sollicitus sis, nihil verearis Nymphis Hylan committere.

ELEGIA IV.

Galli Bello Perusino interfecti ad viatorem Prosopopoeja.

Tu qui consortem properas evadere casum,
Miles ab Etruscis saucius aggeribus:
Quid nostro gemitu turgentia lumina torques?
Pars ego sum vestrae proxima militiae.
Sic te servato possint gaudere parentes,
Haec soror Acca tuis sentiat e lacrymis,

V. 1. *Consortem*, o miles, qui graviter vulneratus a Tuscis munitionibus, quibus Augustus Perusiam circumvallavit properas effugere cladem mihi tecum communem. Bellum Perusinum significat, quo Augustus L. Antonium Triumvirum Perusiae obsedit, et fame ad deditionem compulit. Perusia porro inter principes Etruriae civitates numeratur. Nam Etruriae fines, ait Servius, erant usque ad ripam Tiberis. Videtur et hic Gallus, et miles quem alloquitur ab Antonianis partibus stetisse. *Nostro*, quid huc illuc volvis oculos fletu tumentes prae dolore ob nostram mortem suscepto? *Pars*, unus eram nuper militum et ducum numero P. *Proxima* pro proxime; nomen pro adverbio. *P.* Vide Eleg. V hujus libri v.

V. 5. *Servato*, ita parentes tui insperata salutis tuae laetitia perfundantur, P. *Haec soror*, rem ita gestam intelligat, quasi manu tangat, aut cernat oculis: lacrymae enim fidem faciunt, *Id.* Acca fortasse non Galli soror fuerit, sed certi cujusdam militis, quem alloquens Gallus inducitur. *Gallum.* Plures eodem tempore Galli fue-

Gallum per medios ereptum Caesaris enses,
Effugere ignotas non potuisse manus,
Et quacumque super dispersa invenerit ossa
Montibus Etruscis, haec sciat esse mea.

runt. Gallus hic Propertii propinquus, bello Perusino a latronibus trucidatur, ut ex Elegia etiam proxime sequenti v. 7. apparet. *Ereptum*, servatum ex mediis armis Augusti, P. *Ignotas*, evadere non potuisse ignotorum latronum manus, qui in Etruscis montibus vagabantur.

V. 9. *Quaecumque*, Acca soror sciat hic me jacere, et quaecumque super Tuscis montibus ossa dispersa invenerit, mea intelligat esse, ac sepeliat, P. *Montibus*, Apennini juga videtur significare, nam iis munita Etruria, *Id*.

ELEGIA V.

Ad Tullum de patria sua.

Qualis, et unde genus qui sint mihi, Tulle, penates,
Queris pro nostra semper amicitia
Si Persusina tibi patriae sunt nota sepultae
Italiae duris funera temporibus.
Quum Romana suos egit discordia cives:
(Sis mihi praecipue pulvis Etrusca dolor,

V. 1. *Qualis*; quis ego sim, unde ortus; quo sim patre, qua patria, qua domo, familia scire cupis pro nostra numquam interrupta amicitia, ut perpetua nostra amicitia postulat. *Si Perusina*, si tibi notae sunt funestae clades Perusiae, ubi patria sepulta asperis, calamitosis Italiae temporibus; si nosti Perusinum bellum, quo patria funestis cladibus affecta, et exstincta est difficilibus Italiae temporibus. *Patriae funera*, Romam fortasse significat, patriam Tulli. Plurimi enim Romani cives (et idcirco patriae Tulli magna pars) Perusino bello interfecti fuerant, *V*.

V. 5. *Egit*, quum civilis Romae seditio cives in propriam perniciem incitavit; mihi praesertim esse debes caussa doloris o Etrusca

Tu projecta mei perpessa es membra propinqui,
  Tu nullo miseri contegis ossa solo)
Proxima supposito contingens Umbria campo
  Me genuit, terris fertilis uberibus.

terra: exquisita apostrophe ab Etruria. *Projecta*, tu scivisti jacere dispersos et insepultos artus Galli, *V. Nullo*, ne exigua quidem humo, vel pulveris particula operis P. *Miseri*, mortui acerba morte, occisi a latronibus, deinde projecti sine sepulcri honore, *Id.*

V. 9. *Proxima*; pro proxime greco more. *Contingens* ea pars Umbriae quae contigua est, pertingit. *Supposito*; id est humili. Vide Propertii vitam. *Terris uberibus*, pinguibus, fecundis.

SEXTI AVRELII
PROPERTII

EX LIBRO II.

ELEGIA I.

Ad Maecenatem: se levia tantum argumenta et nugacia Elegis persequi posse. Heroico autem carmini scribendo minime parem esse.

Quaeritis unde mihi toties scribantur amores?
  Unde meus veniat mollis in ora liber?
Non haec Calliope, non haec mihi dictat Apollo:
  Ingenium nobis ipsa puella fecit.
Sive illam Cois fulgentem incedere vidi
  Hoc totum e Coa veste volumen erit:
Seu vidi ad frontem sparsos errare capillos,
  Gaudet laudatis ire superna comis:
Sive lyrae carmen digitis percussit eburnis,
  Miramur, faciles ut premat arte manus:

V. 1. *Quaeritis*, scire vultis qua de caussa toties a me canantur, componantur amatorii versus? qua de caussa toties liber meus libenter legatur, canatur ab omnibus, in omnium ore et manibus sit? *Facit*: sola Cynthia ingeniosum me reddit mihi varia suggerit argumenta scribendi, *Id.*

V. 5. *Sive illam Cois*; sive illam conspexi per vias ingredi Coa veste, purpurea scil. fulgentem, totus, integer liber a me scribetur, implebitur laudibus Coae purpureae vestis. *Ad frontem* passos illi circa frontem crines vagari. *Gaudet*; gestit conspici, magnifice incedit, superbiens ob comas meo carmine celebratas, *P.*

V. 9. *Carmen percussit*, sive lyrae chordas eburneis digitis tangens carmen cecinit, obstupescimus, quomodo arte, industria habiles, vel peritas manus inflectat, adhibeat. *Premere manus*, Asconio Pediano in 1. Verin. est *chordas carpere*. *Seu quidquid*, si quid

Seu quidquid fecit, sive est quodcumque locuta,
  Maxima de nihilo nascitur historia.
Quod mihi si tantum, Maecenas, fata dedissent,
  Ut possem heroas ducere in arma manus:
Non ego Titanas canere, non Ossan Olympo
  Impositum, ut caelo Pelion esset iter:
Non veteres Thebas, nec Pergama nomen Homeri,
  Xerxis et imperio bina coisse vada:
Regnaque prima Remi, aut animos Carthaginis altae,
  Cimbrorumque minas, et benefacta Mari

fecit, vel dixit. *Quidquid*, est quid, aliquid. *Et quodcumque*, post quidquid, P. *De nihilo*, ex re aut verbo minimo satis longa texitur historia, narratio: satis ampla scribendi materia mihi suppeditatur.

V. 13. *Quod mihi sis*, quod si tantum ingenii mihi tribuissent Apollo et Parcae, *P. Heroas manus*, copias heroum ad bellum deducere versibus meis, *Id.* Heroum res gestas in armis canere, describere. *Titanas*, non scriberem Titanum cum Diis bellum, neque Ossam superpositum Olympo, ut Pelion esset iter ad caelum: per quod in caelum conscendi posset.

V. 17. *Non veteres*, non canerem bellum Thebarum. *Veteres*, aut re vera *antiquas*, et a Cadmo olim conditas in Boeotia; aut *veteres*, scil. nobiles, *P.* De Bello Thebano vide Statium. *Pergama*, non bellum Trojanum canerem, unde Homero fama ingenii quaesita est, P. *Xersis*, nec duo litora, Asiaticum scil. et Europeum, quae Xersis, Regis Persarum jussu, per pontem conjuncta fuerunt. Nam inter Abydon Asiae, et Seston Europae oppidum pontem construxit Xerses, atque ita duo litora Hellesponti, spatio septem stadiorum dissita, conjunxit. Vide Cornel. Nep. in Themistocle, Plutarchum etc. *Remi*, originem scil. urbis Romae, Romulus et Remus pariter initio regnaverunt. P. *Animus*, ingentes spiritus Carthaginiensium, id est bella Punica, *Id. Cimbrorumque*, Cimbri Germaniae populi nulla humanitate. Cum his bellum gessit L. Marius, deque iis triumphavit. *Benefacta*, res a C. Mario praeclare gestas, beneficia in patriam collata.

Bellaque, resque tui memorarem Caesari; et tu
Caesare sub magno cura secunda fores.
Nam quoties Mutinam, aut civilia busta Philippos,
Aut canerem Siculae classica bella fugae;
Eversosque focos antiquae gentis Etruscae,
Et Ptolemaeae litora capta Phari;
Aut canere Aegyptum, et Nilum quum tractus in urbem
Septem captivis debilis ibat aquis;
Aut regum auratis circumdata colla catenis;

V. 21. *Tui*, quem unice diligis et earum habes. Fuit enim summus Augusti amicus Maecenas, V. *Secunda*; proxima mihi cura esset res tuas canendi, postquam satis cecinissem praeclare Augusti facinora, *P.* Sub imperio Caesaris tu esses mea prima cura post eum. *Mutinam*, bellum Mutinense, quo D. Brutum, Mutinae obsessum ab Antonio Hirtius et Pansa Coss. libererunt. *Philippos*, bellum a Caesare contra Brutum et Cassium ad Philippos urbem Thessaliae gestum, quo plurimi cives occubuernnt. *Classica*, navale bellum, quo Sex. Pompejus ab Augusto devictus, cum sex tantum navibus, reliquis omnibus amissis aufugiens, Siciliam deseruit. Vide Sveton. in Augusto.

V. 25. *Eversosque foros*, et solo aequatas antiquae gentis Etruscae domos, Perusiam neque, quae in Etruscis urbibus numerabatur. *Phari*; et expugnata litora Phari insulae Aegyptiacae prope Alexandriam Bellum Alexandrinum significat Poeta, de quo Svetonius in Augusto. *Phari Ptolemaeae*. Dicitur Ptolemaea, id est Aegyptiaca a Ptolemaeis Aegypti regibus. *Aegyptum*, scil. devictam. Nam Augustus post Actiacam victoriam Aegypto universa potitus, eam in provinciae formam redegit. *Nilum, quum tractus*, coactus venire una cum captivis, in triumphum tractus fluebat. Ut enim oppidorum et regionum, sic et fluviorum simulacra portabantur in triumphum, fingebanturque (ut fracti et victi) lentius fluere, P. Res etiam sensu carentes captivae dicuntur.

V. 29. *Regum*, eorum scil. qui Antonio, Bruto, Sex. Pompejo et aliis hostibus Augusti faverent. *Auratis catenis* vincti reges, ad discrimen ceterorum, qui vincti *catenis ferreis*, P.

—

Actiaque in Sacra currere rostra via :
Te mea Musa illis semper contexeret armis ;
Et sumpta, et posita pace fidele caput.
Theseus inferni superis testatur Achilles,
Hic Ixioniden, ille Menoetiaden.
Sed neque Phlegraeos Jovis, Enceladique tumultus
Intonet angusto pectore Callimachus ;
Nec mea conveniunt duro praecordia versu
Caesaris in Phrygios condere nomen avos ,
Navita de ventis, de tauris narrat arator,
Enumerat miles vulnera, pastor oves,

Rostra , et rostra navium hostilium , in pugna ad Actium Epiri promontorium captarum , navalis victoriae insignia, quae per Sacram Viam in Capitolium triumphali curru imposita vehebantur triumphales in Capitolium. Tres autem ternis diebus Augusti triumphi. Primus de Dalmatis et Pannoniis ; alter de Actiaca pugna adversus Antonium et Cleopatram , postremus de subacta Aegypto. P. *Contexeret* , apte conjungeret , tibi locum daret in iis bellis , o Maecenas , Augusto *fidele caput* , *amico fedele* , in toga et sago ; tempore pacis et belli.

V. 33. *Theseus*. Fortasse haec verissima fuerit subobscuri hujus loci explicatio : Te , Maecenas, canerem fidelem Augusto, tali nempe fide , quali fuisse Pirithoum (Ixioniden) testatur Theseus apud inferos, et Patroclum (Menoetii filium) Achilles inter homines , in terra. *Phlegraeos*, sed nec Callimachus tenui spiritu , et exili , posset magna voce canere periculosum Jovis et Enceladi bellum , quod in campo Phlegraeo gestum est juxta Cumas , ubi fabulantur Poetae victos Gigantes a Diis. Phlegraeus campus est etiam in Thessalia de quo Poeta Eleg. 9. lib. 3.

V. 37. *Conveniunt*, nec mei pulmones apti sunt referendo nomen Caesaris in numerum Trojanorum avorum , in numerum heroum Assaraci , Aeneae , Julii , unde gens Julia , gravi , heroico carmine , ital. *con sostenuti versi. Navita*. De re quisque sua loquitur , nauta de tempestatibus , arator de bobus , miles recenset accepta vulnera , pastor oves.

Nos contra tenui meditamur carmina plectro,
Qua pote quisque in ea conterat arte diem.

Contra, ego vicissim. *Quo pote*, unusquisque in ea arte de qua potest, tempus impendat. Huc pertinet vetus adagium: *Ne sutor ultra crepidam.*

ELEGIA II.

A ludicris ad Caesaris victorias celebrandas, quamvis impar, paullisper divertere statuit.

Jam tempus lustrare aliis Helicona choreis,
Et campum Aemonio jam dare tempus equo,
Jam libet et fortes memorare ad proelia turmas,
Et Romana mei dicere castra ducis.
Quod si deficiant vires, audacia certa
Laus erit: in magnis et voluisse, sat est.

V. 1. *Jam tempus.* Nunc tempus est Heliconem, Boeotiae montem Musis dicatum, circuire aliis choreis, idest non mollibus et Ionicis saltationibus, ut hactenus, at virilibus et militaribus. Aliae enim choreae sunt Musarum et poetarum amores ludentium, aliae pugnas canentium. *Et campum*, et nunc tempus est equo Thessalico liberum cursum permittere; equum Thessalicum per apertum campum impellere ad cursum. *Campum*. Copiam significat, seu potestatem exercendi poetici ingenii, heroico et magnifico argumento proposito; cui opponuntur exilitas et angustiae, *Vulp.* Puto poetam dicere, fixum sibi esse, grave Epos condere, ad exemplum Iliados Homericae, in qua primas partes sustinet Achilles Thessalus, acerrimus bellator, et dominus equorum longe omnium praestantissimorum, *Brouk Fortes.* strenuos bello equites, strenuorum in bellis equitum manus celebrare. Turmae enim sunt equitum, cohortes peditum, ait Servius in 9. Aeneid. *Romana*, ad discrimen castrorum Antonii Aegyptiorum. *Mei*, dixit, partes Augusti se secutum significant, P. *Ducis*, Imperatoris. Principis; res a romanis militibus gestas sub meo Principe.

V. 5. *Audacia*, laus mihi ducetur audacem fuisse, V: *In magnis*, in rebus arduis ac difficilibus voluntas ipsa et conatus, satis est; magna laus est etiam voluisse eas aggredi.

Nunc volo subducto gravior procedere vultu:
Nunc aliam citharam me mea Musa docet.
Surge, anime, ex humili jam carmine. Sumite vires,
Pierides: magni nunc erit oris opus.
Jam negat Euphrates equitem post terga tueri
Parthorum, et Crassos se tenuisse dolet.
India, quin, Auguste, tuo dat colla triumpho;
Et domus intactae te tremit Arabiae.
Et, si qua extremis tellus se subtrahit oris,
Sentiet illa tuas postmodo capta manus.
Haec ego castra sequar: vates tua castra canendo
Magnus ero: servent hunc mihi fata diem.
Ut caput in magnis; ubi non est tangere, signis,
Ponitur hic imos ante corona pedes:

Subducto, contracta fronte, gravi supercilio severior incedere. *Aliam citharam*, ad alium citharae sonitum docet canere; citharam, gravioribus chordis instructam pulsat, majus graviusque carmen movet ac subjicit.

V. 9. *Surge*, nunc o anime mi altius te attolle ex humili stilo. *Sumite vires*, convalescite, ital. *di robusta lena vi provvedete*. *Negat*. Notio simplex; Parthi debellati sunt. Euphrates clarissimus Armeniae fluvius fatetur equitem Parthorum non amplius respicere a tergo, neque sagittas fugiendo torquere; et dolet detinuisse captivos et occidisse Marcum patrem, et Publium filium Crassos, nec saltem ossa remisisse in patriam, et signa reddidisse. V. Plutarch. in Crasso.

V. 13. *Dat colla*. Praeterea tibi victori cervices praebet India vinciendas. De gemina a Poro Indorum Rege ad Augustum legatione, vide Sveton. in August. P. et *Br*. *Domus*, sedes Arabum et regio ipsa, P. *Intacte*, armis Romanorum ad eam usque diem intentatae. *Te*, potentiam tuam, virtutemque militarem valde formidat. Est autem Eclipsis et subaudiendum *ob propter*. *Id Si qua*, et quaecumque regio latet in extremis orbis partibus, paullo post virtutem tuam experietur.

V. 17. *Sequar*; scil. aggrediar scribere heroicum poema de tuis rebus gestis, V. *Tua castra*, bellicas tuas laudes celebrando magnum mihi nomen comparabo non tam ingenii mei modulo, quam vi ipsius argumenti. *Hunc diem*. Hypallage, pro, fata me huic diei servent, id est, ad hunc usque diem vivere patiantur, P. *Ut caput*,

Sic nos, nunc inopes laudis conscendere carmen,
Pauperibus sacris vilia tura damus.
Nondum etiam Ascraeos norunt mea carmina fontes,
Sed modo Permessi flumine lavit Amor.

quemadmodum in ingentibus deorum simulacris et statuis, quum non licet attingere caput, tunc coronae ad eorum pedes locantur.

V. 21. *Inopes*, quum non possimus heroico carmine assurgere, ut res a te gestas virtutemque tuam laudemus. *Pauperibus sacris*, Diis ligneis vel fictilibus, P. *Vilia*, parvi pretii. *Mea carmina*, ego scil. cantor et poeta nondum adii fontes Ascraeos, sed Amor nuper abluit me aqua Permessi. *Ascraeos*. Hippocrenen et Aganippen significat; nam Ascra ignobile et infelix oppidulum, P. *Permessi*, Permessus ex Helicone fluit. Minores autem poetae e Permesso hauriunt, majores ex ipso fonte Heliconis Aganippe, *Id*. *Amor*, qui poetas facit, et ingeniosos reddit.

ELEGIA III.

Apollinis Palatini porticum ac templum, Cynthiae describit.

Quaeris, cur veniam tibi tardior? aurea Phoebi
Porticus a magno Caesare aperta fuit,
Tota erat in speciem Poenis digesta columnis:
Inter quas Danai femina turba senis.

V. 1. *Tibi tardior*, rogas, cur veniam ad te serius, quam debueram? *Aperta*, ut ab omnibus adiri et conspici posset. Ergo absoluta, dedicata, publicata. Hic ea porticus intelligitur quae adjuncta erat templo Apollinis Palatini cum bibliotheca Graeca et Latina. Unde *Porticus Phoebi* dicitur, in qua et Danaidum picta fabula. *Erat*, pro est. *In speciem*, ad ornatum tota distincta et ordine structa columnis Punicis e marmore scil. Numidico; inter quas est multitudo feminarum, quinquaginta scil. filiae prisci Danai. Ponebantur enim signa et statuae in intercolumniis, *Femina*, pro feminea.

Hic equidem Phoebo visus mihi pulchrior ipso
Marmoreus tacita carmen hiare lyra.
Atque aram circum steterant armenta Myronis,
Quatuor artifices vivida signa boves.
Tum medium Clario surgebant marmore templum
Et patria Phoebo carius Ortygia.
Auro Solis erat supra fastigia currus,
Et salvae Lybici nobile dentis opus.
Altera dejectos Parnassi vertice Gallos,
Altera moerebat funera Tantalidos.

V. 5. *Marmoreus*. Per *marmoreum Phoebum* intelligo eum Santenio, et Burmanno AVGVSTVM *cui simulacrum factum est cum Apollinis cunctis insignibus* ait Servius. *Tacita lyra*, apposite de statua. *Steterant*, stabant quatuor boves artificiose elaborati ex aere, ut vivere ac spirare viderentur. Mironis peritissimi sculptoris opus. *Boves artifices*, i. e. artificiose elaborati.

V. 9. *Medium*, pars templi media, ubi Deorum simulacra marmoreis gradibus attollebantur, et conscendebantur, P. *Clario*. Non quidem templum Apollinis Palatini Clario marmore structum significat, sed aedem eam esse Phoebo, cariorem templo quod in Claro est, et illo quod est in Delo, *Scalig*. *Carius*, acceptius templo quod est Deli, quae ei natale solum, P. *Ortygia*, eadem ac Delos, insula maris Aegaei, Apollinis ortu, temploque clarissima. *Auro*, supra templi fastigium erat currus Solis ex auro conflatus; et valvae erant ex ebore Africano elaboratae insigni artificio.

V. 13. *Dejectos*, altera ex valvis insculptum referebat funestum casum Gallorum, qui e vertice Parnassi deturbati fuerunt; altera funestam mortem filiorum Niobis Tantali filiae. *Gallos*. Quum Galli, duce Brenno in Graeciam irrupissent, contulerunt se Delphos ad diripienda Delphici templi donaria. Incolae iis occurrerunt, ac tum crebra de caelo fulmina, et sponte avulsa de Parnasso saxa, Gallorum aciem percuderunt, P. *Tantalidos*, Niobe Tantali filia, uxor Amphionis regis Thebarum. Haec ob septem filios, septemque filias nimium superbiens, ausa est Latonam, ejusque prolem Apollinem et Dianam parvi pendere. Quod Latona indigne ferens, rogavit filios, ut maternas injurias ulciscerentur, Apollo igitur et soror universam Niobae sobolem sagittis occiderunt.

Deinde inter matrem Deus ipse, interque sororem
Pythius in longa carmina veste sonat.

Ea vero prae doloris magnitudine in saxum obriguit. Vide Ovid. 6. Metam. V. *Inter matrem*, Latonam matrem, sororem Dianam. *Deus Pythius*, Apollo sic dictus a Pythone serpente interfecto, P. *In longa veste*, palla scil. usque ad talos demissa, ut solebant citharoedi; *Sonat*, canit ad sonitum lyrae.

SEXTI AVRELII

PROPERTII

EX LIBRO III.

ELEGIA I.

Elegiaci carminis facultate nominis immortalitatem sperat se consecuturum.

Callimachi manes et Coi sacra Philetae,
  In vestrum, quaeso, me sinite ire nemus.
Primus ego ingredior puro de fonte sacerdos
  Itala per Grajos orgia ferre choros,
Dicite quo pariter carmen tenuastis in antro,

V. 1. *Callimachi ... Philetae.* Callimachus Cyrenensis fuit ex patre Batto. Floruit Ptolemaei Philadelphi temporibus, cujus in aulam receptus fuit. Philetas fuit Cous, quem Aelianus lib. 9. tanta gracilitate fuisse ait, ut calceis haberet ferro suppactum solum, ne a ventu raperetur. Quintilianus lib. 10. Principem Elegiae facit Callimachum, secundas autem Philetae tribuit. *Manes*, umbra sancti Callimachi quia sanctitas Diis Manibus tribuebatur, P. *Sacra*, hic videntur esse ipsi Dii Manes, V. O sancti Dii Manes Callimachi et Philetae, per vos, amabo, et vestra cum bona venia, liceat mihi lucos adire vobis sacros. Optat adnumerari inter Elegiacos poetas, qualis inter graecos fuerant Callimachus et Philetas. *Nemus.* Luci et nemora abdebantur virorum clarorum sepulcris, et sacra et sacerdotes. In iis nemoribus ipsi Manes habitare credebantur, *Brouk.*

V. 3. *Ingredior*, ego primus Musarum antistes ex fonte reliquis intacto, incipio ferre *orgia itala, per choros Grajos*; quod per hypallagem dictum est, pro, *Graja orgia per Italos choros ferre.* Imago desumpta a pompa et ferculis sacrorum. Videtur gloriari Propertius se Principem Romanorum elegos ad Graecorum consuetudinem scripsisse *Pariter*, dicite quonam antro una simul et aequaliter limastis, tenui dicendi stilo perfecistis vestra carmina. *Antro.* Ut nemora, sic et antra Nymphis Musisque dicata; et an-

Quove pede ingressi, quamve bibistis aquam?
Ah! Valeat, Phoebum quicumque moratur in armis;
Exactus tenui pumice versus eat,
Quo me Fama levat terra sublimis, et a me
Nata coronatis Musa triumphat equis
Et mecum in curru parvi vectantur amores,
Scriptorumque meas turba secuta rotas.
Quid frustra missis in me certatis habenis?
Non datur ad Musas currere lata via.
Multi, Roma, tuas laudes annalibus addent,
Quid finem imperii Bactra futura canent.

tris poetae, pastoresque cantaturi succedunt, P. *Quove pede*, bono, an malo; dextro et secundo, an laevo et inauspicato pede nemus ingressi, vel antrum, *Id.* Referebat enim quem pedem cui praeponerent, dextrum, an sinistrum, *Brouk.* *Aquam*, ex quo fonte hausta aqua facti estis poetae, P.

V. 7. *Ah! Valeat*, ital. *retroceda*, quisquis Phoebum detinet in bellis canendis. Fluant versus mei exacte facti, accurate expoliti tenui pumice, scil. tenui stilo, per quos Fama me humo sublimem attollit, et Musa, cujus ego sum auctor ac veluti parens, carmen scil. sive Elegia ad Graecorum consuetudinem deducta, triumphantis more per ora populi vehitur coronatis equis: est in magna gloria. Equi triumphantium coronis ornabantur, *ex Pass.*

V. 11. *Parvi amores*, Cupidinum, Amorum agmen intelligit, qui pueri finguntur. *Mecum vectantur*, quia in me suas pennas perdiderunt, P. Pueri, seu liberi praetextati in curru triumphantium vectari solebant; nonnumquam tamen in equis sedebant, V. *Scriptorumque*, et poetarum multitudo subsequitur meum currum. Sequebantur autem currum triumphantis milites laureati cum carminibus jocularibus. *Quid frustra*, quid adversum me contenditis? Apostrophe ad aemulos, praesertim heroicos poetas, P. *Missis*, immissis et laxis loris, *Id.* Metaphoram ducit ab equis, quos ad cursum impellimus effusis in cervice habenis, V. *Non datur*, non relinquitur vobis lata via tendendi ad Musas, angusta via est quae conceditur ad Musas tendentibus. Ego autem illam occupavi, adeoque frustra contenditis, ut mihi palmam praeripiatis.

V. 15. *Bactra*, urbs ad Bactrum fluvium sita, caput regionis Bactrianae quae ad Persarum imperium olim pertinebat.

Sed, quod pace legas, opus hoc de monte sororum
Detulit intacta pagina nostra via.
Mollia, Pegasides, vestro date serta poetae,
Non faciet capiti dura corona meo.
At mihi, quod vivo detraxerit invida turba,
Post obitum duplici foenore reddet Honos,
Omnia post obitum fingit majora vetustas.
Majus ab exsequiis nomen in ora venit.
Nam quis equo pulsas abiegno nosceret arces?
Fluminaque Aemonio cominus isse viro?
Idaeum Simoenta Jovis cunabula parvi?
Hectora ter campos, ter maculasse rotas?

Pace, in pace, tempore pacis. *Opus*, carmen. *Pagina nostra*, libri mei; ego scil. scriptor et poeta ex monte Helicone Musis sacro, via non ante ab aliis trita detuli tibi hoc opus quod legere possis tempore pacis.

V. 19. *Mollia*, blandam, teneram coronam ex hedera vel ex floribus; molles scil. ac teneros versus. *Non faciet*, non erit apta corona dura, ex duris foliis, ut myrti et lauri, et quercus; duri versus id est heroici apti sunt canendis bellis. *Duplici*, altero tanto, inquit Plautus. *Honos*, fama.

V. 23. *Fingit*, posteritas omnia post mortem auget. *Ab exsequiis* post mortem fama major acquiritur apud homines; major celebratur hominum sermone. *Pulsas*, quisnam sciret arces, scil. Pergama ligneo equo pulsata, eversa fuisse? et Xantum, et Simoenta; Trojae fluvios conjurasse contra virum Thessalum, congressos fuisse cum Achille Phtio ac Thessalo. Xanthus apud Homerum suis aquis Achillem obruere conatur, advocato Simoente ut adnotavit Passeratius.

V. 27. *Idaeum Simoenta*: qui nosset Phrygium Simoenta natale solum Jovis infantis? In Ida Phrygiae monte, unde Simois oritur, Jovem natum significat hic Poeta, quod et alii scriptores tradiderunt; alii vero in Ida Cretae ortum habuisse contendunt. Non desunt qui, ut litem dirimant, eum in Ida Phrygiae natum, in Ida Cretae educatum ajunt. *Rotas*, currum cruentasse. Hectorem interfectum, loris per pedes trajectis currui illigatum ter circum urbem Trojam raptari jussit Achilles, Virgilius l. 1. Aen.

Deiphobumque Helenumque et Polydamanta sine armis?
Qualemcumque Parin vix sua nosset humus.
Exiguo sermone fores nunc, Ilion, et tu
Troja, bis Oetaei numine capta Dei.
Nec non ille tui casus memorator Homerus
Posteritate suum crescere sentit opus.
Meque inter seros laudabit Roma nepotes.
Illum post cineres auguror ipse diem.
Ne mea contemto lapis indicet ossa sepulcro,
Provisum est, Lycio vota probante Deo;

Deiphobum, Deiphobum, et Helenus Priami Trojanorum regis filii, Homeri et Virgilii carminibus notissimi; Polydamas Antenoris filius. *Sive armis*, per quam significanter, Helenus enim, et Polydamas non tam fortitudinis, quam sapientiae et prudentiae laudibus florebant; Deiphobo vero Helena arma abstulerat. *Qualemcumque* Paridem vero vix ipsa sua patria cognovisset qualiscumque is fuisset: formosus quidem, sed imbellis.

V. 31. *Sermone*, tenuis de te et obscura fama esset. Ilium a Troja hic separat, quia proprie Ilium urbs ipsa; regio Troja P. *Bis capta*, primum ab ipso Hercule, deinde a Graecis duce Agamemnone, sed opera Philoctetae, qui Herculis sagittis confixit Paridem, sine quo capi Troja non poterat. *Oetaei Dei.* Herculis qui in Oeta monte conflagravit, P. *Tui casus*, narrator tui excidii. *Sentit*, apud inferos scil. hoc novo suae gloriae incremento fruitur; sentit opus suum vetustate apud posteros majus fieri, majore in pretio esse.

V. 35. *Meque*, me quoque Roma inter posteros sero nascituros celebrabit; in eorum numero reponet, quos bonos poetas judicabit. *Illum*, hunc diem hoc tempus, aeternam scil. nominis famam, mihi ipse auguror polliceor post mortem. *Provisum*, prospectum est a me, ne corpus meum indicet lapis incisus in sepulcro humili. *Lycio Deo*, Apolline meis votis annuente, atque ea rata faciente. Lydii Apollinis oraculum apud Pataram Lyciae urbem (unde Patareus dictus) olim celeberrimum.

ELEGIA II.

Poeticam facultatem valere plurimum : carminibus vero, tamquam certissimis monumentis, ingenii memoriam consecrari.

Orpheu te lenisse feras et concita dicunt
  Flumina Threïcia sustinuisse lyra.
Saxa Cithaeronis Thebas agitata per artem
  Sponte sua in muri membra coisse ferunt.
Quin etiam, Polypheme, fera Galatea sub Aetna,
  Ad tua rorantes carmina flexit equos.
Miremur, nobis et Baccho et Apolline dextro,
  Turba puellarum si mea verba colit?
Quod non Taenariis domus est mihi fulta columnis

V. 1. *Te lenisse.* Ut vim Poeseos demonstret, Orpheae lyrae effecta commemorat. *Saxa agitata*, saxa montis Cithaeronis e suis sedibus convulsa, et Thebas attracta per artem, per cantum Amphionis sponte sua, per se ipsa ita coaluisse ut murum, omnibus suis partibus, tamquam membris constantem, efficerent, pinnis puta, turribus, propugnaculis, *ex Pass.* De Cithaerone Servius in 10. Aen. Parnassus, inquit, mons Thessaliae, vicinus Boeotiae, finditur in duo juga; Helicona Musis, et Cithaerona, Libero patri sacrum. Cithaeron Plataeensium rex antiquissimus fuit, unde alterum Parnassi jugum nomen accepit, *Brouk.*

V. 5. *Fera sub Aetna* ad radices Aetnae, incultae, ob cyclopas et montis incendium. Galatea Nerei filia habenis vertit ad tuos cantus equos marinos, rore sparsos, vel rorem spargentes natando. Aetna Siciliae mons horridus et incultus, Polyphemi sedes, quem Galateam Nympham adamasse fabulantur. *Miremur*; quum carminibus Orphaeus feras, Amphion lapides, Polyphemus etiam rudis et agrestis Galateam moverit, mirabimur, si puellarum, quarum tenerum est et flexibile ingenium, multitudo, carmina colat, quae ipse Baccho et Apolline faventibus scribo?

V. 9. *Quod non*, quamvis ego non habeam domum subnixam columnis ex marmore Laconico. Taenarus Laconiae promontorium unde nobilissimum viride marmor eruebatur. *Quod* pro *quamvis* positum, recte animadvertens Broukusius. *Camera*, nec habeam

Nec camera auratas inter eburna trabes;
Nec mea Phaeacas aequant pomaria silvas,
Non operosa rigat Marcius antra liquor:
At Musae comites et carmina cara legenti,
Et defessa choris Calliopea meis.
Fortunata meo si qua es celebrata libello;
Carmina erunt formae tot monumenta tuae.
Nam neque Pyramidum sumtus ad sidera ducti,
Nec Jovis Elei caelum imitata domus;
Nec Mausolei dives fortuna sepulcri,
Mortis ab extrema conditione vacant.

rectum incurvum in modum testudinis, ital. *fatto a volta*, ebore ornatum, auratisque trabibus.

V. 11. *Nec mea* quamvis mea pomaria horti mei conferri non possint cum silvis Alcioni, hortis scil. frugiferarum arborum copiae refertis. *Non*, nec aqua Marcia mihi humectet, perfundat antra magnis laboribus exculta, in quibus excolendis, opera multa consumitur. Aquam Marciam omnium aquarum maximam, et praestantissimam perductam in Urbem a P. et Q. Marciis, e gente Regis Anci Marcii scribit Plutarchus. Vid. Tibul. l. 3. El. 6. v. 56. Ex Plinio primus Ancus Marcius eam in urbem ducere aggressus fuit; postea Q. Marcius in praetura; quam fere deperditam M. Agrippa. restituit. *At*, sunt tamen mihi comites Musae, versusque mei sunt jucundi lectoribus, et Calliope defessa est choreis a me ductis, in prima choreae parte constituto. *Si qua es*, incerto sermone, Cynthiam designat Fortunata Cynthia, quae meis in libris celebraris. Mei versus erunt totidem monumenta tuae pulcritudinis.

V. 17. *Pyramidum*, neque sumtuosae Pyramides ad caelum, usque eductae: neque templum Jovis Olympii apud Eleos (Achajae populos, in agro Pisano, olim oraculo, postea ludis Olympicis celeberrimum) structum, ornatum, instar caeli similitudinem referens. Credibile est, illam aedem inauratam fuisse, et stellis signisque caelestibus distinctum, *ex Pass. Fortuna*, nec sumtuosum sepulcrum divitis Mausoli, est immune ab extrema lege fati. Mausoleum sepulcrum, nobilissimum monumentum, quod Artemisia Cariae regina Mausoleo marito struxerat.

Aut illis flamma, aut imber subducet honores;
Annorum aut ictu pondera victa ruent.
At non ingenio quaesitum nomen ab aevo
Excidet: ingenio stat sine morte decus.

V. 21. *Flamma*, aut ignis, aut aquarum illuvies sensim subtrahet illis operibus omnem ornatum ac decus. *Pondera*, vel graves eorum moles, saxeae et marmoreae, temporum injuria fractae corruent. *At non*, sed laus et gloria parta ingenio, mentis viribus, non excidet ab aevo, i. e. nullo aevo excidet: honor ingenio partus, immortalis permanet.

ELEGIA III.

Narrat, se inter dormiendum Phoebo et Calliope reprehensum, quod heroici carminis fontes attingere ausus fuisset.

Visus eram molli recubans Heliconis in umbra
Bellerophontei qua fluit humor equi,
Reges, Alba, tuos et regum facta tuorum,
Tantum operis nervis hiscere posse meis,
Parvaque tam magnis admoram fontibus ora,
Unde pater sitiens Ennius ante bibit,
Et cecinit Curios fratres, et Horatia pila
Regiaque Aemilia vecta trophaea rate;

V. 1. *Recubans*, videbar reclinato corpore quiescens sub umbra suavi Heliconis, qua parte scaturit fons factus ungula Pegasi. *Tantum*, opus tantae molis, tam arduum. *Hiscere*, conari, experiri canere, celebrare viribus ingenii mei, vel fidibus meis: meumque exiguum os admoveram maximis, celeberrimis fontibus, ex quibus ante omnes bibit pater Ennius scil. Epicorum princeps, qui res Romanorum heroico carmine scripsit.

V. 7. *Curios*, et cecinit pugnam Curiatiorum fratrum, et Horatiorum hasta armatorum. Curios vocat, quos alii Curiatios. De tergeminis Curiatiis et Horatiis nota historia est ex Livio, et Dionysio. *Aemilia*. Perseus Rex Macedonum ductus est Romam captivus a Paullo Aemilio naves sexdecim remorum ordinibus ornata. Vid. Liv. l. 44. *P. Victricesque moras*, id est, cunctatorem Fa-

Victricesque moras Fabii, pugnamque sinistram
  Cannensem, et versos ad pia vota deos;
Hannibalemque Lares Romana sede fugantes;
  Anseris et tutum voce fuisse Jovem:
Quum me Castalia speculans ex arbore Phoebus
  Sic ait, aurata nixus ad antra lyra:
Quid tibi cum tali, demens, est flumine? quis te
  Carminis heroi tangere jussit opus?
Non hinc ulla tibi speranda est fama, Properti:
  Mollia sunt parvis prata terenda rotis,
Ut tuus in scamno jactetur saepe libellus,
  Quem legat expectans sola puella virum.

---

bium, et ob id victorem; hic enim cunctando Hannibalem fregit, vicitque; quare Ennius scripsit, *Unus homo nobis cunctando restituit rem. Sinistram* populo Romano funestam. In ea enim pugna Paullus Aemilius et Terentius Varro Coss. ab Hannibale superati ingenti clade fuerunt, caesis quadraginta Romanorum millibus. Cannae, vicus fuit Apuliae. *Versos*, qui tandem ex iratis propitii facti, oculos mentesque ad preces piorum flexerunt, *P.* ital. *piegatisi ad esaudire*.

V. 11. *Lares*, Penates Urbis Romae deos tutelares, qui repulerunt Hannibalem ex Urbe Roma, Reip. sede. et Capitolium, cui praesidebat Jupiter, servatum anserum clamore. Quum noctu Galli, capta jam Urbe, in Capitolium clanculum obrepsissent, anserum clamore et strepitu excitatus Manlius telis missilibusque saxis proturbavit, Liv. l. 5. c. 27. *Castalia* quum Phoebus me prospiciens e silva Castalia, auratae lyrae leniter incumbens juxta antrum, ita locutus est.

V. 15. *Cum tali*, cum tam magnis, tam claris fontibus? quis tibi auctor fuit, ut heroici poematis, Epicorum materiam attingeres? Non est, quod hinc speres aliquod nomen, ingenii famam. *Mollia prata*, id est, tenera ob molles herbas, decurrenda sunt exigue cursu; mollia, amatoria argumenta tractanda sunt tenui stilo. *Jactetur*, vel saepe jactatur quum satietas legendi ceperit; vel commendetur et laudetur *P. Scamno*, ubi sedebant ad lecti pedes: legebant enim sedentes, et libri ipsi jacebant in scamnis super pulvillos. *Scamna sunt quae altioribus lectis apponuntur, a scandendo*, Isid. lib. 20. Orig. c. 11. *Id. Libellus*; pro libelli. *Legat*, ut scil. morae taedium fallat, maritum expectans.

Cur tua praescriptos evecta est pagina gyros?
  Non est ingenii cymba gravanda tui.
Alter remus aquas, alter tibi radat arenas;
  Tutus eris; medio maxima turba mari est.
Dixerat, et plectro sedem mihi monstrat eburno,
  Qua nova muscoso semita facta solo est.
Hic erat affixis viridis spelunca lapillis,
  Pendebantque cavis tympana pumicibus.
Ergo Musarum, et Sileni patris imago
  Fictilis, et calami, Pan Tegeee, tui.

V. 21. *Pagina*, cur tui libelli praetergressi sunt orbem, spatium, fines sibi praestitutos? Navicula tui ingenii nimio onere gravanda non est. Per *cymbam*, exigua significatur facultas ingenii: allegoria a re nautica, P. *Radat*: radunt remi vada, quum premunt et stringunt, *Id*. Hoc itali dicunt. *andar costeggiando*, *andar piaggia piaggia*. *Tutus*, extra periculum naufragii eris, navigando juxta litus, *Id*. *Turba*, tempestates maxime sunt, excitantur medio; i. e. alto mari.

V. 25. *Dixerat*, sic dixit, et eburneo pectine indicat antrum, quo itur via ab alio ante me trita per humum musco vestitam. Significat, se Romanorum primum Elegos in Graecorum morem conscripsisse. *Affixis*, ita haerentibus, ut arte et opere, non natura, haerere viderentur. Viridis spelunca, vel herbis illic enatis, vel ob muscum et viridem lanuginem, vel umbra frondium colorem illum inducente, P. *Cavis*, e cavis pumicibus demissa erant tympana, quae sacrum Libero antrum ostendebant. *Tympana*. Tympanum ex corio (quod hodie vocamus *cembalo*, *tamburro*) cymbalum ex metallo; Cymbala vasis, concavi formam habebant, et bina inter se collisa ictu sonum edebant, *V*. *Pumicibus*, saxa quaevis, erosa, de quibus sacra, dearum ac nympharum antra construxerunt, poetis *pumices* vocantur aut *tophi*, *Brouk*.

V. 29. *Ergo*, deinde, praeterea. *Imago*, erat illic simulacrum Musarum, et Sileni qui *pater* dicitur, quod fuerat Bacchi educator. *Fictilis*, e luto facta, et a figulo cocta. *Calami*, tua fistula e septem calamis, sive arundinibus a te compacta. Tegeeus dicitur Pan deus pastorum ab urbe quadam Arcadiae, cui nomen Tegea, vel Tegeum, ubi praecipue colebatur. *Veneris*, et columbae, aves

Et Veneris dominae volucres mea turba columbae
Tingunt Gorgoneo punica rostra lacu :
Et diversa novem sortitae rura puellae
Exercent teneras in sua dona manus :
Haec hederas legit in thyrsos, haec carmina nervis
Aptat, et illa manu texit utraque rosam.
E quarum numero me contigit una sororum,
Ut reor a facie, Calliopea fuit.
Contentus niveis semper vectabere cycnis,
Nec te fortis equi ducet ad arma sonus.
Ni tibi sit rauco praetoria classica cornu
Flare, nec Aonium cingere Marte nemus.

Deae Veneri consecratae, agmen mihi carum, rigant rostra subrubentia aqua fontis Pegasei, quem Pegasus ictu pedis elicuisse dicitur; Pegasus inquam; quo vectus Perseus Gorgonas vicit, unde Gorgoneus equus ab Ovidio 3. Fast. vocatur.

V. 33. *Et diversa:* et novem virgines, Musae, quibus velut sortito diversa rura, loca obtigerunt: quae sorte obtinuerunt, ut diversis locis praesident; Musae enim et Nymphae aliae aliis locis praesident. *In sua dona*, virgineas manus exerceant in elaborandis, perficiendis suis muneribus, quae singulis poetis largiri possint hederas decerpit, ut iis hastas tegat (quibus in sacris Liberi patris utebantur). *Aptat*, sociat verba chordis. *Texit*, nectit inter se rosas utraque manu. *Haec hederas.* Melpomene thyrsos offert tragicis: Clio et Polymnia Lyricos aptare vocem fidibus docet. At amantibus Erato rosas texit, et mollia serta. Ergo Musarum et Phoebi dona sunt versus, sed varii generis, P.

V. 37. *Numero*, e quarum sororum numero una me manu tetigit, *Ut reor*, ut de facie, orisque et corporis habitu conjecturam facio, erat Calliope, *P.* Quos contigissent Musae, iis furorem poeticum inspirabant *V. Contentus*, sat tibi erit, si cycnis vectabere: eris amator, non bellator, equis bellicis vectari non desiderabis, P. *Equi sonus*, equus hinniens; nec te acer equus hinniens vehet ad bella, poetam heroicum.

V. 41. *Ne tibi sit flare*, pro noli flare, graece dictum; ut lib. I. El. 3. v. 13. *Classica praetoria*, quia classicum apud praetorem, id est, imperatorem canitur. P. Ne cures scil. res ab imperatoribus ac ducibus in bello gestas canere. *Aonium* nec Aonium ne-

Aut quibus in campis Mariano proelia signo
  Stent, et Teutonicas Roma rifringat opes:
Barbarus aut Suevo perfusus sanguine Rhenus
  Saucia moerenti corpora vectet aqua.
Talia Calliope, lymphisque a fonte petitis,
  Ora Philetaea nostra rigavit aqua.

mus armis quasi circumdare, et Musas obsidere, sacrumque illud musarum domicilium hujusmodi versibus polluere, et cruentare. *Aut quibus*, aut describere quibus in campis stent *proelia*, scil. acies sub Marianis signis. *Mariana signa*. sunt Aquilam Romanis legionibus proprie dicavit C. Marius in secundo consulatu, abdicatis aliis signis, Lupi, Minotauri, Equi et Apri, P. *Refringat*, contundat, sternat, fractas vires et copias, *Id. Roma*, romanorum exercitus, Teutonos Germaniae populos, Cimbris vicinos profligavit Marius.

V. 45. *Barbarus*, aut ut Rhenus barbarus, qui barbaras nationes alluit, tinctus sanguine Suevo secum in maresuis aquis moerentibus (quasi mortem suorum lugere videatur) deferat corpora Romanorum telis confossa. *Suevo*, de fuga et clade Ariovisti intellige. Videndus Caesar l. 1. de Bello Gall. c. 53. Erant autem Suevi gens multo ferocissima, et Germanis ipsis formidolosa, *Brouk.* Trans Rhenum incolebant. *Talia*, sic ait Calliope, et haustis e fonte aquis, os ac faciem mihi perfundit, labra mihi proluit aqua illa, aquam prius biberat Phileta Cons, Elegiarum scriptor excellens, ut ejs vestigia insisterem.

ELEGIA IV.

Augusto Caesari bellum adversus Indos parandi bene ominatur.

Arma deus Caesar dites meditatur ad Indos
  Et freta gemmiferi findere classe maris.

V. 1. *Deus*, Divus Caesar, a nobis tamquam Deus habitus, bellum parat adversus opulentos Indos. Ad captandam principis gratiam per adulationem deum vocat Augustum poeta, non quod divinos honores jam consecutus fuisset. *Freta*, et navalibus copiis

Magna viae merces, parat ultima terra triumphos
  Tigris et Euphrates sub tua jura fluent.
Seres et Ausoniis veniet provincia virgis:
  Assuescent Latio Partha trophaea Jovi.
Ite, agite, expertae bello date lintea prorae,
  Et solitum armigeri ducite munus equi.
Omnia fausta cano: Crassos, cladesque piate:
  Ite, et Romanae consulite historiae.
Mars pater, et sacrae fatalia lumina Vestae;
  Ante meos obitus sit, precor, illa dies,

sulcare undas maris Erythraei. *Viae*, longinqui hujus itineris ingens erit praemium; nam India, extremus mundi terminus illi praeparat triumphos. Ultimam terram Britanniam et Indiam Romani appellabant. *Tigris et Euphrates* liberi fluent, in mare delabentur; ejectis regibus, erunt tui juris. Per Tigrim et Euphratem Asiae fluvios Armeniae montibus ortus, Armeniam, Parthiam, Mesopotamiam intelligit.

V. 5. *Seres*. Indis et Parthis conjunctim nominat Seres: hi quoque extremi Asiae populi. *Assuescent*, et Parthica trophaea ad Jovem Capitolinum frequentia venient; Parthorum spolia triumphali pompa in Capitolium vehi saepe conspicientur. Nam assuescimus iis, quae frequenter agimus. *Expertae*, o naves quas olim experti sumus bello, date lintea ventis: naves Augusti alloquitur. *Et solitum*. O equi armigeri et bellatores, ducite munus vestrum consuetum, id est, agite officium vestrum in bello, *Beroald*. Armigeri equi fortasse fuerint *cataphracti*; eos et *munitos* vocabant, *Vulp*. Navem et equum conjunxit, utramque militiam significaret navalem, ac terrestrem.

V. 9. *Omnia fausta*, bona verba dico, et laeta atque eventura precor et vaticinor, P. *Crassos*, delete maculam nomini Romani inustam clade Crassorum. Crassi enim pater et filius a Parthis interfecti fuerunt, signisque militaribus abreptis caesus fugatusque exercitus. *Consulite*, materiam suppeditate Romanae historiae: ea gerite, quae digna sint Romanae gentis auctor. *Pater*, Sempiternus ignis in aede Vestae, tamquam Urbis Romae fatum et tutela, servabatur; quem, si quando Virginum ministrarum negligentia extingui contigisset, id ominosum reipublicae existimabant.

Qua videam, spoliis onerato Caesaris axe,
Ad vulgi plausus saepe resistere equos.
Ac prope solemnis pompam spectare triumphi
Incipiam, et titulis oppida capta legam,
Tela fugacis equi, et braccati militis arcus,
Et subter captos arma sedere duces.
Ipsa tuam serva prolem Venus: hoc sit in aevum,
Cernis ab Aenea quod superesse caput.
Praeda sit haec illis, quorum meruere labores,
Mi sat erit, Sacra plaudere posse via,

V. 13. *Onerato*, onusto curru Augusti hostium spoliis conspiciam equos ad populi acclamationes progredl nolle retrocedere. *Solemnis*, solemni pompa, ital. *treno*, triumphis oculos pascere incipiam. *Titulis*. Tituli in triumpho erant tabellae, in quibus gestarum capita scribebantur, *V. Fugacis equi*, fugentium equitum Parthorum hastas, scil. spectare incipiam. *Fugacis* ambigue: *timidi*, et *velocis*, P. De simulata Parthorum fuga nota res est. *Braccati*, et militum braccis indutorum, braccis utentium arcus. Id erat barbarum vestimenti genus, quo frigidioris plagae homines, nedum Galli, utebantur; nostris femoralibus valde simile, laxius tamen et longius, utpote quod non femora solum, sed et crura, immo et ventrem contegebat. Tale putatus, quod Dalmatae e plebe adhuc gestant. *Braccati*; Medi et Parthi potissimum significantur, qui arcubus in praelio rem gerebant, et in eos Augustus expeditionem parabat, *V. Captos* et captivos, imagines regum, ducum captivorum sedere sub armis, suppositas trophaeis, quae in triumphi pompa ferebantur. In nummo aureo Titi Vespasiani sub trophaeo sedere captivi duo conspiciuntur.

V. 19. *Prolem*, gentem scil. Juliam tuere ex qua oriundus erat Augustus. *Sit*, vivat in aevum, in perpetuum, immortale: vel per multos annos. *Cernis*, vides e caelo. *Ab Aenea*, de gente Aeneae. *Caput*, ital. *germe*. Augustus. *Fraeda*, praemium istud habebant ii, qui militiae laboribus id meruerunt. *Sacra via*; triumphi enim per sacram viam agebantur.

ELEGIA V.

Ait, se genio, et scribendis elegis dare operam velle; donec aetate ingravescente a poeticis nugis ad severa physicae studia traducatur.

Pacis Amor deus est, pacem veneramur et omnes;
  Stant mihi cum domina praelia dura mea.
Nec tamen inviso pectus mihi carpitur auro,
  Nec bibit e gemma divite nostra sitis.
Nec mihi mille jugis Campania pinguis aratur,
  Nec miser aera paro classe, Corinthe, tua,
O prima infelix fingenti terra Prometheo:
  Ille parum cauti pectoris egit opus:
Corpora disponens, mentem non vidit in arte,
  Recta animi primum debuit esse via.

V. 1. *Veneramur*, colimus et nobis petimus. *Stant*, sunt manent aspera bella. *Carpitur*; non tamen animus meus angitur, conficitur auro, quod male odi; aliis bellorum caussa est avaritia, non tamen mihi. *Bibit*, nec sitiens bibi e gemineo poculo, lapide pretioso in poculum excavato.

V. 5. *Mille jugis*, neque a me aratur bis mille bobus fertilis Campania, pingui solo et fecundo. *Miser*, nec ego avarus mihi comparo aera tua, o Corinthe, ut fecit Mummius. De aeris Corinthii nobilitate, nota res est apud scriptores. *O prima*, o infelix, infausta ipsi Prometheo terra, ex qua ille primum hominem finxit. ital. *o l'infelice riuscita, che fece a Prometeo la terra, ond' ei formò il prim' uomo.* Pervulgata Promethei fabula ob id ad Caucasum religati, addito aquilae supplicio jecur tondentis. *Parum cauti pectoris*, hominis parum providum fabricatus est, pectore, mente parum provida.

V. 9. *Disponens*, membra enim apte et ordine conjungens, menti non satis consulit *in arte*, in opere suo, in homine fingendo. Corpora enim vultu ad caelum erecto, ut fabulae ferunt, molitus est, animum vero ad vitia pronum pulcro domicilio inclusit. *Primum*, ante omnia; prima cura debuit esse recta via animi, ratio quam du-

Nunc maris in tantum vento jactamur, et hostem
  Quaerimus, atque armis nectimus arma nova.
Haud ullas portabis opes Acherontis ad undas:
  Nudus ab inferna, stulte, vehere rate.
Victor cum victis pariter miscebimur Indis;
  Consule cum Mario, capte Iugurtha, sedes.
Lydus Dulichio non distat Croesus ab Iro.
  Optima mors, parca quae venit apta die.
Me juvat in prima coluisse Helicona juventa,
  Musarumque choris implicuisse manus.
Me juvat et multo mentem vincire Lyaeo,
  Et caput in verna semper habere rosa,
Atqui ubi jam choreas gravis interceperit aetas,

cem sequimur; animi rectitudo. *In tantum*, per tam vastum mare procellis agitamur. *Quaerimns:* quietas enim gentes lacessimus. *Nectimus*, bella ex bellis serimus, ital. *facciam nascere guerre da guerre.*

V. 13. *Acherontis*, ad Acherontem, ad inferos non portabis opes, sed stipem tantum et naulum. *P. Stulte* avare scil. *Victor cum victis Indis.* Haec vera lectio inquit Kuinoelius; *victis* autem ponitur pro *vincendis*, more Poetarum. *Capte* o captive Jugurtha jaces apud iuferos simul cum consule Mario victore.

V. 17. *Lydus*, Croesus Lydiae rex opulentissimus ibi non distinguitur ab Iro Ithacensi pauperrimo. Dulichiam insulam maris Ionii cum vicina Ithaca confundit. *Optima* ital. *ben avventurata* est mors, quae venit apte et loco et tempore die parca, scil. a Parcis praestituta. Vult poeta, optimum esse fato mori, non mari aut in bello, praeter naturam, praeterque fatum, *ex Pass.* *Coluisse*, frequentasse, frequenter fuisse in Parnassi jugis; et cum Musis manibus inserendo choreas duxisse.

V. 21. *Vincire*, me juvat etiam *mentem*, scil. animi curas copioso vino quodammodo constringere. ital. *imbrigliare*, ne nocere possint; ad ebrietatem usque vinum bibere, quo mens ac rationis vigor qnodam quasi vinculo impediatur, nec suo fungatur officio. *Et caput*, habere semper caput reclinatum inter vernantes rosas. *Rosa*, reclinatum esse molliter in pulvillis rosa factis. *P. Inceperit*, abstulerit juvenilia oblectamenta. *Sparserit*, eleganter sibi

Sparseris et nigras alba senecta comas:
Tum mihi Naturae libeat perdiscere mores,
Quis deus hanc mundi temperet arte domum,
Qua venit exoriens, qua deficit: unde coactis
Cornibus in plenum menstrua Luna redit,
Unde salo superant venti: quid flamine captet
Eurus, et in nubes unde perennis aqua.
Si ventura dies, mundi quae subruat arces:
Purpureus pluvias cur bibat arcus aquas.
Aut cur Perrhaebi tremuere cacumina Pindi;
Solis et atratis luxerit orbis equis;

invicem opponuntur nigrae comae, et alba senectus, ut Ovid. Trist. IV. 8. *Inficit et nigras alba senecta comas.*

V. 25. *Libeat.* tunc mihi placebit penitus ediscere Naturae opera. *Quis Deus*, an scil. Jupiter, an quid Jove majus ratione, prudentia moderetur et regat hanc mundi machinam. *Qua venit*, unde, qua plaga oritur sol, et qua occidit, conspectui nostro subducitur. *Unde coactis*, unde fiat, ut Luna, quae suo cursu per dimensa dierum spatia mensem efficit, conjunctis utrinque cornibus redeat in orbem plenum, rursus plena esse incipiat.

V. 29. *Superant*, qua de caussa abundant, abundantius spirant venti in mari. *Captet*, quid et cui insidietur, quum flare incipit; nam captare insidiantis est. Eurus autem delectatur naufragiis. *In nubes*, unde aqua nubibus perpetuo suppeditetur. *Si ventura*, an adfuturum sit tempus, quod subvertat caelum, mundi partem eminentissimam. *Purpureus* mixtus ex puniceo, viridi, caeruleo, *P. Arcus*, caelestis scil. qui et Iris dicitur, quae pluvio caelo apparet.

V. 35. *Perrhaebi*, Pindi, ad cujus radices habitant Perrhaebi, Pindus ingens Thessaliae mons ad occasum habuit Perrhaebos, qui a Lapithis fugati eo se receperunt. De maximo terraemotu in Thessalia facto, quo abscissi cohaerentes montes; vide Herod. in Polhymn. et Strab. l. 9. *Solis orbis* solus globus, discus, luctum significaverit sorditatis equis; vel cur orbis terrarum luxerit, doloris ac luctus signa ediderit sorditatis; et velut atra veste indutis solis equi, Caesaris necem annuo fere spatio quasi lugentibus. *Atratis*, Galileus Galilaei quum Solem telescopii subsidio accuratius inspexisset, ani-

Cur serus versare boves, et plaustra Bootes:
  Pleïadum spisso cur coit imbre chorus.
Curve suos fines altum non exeat aequor,
  Plenus et in partes quatuor annus eat.
Sub terris si jura deûm et tormenta Gigantum:
  Tisiphones atro si furit angue caput.
Aut Alcmaeoniae furiae, aut jejunia Phinei:
  Num rota, num scopuli, num sitis inter aquas

animadvertit maculam in ejus facie nasci, augerique paullatim et dissipari. Indidem caussa cognita est, cur interdum, caelo etiam valde sereno, subpallidus Sol esset. Nempe, maculis solito majoribus radiorum ejus pars aliqua intercipitur. Maculae hujusmodi, ut videtur, anno quo Julius Caesar a conjuratis occisus fuit, valde increverant propterea tardius dissipatae sunt, et sol pallidus, atque obtusa radiorum acie semper apparuit, *Vulp.* *Serus*, cur serus sit versare; cur Bootes enim, sive Arctophylax nonnisi mare occidit. Vide Catull. Carm. XXXVIII. v. 65. *Plejadum*: cur coetus Plejadum coeat, conspiret ad ciendum spissum imbrem Plejades sunt coetus septem stellarum, quarum sex conspicuae, septima latet.

V. 37. *Suos fines*, e suis finibus non exeat globosum licet ac tumidum mare. Hoc autem fit, quod communi centro teneatur. *Partes*, integer annus constet quatuor tempestatibus, scil. vere, aestate, autumno, hieme, quae accessu et recessus solis fiunt; vel *eat*, redeat in se per quatuor partes, et in se sua per vestigia revolvatur. *Sub terris*, an sit apud inferos Deorum jurisdictio, et poenae et cruciatus Gigantum. Sintne inferi, et apud inferos judices, qui poenis impios afficiant. *Tisiphones*, an Tisiphones caput, scil. Tisiphone cincta caput nigris colubris saeviat, ad impios puniendos, cruciandosque.

V. 41. *Alcmaeoniae*, Furiae, quae Alcmaeona matricidam persequantur; an fames quae Phineum cruciet, ob revelata mortalibus Deorum fata. *Rota* Ixion, Phlegyae filius a Jove mensae deorum adhibitus, Junonem tentare ausus fuit. Quare in Tartarum detrusus, rotae alligatus fuit, quae sine intermissione dies ac noctes volveretur. *Scopuli*: Sisyphus Aeoli filius, Corinthiorum rex, damnatus fuit apud Inferos ut saxum ingens ad montis verticem volutaret; quod iterum cadens, novi semper laboris misero materiam praeberet. *Sitis*. Tantalus qui sitiens rivo adsidet, et

Num tribus infernum custodit faucibus antrum
Cerberus, et Tityo jugera pauca novem.
An ficta in miseras descendit fabula gentes,
Et timor haud ultra, quam rogus, esse potest.
Exitus hic vitae superet mihi: Vos, quibus arma
Grata magis, Crassi signa referte domum.

aquis refugientibus frustra inhiat. *Custodit*, servat inferorum aditum triceps Cerberus. *Tityo*, et Tityo porrecto et jacenti vix satis sint novem jugera, ob enormem scil. corporis magnitudinem. Tityus gigas ob tentatam Latonam sagittis Apollinis ad Inferos detrusus est, ubi jecur ejus a vulturiis depascitur.

V. 45. *Descendit*, an ficta sit fabula, quae descenderit in animos superstitiosae gentis, ital. *ha preso piede*. Descendunt enim in animos hominum, et in illis altas radices agunt, quae prima aetate a nutricibus, parentibus, magistris acceperunt, *ex Vulp. Haud ultra*, et timor non potest esse ultra, post cineres; post mortem nihil timendum superest, ut Epicurei somniabant.

ELEGIA IV.

Paeti cujusdam adolescentis naufragium deplorat: simul avaritiam hominum, et navigandi morem exsecratur.

Ergo sollicitae tu caussa, pecunia, vitae es.
Per te immaturum mortis adimus iter.
Tu vitiis hominum crudelia pabula praebes,
Semina curarum de capite orta tuo.

V. 2 *Ergo*: particula indignantis, et conquerentis. *Sollicitae*, tu caussa es, quare agamus vitam sollicitam, et laboriosam; propter te adimus viam immaturae mortis. *Crudelia pabula*, quae iis exitum parant. *De capite tuo*, ex fonte tuo manarunt initia curarum in hominum vitam.

Tu Paetum ad Pharios tendentem lintea portus
  Obruis insano terque quaterque mari.
Nam dum te sequitur, primo miser excidit aevo,
  Et nova longiuquis piscibus esca natat.
Et mater non justa piae dare debita terrae,
  Nec pote cognatos inter humare rogos.
Sed tua nunc volucres adstant super ossa marinae:
  Nunc tibi pro tumulo Carpathium omne mare.
Infelix Aquilo, raptae timor Orithyiae,
  Quae spolia ex illo tanta fuere tibi?
Aut quidnam fracta gaudes, Neptune, carina?
  Portabat sanctos alveus ille viros.
Paete, quid aetatem numeras? quid cara natanti

V. 2. *Paetum.* Fortasse hic fuit Arrius Paetus, de quo extat Catulli Epigramma, cujus initium *Chommoda*; nam in Syriam eum navigasse, et in Ionio mari submersum ibidem ait Catullus, *ex Pass. Tendentem*, vela dirigentem ad portus Pharios, in Aegyptum, Alexandriam navigantem. Pharos insula Aegypti Alexandriae conjuncta, ponte a Jul. Caesare extructo. *Obruis*, vesanis fluctibus oppressum iterum ac saepius submergis. *Sequitur*, dum enim te captat, infelix primo juventutis flore in mari periit. *Natat* huc illuc arbitrio, impetu fluctuum agitur, novus cibus, jucundius piscibus longinqui mari.

V. 9. *Justa*, nec mater potest persolvere justa debita, debitas exequias piae terrae, piis, sanctis Manibus, cineribus sub terra conditis; *vel*, nec pia mater persolvere potest debita, justa cineribus, cadaveri illius; non enim fieri poterant sine aliquo mortui membro. *Humare*, sepelire inter cineres propinquorum, in gentilitio sepulcro. *Pro tumulo*, habes pro sepulcro totum mare Carpathium, ita dictum a Carpatho insula, quae inter Rhodum et Cretam est e regione Aegypti. Fortasse *Carpathium mare* posuit pro *omnia maria*.

V. 13. *Infelix*, qui interitum affers, crudelis. *Timor*, timoris caussa raptae Orithyae. Orithyam Erictei, seu Erichtonii Athenarum regis filiam ab Aquilone raptam fuisse ferunt, et in Thraciam abductam, ex eaque natos Zeten et Calain. *Quae spolia*, quam praedam ex illius morte tibi tantam peperisti, quam laudem? *Fractam*, aut cur tuo Neptune lactaris illius fracta nave? *Alveus ille.* Illa navis vehebat simul cum Paeto innocentes viros, non perjuros, neque Deorum contemtores.

Mater in ore tibi est? non habet unda deos.
Nam tibi nocturnis ad saxa ligata procellis
Omnia detrito vincula fune cadunt.
Sunt Agamemnonis testantia litora curas,
Qua natat Argynni poena minantis aquae.
Hoc juvene amisso classem non solvit Atrides:
Pro qua mactata est Iphigenia mora.
Reddite corpus homo, positaque in gurgite vita
Paetum sponte tua vilis arena tegas.
Ut quoties Paetiis transibit nauta sepulcrum,
Dicat: Et audaci tu timor esse potes.
Ite, rates curvas et leti texite caussas,
Ista per humanas mors venit acta manus.
Terra parum fuerat: fatis adjecimus undas;
Naturae miseras auximus arte vias.

V. 18. *Non habet*; mare non habet deos benignos. qui hominum vota exaudiant; sed crudeles. *Nocturnis*; omnia enim vincula, a te quibus ligata fuerat navis, *ital. assicurata*, detritis per procellarum noctu saevientem funibus, juxta scopulos, in mare decidunt.

V. 21. *Agamemnonias*, testantur curas, sollicitos amores Agamemnonis ripae amnis Cephisi (in Boeotia), quas infames reddit mors Argynni fluitantis submersi in iis aquis. *Argynni*. Ut mare crudele esse testetur, et aquarum deos vel surdos, vel nullos potius Argynni adolescentuli ab Agamemnone adamati, et in Cephiso flumine submersi fatum cum Paeti fato comparat. *V. Juvene*, Argynno adempto et mortuo, Agamemnon, major Atrei filius, ex portu Aulidis naves non solvit, sed ibi manere jussit. Atque haec vera fuit caussa in Aulide manendi, non venti adversi, ut Agamemnon caussabatur. *Pro qua mora*, ob quod spatium temporis, quod frustra terebatur in Aulide, Iphigenia immolata est. Sequitur eorum opinionem, qui mactatam volunt Iphigeniam. Alii enim subditam cervam fuerunt. P.

V. 29. *Rates curvas*, ite, o mortales, et navigia contexite, totidem caussas leti, *Gronov. Ista mors*, talis mors, quae scil. naufragio contingit, venit impulsa et festinata, arte et manibus hominum, *Naturae*, arte nos multiplicavimus vias Naturae miseras, quae nos miseros reddunt.

Anchora te teneat, quem non tenuere penates?
Quid meritum dicas, cui sua terra parum est?
Ventorum est quodcumque paras : haud ulla carina
Consenuit: fallit portus et ipse fidem.
Fortuna insidias pontum substravit avaris,
Ut tibi succedat, vix semel esse potest.
Saxa triumphales fregere Capharea puppes,
Naufraga quum vasto Graecia tracta salo est.
Palantum sociûm jacturam flevit Ulysses,
In mare cui soliti non valuere doli.
Quod si contentus patrio bove verteret agros;
Verbaque duxisset pondus habere mea.
Viveret ante suos dulcis conviva penates,
Pauper, at in terra, nil ubi flere potest.

V. 33. *Teneat*, tenere te, navem tuam adversus tempestatem firmare, salvum te praestare poterit anchora, quem retinere non potuerunt penates, domus, et soli natalis amor? *Quid meritum*, quo malo, qua poena dignum esse eum dices, putabis, qui sua terra, solo suo natali contentus non est? *Consenuit*, ital. *arrivò ad invecchiare*. *Fallit*; portus etiam ipse securitate caret.

V. 37. *Fortuna*, penes quam arbitrium est maris *Substravit*, aequale ac tranquillum reddidit mare, insidias, insidiosum invitamentum, illicium avaris. *Saxa Capharea*. Cautes Caphareae perdiderunt victrices naves quum Graeci naufragium passi, dissipati fuerunt immenso mari. Promontorium Euboeae insulae, in quod victrix Graecorum classis misere impegit. Quum enim Nauplius ejus insulae rex filium suum Palamedem a Graecis interemtum audisset, videns Graecos tempestate laborare, montem illum adscendit, et elata facula signum dedit vicini portus; quo decepti Graeci ad asperrimos scopulos naves omnes alliserunt.

V. 41. *Palantum socium*. Palantes socii sunt tempestate dispersi, rari in gurgite vasto natantes. *Soliti*: consuetae artes et fraudes. *Verteret*, si Paetus contentus fuisset agros arare patrio, scil. suo hereditario bove, meaque monita gravia esse ac fide digna existimasset.

V. 45. *Dulcis conviva*, hilari mensae assidens ante penates. Nam ante focum Penatibus sacrum, hiberno praesertim tempore, coenabant. *Pauper*, pauper quidem, ut qui mercatura divitias

Non tulit hic Paetus stridorem audire procellae,
  Nec duro teneras laedere fune manus.
Sed Thyiae thalamo aut Oriciae terebinthi
  Effultum pluma versicolore caput.
Huic fluctus vivos radicitus abstulit ungues,
  Et niger invitam traxit hiatus aquam.
Hunc parvo ferri vidit nox improba ligno:
  Paetus ut occideret, tot coïere mala.
Flens tamen extremis dedit haec mandata querelis,
  Quum moribunda niger clauderet ora liquor:
Dî maris, Aegei, quos sunt penes aequora, venti,

non quaereret; at in terra, ubi nullam habuisset flendi caussam, *potest*, pro *posset* vel *potuisset*; et flere potuisset pro simplici *flevisset*. *Non tulit*, infelix hic Paetus non ferebat, ital. *non avea cuore*; audire etc. *Duro fune*, aspero rudente manus corrumpere. Incipit poeta miserationem movere a molli vita et delicata, quam domi vixerat adolescens Paetus, antequam animum ad navigandum appulisset: quasi diceret: is qui modo in pluma et rosa aetatem agebat, laborum omnium et periculorum inscius, nunc subita commutatione fortunae, mala ultima perpeti coactus est, *Vulp*.

V. 49. *Sed thyiae*: sed in lecto ex thyiae arboris ligno, vel Epiroticae terebinthi reclinatum *habere* caput in pluma versicolore. De arbore Thyia, quam eamdem volunt esse cum citro, deque operum ex ea pretio, videndus Plinius lib. 13. c. 16. *Terebinthi*. Oricos, inquit Servius in Virg. civitas est Epiri, juxta quam nascitur terebinthus, nigrum lignum, habens folia in buxi speciem. De hujusmodi lectis vide Salmasium apud Solin. 417.

V. 51 *Vivos*, usque ad vivam carnem. *Niger*: scil. hiatus *invitus* traxit *nigram* aquam. *Parvo*, exiguae tabulae inhaerentem fluctibus agi cum vidit crudelis nox. *Vidit*, ut Dea, licet in tenebris, P. *Tot*; scil. tenebrae, procellae, scopuli, montes undarum convenere in unum, et conspiravere in Paeti perniciem. *Id*.

V. 55. *Tamen*, antequam occideret cum lacrymis inter extremas querelas, ac gemitus. *Dedit mandata*, has preces, haec vota effudit, quum nigri fluctus jam clauderent illi moribundum os; ulterius loqui vetarent. *Dii maris*, o venti dii maris, apud quos est imperium, dominium residet aquarum Aegei. Venti quoque Dii

Et quaecumque meum degravat unda caput:
Quo rapitis miseros primae lanuginis annos?
Attulimus longas in freta vestra manus.
Ah miser, alcyonum scopulis adfigar acutis:
In me caeruleo fuscina sumta Deo est.
At saltem Italiae regionibus evehat aestus:
Hoc de me sat erit, si modo matris erit.
Subtrahit haec fantem torta vertigine fluctus:
Ultima quae Paeto voxque diesque fuit.
O centum aequoreae Nereo genitore puellae,
Et tu materno tacta dolore Theti,
Vos decuit lasso subponere brachia mento:
Non poterat vestras ille gravare manus.
At tu, saeve Aquilo, numquam mea vela videbis;
Ante fores dominae condar oportet iners.

putabantur, et aras suas habebant. Vide Senec. l. 5. Nat. Quaest, c. 17. *Degravat*, obruit, ex alto decidens premit.

V. 59. *Miseros*, quo abripitis miseros annos, id est, me miserum juvenem primo aetatis flore? *Attulimus longas*. Hanc existimo fuisse mentem Propertii: Parcite Dii maris: non enim sacrificia vestra neglexi antequam e portu solverem, immo pelagum intravi supplicibus palmis et ad vos protensis. V. *Adfigar*, impingam in acutos scopulos, ubi nidificant alcyones, ibique haerebo confixus, P. *Caeruleo*, jam Neptunus Deus maris sumsit tridentem in meam perniciem, ut me infigat scopulis, et sepulcri honore caream.

V. 63. *Aestus*, aestuosum fretum, agitati fluctus, si aliter fieri non potest, ad Italiae litora me saltem ejiciant, evolvant. *Hoc de me*, si saltem haec pars mei, corpus hoc meum venerit in matris manus, ut scil. sepeliat, contentus ero. *Fantem*, dum haec loquitur, fluctus rapida vertigine circumactus, subtrahit ex oculis. Haec fuit Paeto suprema et vox et dies. *Aequoreae*, o centum marinae Nymphae, Nerei filiae. Hesiodus in Theog. v. 264. quinquaginta fuisse Nereidas tradit. *Tacta*, quae sensisti eum dolorem quo matres afficiuntur amissis liberis. Amisit enim Thetis Achillem filium, P.

V. 69. *Decuit*, pars fuit sublevare natantem subjectis mento manibus. *Id.* ital. *sostenergli. Lasso*, languido. *Gravare*, ital. *essere di grave peso*, gravis esse vestris brachiis.

ELEGIA VII.

Alios aliis magis aptos esse: sibi vero Maecenatis moderationem exemplo fore, ne grandia nimis, nisi eo duce aggrediatur.

Maecenas eques Etrusco de sanguine regum,
  Intra fortunam qui cupis esse tuam:
Quid me scribendi tam vastum mittis in aequor?
  Non sunt apta meae grandia vela rati.
Turpe est, quod nequeas, capiti committere pondus,
  Et pressum inflexo mox dare terga genu.
Omnia non pariter rerum sunt omnibus apta,
  Fama nec ex aequo ducitur una jugo.
Gloria Lysippo est, animosa effingere signa:
  Exactis Calamis se mihi jactat equis.
In Veneris tabula summum sibi ponit Apelles;

V. 1. *Eques.* C. Cilnium Maecenatem, ex Cilnia gente (unde reges Etruriae) Arretinum equestri ordine Romae contentum fuisse, notum est; ideoque Eques semper dicitur, Horatio praecipue. *Qui cupis*, qui amas consistere citra limites fortunae tuae. *Mittis*, jubes me in mare tam ingens scribendi ingredi, seu tractare immensam materiam rerum gestarum Augusti? P. *Grandia*, Rates et cimbae, quae minutae sunt naves, minutis velis et remis aguntur, *Id.*

V. 5. *Turpe est*, non decet. *Et pressum*, scil. onere dare terga inflexo genu: ital. *dar la schiena in terra*. *Non omnia rerum*; non omnes res. *Ex aequo jugo*, neque ex eodem fonte una atque eadem fama derivatur. *Jugum*, pro origine, fonte, quia flumina oriuntur ex montium jugis, P.

V. 9. *Gloria* Lysippi gloria est formare statuas spirantes, quae vitam habere videntur. De Lysippo statuario, nam et alter pictor fuit. vide Plin. lib. 33. Hist. Nat. c. 16. *Calamis*, se venditat, et ambitiose commendat ob equos ad unguem factos. Plin. eod. loc. *Summam*, praecipuam artis suae laudem statuit Apelles in Veneris tabula, hoc esse vult caput omnium operum suorum *P.* Apelles Cous fuit pictor celeberrimus. Pinxit inter alia Venerem e mari

Parrhasius parva vindicat arte locum.
Argumentâ magis sunt Mentoris addita formae:
At Myos exiguum flectit acanthus iter.
Phidiacus signo se Jupiter ornat eburno:
Praxitelem Paria vindicat urbe lapis.
Est quibus Eleae concurrit palma quadrigae:
Est quibus in celeres gloria nata pedes.
Hic satus ad pacem; hic castrensibus utilis armis
Naturae sequitur semina quisque suae.

emergentem, opus numeris omnibus absolutum, de quo hic mentio. Vide Plin. l. 35. c. 10. *Vindicat*, Parrhasius. Ephesius pictor celebris, sibi deberi locum contendit in arte parva; quippe minoribus picturis maximam gloriam adeptus est. *Primus* enim, ait Plin. loc. cit, *symmetriam picturae dedit, primus argutias vultus, elegantiam capilli, venustatem oris, confessione artificum, in lineis extremis palmam adeptus.*

V. 13. *Argumenta*, fabula, vel historica ornamenta adposita adjuncta formae, scil. operi jam formato, sunt potius Mentoris propria. Mentor caelator insignis, cujus emblemata patinis, crateribus, et id genus vasis adfigebantur, detrahique poterant. *Acanthus* (*la braneorsina*). Myos brevi spatio flexuose errat, serpit in poculis; Myos caelatura flexuoso opere in achanti formam elaborata angustum poculorum spatium amplectitur. *Phidiacus*, Juppiter Olympius, ab Atheniensi Phidia, statuario nobilissimo, affabre sculptus, ornat se, augustiorem se praebet simulacro eburneo ab illo elaborato. *Lapis*, marmor ex urbe Parium postulat Praxiteles Cnidius statuarius nobilissimus. Paros insula, una Cycladum in mari Aegeo, urbem habebat sibi cognominem Archilochi patriam in qua candidum marmor laudatissimum.

V. 18. *Est quibus*: est, genus hominum, quibus convenit, placet palma in cursu quadrigarum in Elide, victoria ludorum Olympicorum. *Concurrit*. An est hypallage pro quadriga concurrit palmae, idest ad palmam et victoriam? Elea quadriga, quae Pisam Elidis urbem venit ad ludos Olympicos. Palma autem commune omnium certaminum praemium, *P. In celeres*; Hypallage, pro, quibus celeres pedes in gloriam nati, scil. facti a natura videntur ad gloriam in cursu comparandam, ut optimi sint cursores, ut Achilles, Camilla, Ladas, Talus. *Satus*, natus est ad pacem ut poetae. *Utilis*, idoneus ad arma in castris, in bello tractanda. *Naturae semina*: naturae vim insitam, ital. *le inclinazioni.*

At tua, Maecenas, vitae praecepta recepi,
  Cogor et exemplis te superare tuis.
Quum tibi Romano dominas in honore secures,
  Et liceat medio ponere jura foro;
Vel tibi Medorum pugnaces ire per hostes,
  Atque onerare tuam fixa per arma domum:
Et tibi ad effectum vires det Caesar, et omni
  Tempore tam faciles insinuetur opes:
Parcis, et in tenues humilem te colligis umbras,
  Velorum plenos subtrahis ipse sinus.
Crede mihi, magnos aequabunt ista Camillos
  Judicia, et venies tu quoque in ora virûm.
Caesaris et famae vestigia juncta tenebis:

V. 24. *Tua praecepta*, documenta exempla vitae. *Superare*, Mihi necesse est vivere humilius, sequi parva: nam parvum parva decent. *Ponere*, hic est statuere, ut faciunt lictores quum in foro cum securibus apparent. P. *Dominas*, dominationis indices. *Ponere jura*, statuere et condere leges et ferre ac dicere jus, vel edicta proponere, quod est aedilium, praetorum et consulum. *Id Medio foro*, quia et in comitio et in foro jus dicebatur; et illic edicta proponebantur, *Id.*

V. 25. *Vel tibi*, aut liceat tibi irrumpere in Medos, Parthos scil. bellicosos hostes, perrumpere hostium cuneos, atque implere, vel decorare tuam domum fixis hostibus spoliis. *Ad effectum*, ad id efficiendum. *Vires*, opes, potentiam, ital. *i mezzi Faciles*, nullo labore parabiles, ut quae ultro offerantur. *P.* Tam facile, sine tuo labore. *Insinuentur*, clam velut in sinum non petenti recondantur.

V. 29. *Parcis*, tamen abstines, parce uteris. *Colligis*, contrahis; et quasi collectis coactisque bonis tuis, minorem te ostendis. P *In tenues*, ita te adstringis reduciaque collecta cupiditate, ut non procul umbram jacias. Translatum ab arboribus quae dum amputantur breviorem umbram jaciunt, P. *Substrahis*, subducis nimium ventis secundis tumentia vela. Translatum a re nautica. *Ista judicia*, hujusmodi decreta animi, consilia, ital. *massime, sentimenti*, parem te facient Camillis, laudatissimis illis in bello et pace viris.

V. 33. *Vestigia*, proxime accedes ad gloriam Augusti. *Tropaea*,

Maecenatis erunt vera tropaea, fides.
Non ego velifera tumidus mare findo carina:
Tuta sub exiguo flumine nostra mora est.
Non flebo in cineres arcem sedisse paternos
Cadmi, nec semper proelia clade pari;
Nec referam Scaeas et Pergama Apollinis artes,
Et Danaûm undecimo vere redisse rates,
Moenia quum Grajo Neptunia pressit aratro
Victor Palladiae ligneus arcis equus.
Inter Callimachi sat erit placuisse libellos,
Et cecinisse modis, Dore poeta, tuis.
Haec pueri curent, haec curent scripta puellae,
Meque deum clament, et mihi sacra ferant.
Te duce vel Jovis arma canam, caeloq. minantem
Coeum, et Phlegraeis Oromedonta jugis:

virtutis tuae monimentum verum et certum erit tua in Augustum fides. P. *Velifera*, id est, rate grandibus velis instructa iratum mare non navigo. *Cadmi.* Non canam arcem Cadmi; i. e. urbem Thebas a Cadmo conditas, ab Alcmaeone dirutas, et ubi fratres germani Etheocles, et Polynices mutuis vulneribus conciderunt. *Scaeas*, nec canam portam Scaeam, quae fuit Trojae urbis porta σκχιον dicta, quod ad sinistram sita esset. *Artes*, opus Apollo et Neptunus moenia Troica construxisse sub Laomedonte dicuntur. *Undecimo vere*, et Graecorum classem verna tempestate undecimi anni rediisse in Graeciam. Eversa enim Troja post decem annos, undecimo tandem anno veris initio a Troade solverunt Graji victores.

V. 41. *Grajo*, quum equus ligneus pressit, ital. *fece passare*, Grajum aratrum moenibus a Neptuno structis. *Sat erit*, contentus ero, si placeam et legar cum Elegis Callimachi. et contingat mihi canere numeris tuis, ital. *sul tuo stile*, o poeta Dore, intelligitur, Philetas.

V. 45. *Curent*, curae habeant et voluptati; Libenter et cupide legant, P. *Sacra ferunt*, me colant ut deum, id est me sacris ritibus colant, ut sacrificia offerant. *Jovis*: nihilominus te auspice ac duce Jovis etiam bellum in Titanas et Gigantes cantabo; et Coeum et Oromedontem caelo minas intentantes e montibus Phlegraeis, verticibus montium Thessalorum, Ossae, Pelii, Olympi *Phlegraeis*, Phlaegra et Phlegraeus campus duplex, unus in ora maritima Italiae,

Celsaque Romanis decerpta Palatia tauri.
Ordiar, et caeso moenia firma Remo:
Eductosque pares silvestri ex ubere reges,
Crescet et ingenium sub tua iussa meum,
Prosequar et currus utroque ab litore ovantes:
Parthorum astutae tela remissa fugae.
Claustraque Pelusi Romano subruta ferro,
Antonique graves in sua fata manus.
Mollia tu coeptae fautor cape lora juventae,

juxta Cumas, quam *oram Giganteam* vocat Eleg. 3. lib. 1., alter in Thessalia de quo hic, *Pass.*

V. 49. *Palatia*, et canere incipiam altum Palatinum collem. *Decerpta*, detonsa et depasta a tauris et pecore Romuli. *Firma*, ital. *divenire rispettabili* post interfectum Remum; muros enim sanctos ea caede praestitit Romulus; ac ita cavit, ne quis violare auderet. P. *Caeso*, vel a Romulo, quod malle videtur Livius, vel a Celere tribuno, quod Plutarchus interfecto, *Id. Eductosque*, et reges pares scil. vel gemellos, vel geminos, vel qui simul et pari auctoritate initio regnarunt nutritos lacte ferino, silvestris lupae. *Crescet* uberior mihi fiet pangendi carminis vena, quum imperabis, ut scribam.

V. 53. *Prosequar*; comitabor, vel pedibus, vel potius cantu triumphalem Augusti currum Augusti triumphantis ab utroque litore, ab orientali propter Indos, Parthos, aliasque gentes bello devictas, ab occidentali propter Hispanos, Cantabros, Britannos. *Parthorum*, et canam tela fugae astutae Parthorum scil. tela recondita fallacium Parthorum fugientium; vel sagittas retro missas, contortas in Romanos a perfidis Parthis dum fugam simulant. *Pelusi*, et Pelusium claustra Aegypti (ital. *la chiave dell' Egitto, che serve di barriera all' Egitto*) romanis armis subversum. Pelusium urbs Aegypti, paludibus cincta et angustiis viarum, ut ait Strabo lib. 17. prope oram litoralem maris Mediterranei, apud ostium Nili orientale, quod inde Pelusium dicitur. Capto Pelusio patuit Augusto Aegyptus. *Graves*, infestas, et saevientes in suam ipsius perniciem. Plutarchus et Dio narrant ut sibi Antonius manum attulerit, quum idem fecisse Cleopatram ei falso nuntiatum esset, P.

V. 57. *Mollia*, tu ingeniorum fautor ac patronus cape molles habenas primae meae juventutis. *Cape*, regendam suscipe juventam et ferocem aetatem, quae freno consilioque indiget, P.

Dexteraque immissis da mihi signa rotis.
Hoc mihi Maecenas, laudis concedis: et a te est,
Quod ferar in partes ipse fuisse tuas.

V. 58. *Immissis*, et da mihi fausta signa effuso ad cursum curru, da felicis augurii signa meis equis ad cursum concitatis e carceribus. *Signa*; translatum a circo, ubi dabatur signum agitatoribus a carceribus proficiscendi, quum praeter mappam extulisset, P. *Laudis*, hunc laudis campum tu mihi aperis; et quod dicar fuisse in partes, scil. in partibus tuis, tuum vitae genus animique moderationem secutus, tibi debeo.

ELEGIA VIII.

Cynthiam edocet, quo cultu suum ipsa natalem celebret.

Mirabar quidnam misissent mane Camoenae,
Ante meum stantes, Sole rubente, torum.
Natalis nostrae signum misere puellae,
Et manibus faustos ter crepuere sonos,
Transeat hic sine nube dies, stent aere venti
Ponet et in sicco molliter unda minas.
Adspiciam nullos hodierna luce dolentes,
Et Niobae lacrymas supprimat ipse lapis.

V. 1. *Misissent*, quodnam dedissent signum; admirans cogitabam quidnam significare, nuntiare mihi voluissent Musae stantes mane exorto sole ante lectum meum. *Ante torum*. Somniantes se putant objectas imagines videre lecto suo imminentes. P. *Miserunt*, dederunt signum diei natalitii. *Ter crepuere*, ter laetos plausus manibus edidere.

V. 5. *Stent*, quiescant in aere, et maris unda reponat iras suas in sicco litore placide illud alluens. *Dolentes*, neminem tristem videam; rideant omnes. *Niobae*, atque ipsum saxum Niobae (in quod conversa fuit Niobe) cohibeat fletus. Niobe Tantali filia, ob septem filios, septemque filias nimium superbiens, Latonam ejusque prolem Apollinem et Dianam ausa est parvi pendere. Apollo igitur ejusque soror, matre instigante, universam Niobae sobolem

Alcyonum positis requiescant ora querelis :
  Increpet absumtum nec sua mater Ityn,
Tuque, o cara mihi, felicibus edita pennis,
  Surge, et poscentes justa precare deos.
Ac primum pura somnum tibi discute lympha,
  Et nitidas presso pollice finge comas.
Dein qua pridem oculos cepisti veste Properti,
  Indue nec vacuum flore relinque caput.
Et pete, qua polles, ut sit tibi forma perennis,
  Inque meum semper stent tua regna caput,
Inde coronatas ubi ture piaveris aras,
  Luxerit et tota flamma secunda domo:
Sit mensae ratio, noxque inter pocula currat,
  Et crocino nares murrheus ungat onyx.

sagittis occiderunt. Ea vero prae doloris magnitudine in saxum obriguit, quod perpetuis manat lacrymis. Vide Ovid. 6. Metam.

V. 9. *Positis*, omissis, intermissis querelis quiescant, sileant guttura, rostra Alcyonum. Alcyones aves marinae querulae ac solitariae. Alcyone Aeoli filia prae nimio amore Ceycis mariti sui, qui naufragio perierat, se in mare praecipitavit. Jupiter ambos miseratus mutavit in aves sui nominis. *Increpet*, nec Progne saepe canat, gemat flebiliter. lamentetur. *Absumtum*, interemtum et comesum Ityn filium De Progne, Pandionis filia, in hirundinem mutata, deque ejus filio, diximus ad Catull. Carm. XXXVII. v 14. p. 98. *Edita*, nata bonis avibus, faustis ominibus. *Justa*; pete honesta et recta a Diis annuentibus.

V. 14. *Pura*, hausta de pura fonte. *Discute*, expergiscere et lava, P. *Nitidas*, et digitis arte quadam leniter admotis come capillos unguentis delibutos. *Id. Indue*, indue eam vestem, qua veste jampridem meos oculos perstrinxisti. *Qua polles*, et pete, ut tibi perpetua sit illa oris venustas et gratia, in qua posita est tua potentia, qua potens es. *Stent*, tuumque imperium in me firmum perpetuo maneat.

V. 19. *Piaveris aras*, deinde postquam ture placaveris propitiaveris ad aras deos coronatos, puta Lares a te sertis redimitos, vel postquam ture purgaveris aras floribus, vittis, verbenis cinctas; et laeta, vivax, prospera flamma (laetum enim auspicium flammae quum sponte sua emicuit) luce releverit totam domum. *Onyx*, et vas ex onyche murrhei, scil. flavi coloris contineat crocinum unguentum ad ungendas nares.

Tibia nocturnis succumbat rauca choreis,
  Sintque procul tota tristia verba domo.
Dulciaque ingratos adimant convivia somnos:
  Publica vicinae perstrepat ara viae.
Annua solvamus Genio solemnia nostro,
  Natalisque tui sic peragamus iter.

V. 23. *Succumbat*, exilis et raucus tibiae sonitus obruatur penitus (ital. *resti coperto*, *affogato*) strepitu saltantium, ut vix exaudiri possit, *Vulp. Ingratos*, injucundum, importunum somnum; non enim tunc libet dormire, sed magis delectat vigilare. *Perstrepat*, personet cantu et plausu. Arae quaedam erant privatae, aliae publicae. Ejusmodi arae publicae quaedam in via. Fortasse quum alicujus dies natalis esset, vicinia in compitis saltabant, P. *Solvamus*, sic annua consueta festa tamquam debita reddamus Genio nostro. *Iter*, spatium illud diei ac noctis, P. *Peragere iter natalis* valet, celebrare totum diem natalem.

ELEGIA IX.

Exemplis mulierum quae viris imperaverint, se tueri conatur adversus reprehensores: opportune Cleopatrae superbiam, et ab illa acceptam cladem apud Actium describens.

Quid mirare, meam si versat femina vitam,
  Et trahit addictum sub sua jura virum?
Criminaque ignavi capitis mihi turpia fingis,
  Quod nequeam facto rumpere vincla jugo?
Venturam melius praesagit navita noctem:
  Vulneribus didicit miles habere metum.

V. 1. *Versat*, pro arbitrio regit. *Et trahit virum*, me cogit suae dominationi obnoxium, nutibus, legibus suis mancipatum servire. *Fingis*, affingis mihi turpe crimen hominis ignavi; inertiae me insimulas. *Facto jugo*, scil. imposito jugo amoris nequeam rumpere ejus vincula. *Didicit*. Qui numquam amavit, vim amoris ac tyrannidem ignorat: sicuti qui numquam ratem pelago commisit, existimat marinos fluctus rem ludicram esse, neque adeo pertime-

Ista ego praeterita jactavi verba juventa:
Tu nunc exemplo disce timere meo,
Colchis flagrantes adamantina sub juga tauros
Egit, et armigera proelia sevit humo:
Custodisque feros clausit serpentis hiatus,
Iret ut Aesonias aurea lana domos.
Ausa ferox ab equo contra oppugnare sagittis
Maeotis Danaûm Penthesilea rates:
Aurea cui postquam nudavit cassida frontem,
Vicit victorem candida forma virum.
Omphale et in tantum formae processit honorem,

scendam: qui vero urbanis deliciis est innutritus, pugnas et praelia, tamquam somnia, et aniles fabellas audire soleat. Amator contra, miles, et nauta, sua quisque pericula serio pendunt; malo enim suo timere didicerunt; neque rem facilem putant, amoris jugum excutere, tempestatem, hostem superare, *Vulp.*

V. 7. Jactavi, ita magnifice locutus sum (ut tu nunc loqueris, quisquis es, qui me reprehendis) superiore juventa, P. *Exemplo*, fac alieno malo feliciter sapias, *Id. Colchis*, Medea subegit durissimo jugo tauros e naribus iguem spirantes; jugum illud aereum fuisse scribit Apollonius lib. 3. *Proelia*, proeliorum caussas sevit in terra, quae armatos homines produxit. Medea Aeetae regis Colchorum filia, Jasonis amore capta medicamina illi suppeditavit, quibus tauros ignivomos pacaret, ac vigili dracone sopito vellus aureum domum reportaret. Tauros ergo subjugavit Jason, ac draconem interfecit, e cujus dentibus in terra sparsis nati sunt armati, qui inter se dimicarunt, seque mutuis vulneribus trucidarunt.

V. 11. *Clausit*, ital. *fece chiudere.* Sopitus enim draco Medeae pharmacis, os clausit. *Feros*, horrenda, metuenda ora draconis, ad velleris aurei custodiam vigilantis, ut aureum vellus Iolcon, Magnesiae in Thessalia oppidum, asportaretur, ubi Aeson Jasonis pater domum habebat. *Penthesilea Maeotis*, seu Scythis auxilium Priamo, Trojanisque contra Graecos tulit. Demum quum eorundem classem impeteret, ab Achille est interfecta. Achilles forma Penthesileae captus, sepeliendum eam curavit.

V. 15. *Nudavit*, detexit. Cassidae tribuit poeta, quod Achilli ejus vincula solventi, et a fronte Penthesileae detrahenti, proprie tribuendum erat. V. *Omphale Lydia*, i. e. Omphale, Lydiae regi-

Lydia Gygaeo tincta puella lacu,
Ut qui pacato statuisset in orbe columnas,
Tam dura traheret mollia pensa manu.
Persarum statuit Babylona Semiramis urbem,
Ut solidum cocto tolleret aggere opus:
Et duo in adversum immissi per moenia currus,
Ne possent tacto stringere ab axe latus,

na, Lydorum regis filia, adhuc puella. *Tincta*, quae se in lacu Gygaeo abluit. Lacum hunc a Gyge rege Gygaeum adpellatum.

V. 19. *Pacato*, purgato monstris et tyrannis, unde pax et tranquilla libertas consecuta. *Columnas*. Herculis columnae dicuntur duo montes hinc inde ad fretum Gaditanum, Calpe in extrema Hispania, et Abyla in Mauritania Africae regione, Calpae oppositus, qui procul spectantibus columnarum speciem exhibent; Herculi sacratos ajunt, quod, quum orbem terrarum eo usque victor peragrasset, ulterius progredi non est ausus, eosque tamquam terminum vel laborum suorum, vel, ut tum fere credebatur, totius orbis constituit. *Traheret*, carperet mollem lanam iis manibus, quas adeo laboriosis operibus duraverat, callosas effecerat. Nam Omphale Herculem inter pedisequas ad lanificium compulit. *Statuit*, Semiramis Babylonem condidit urbem Persarum, ita ut coctilibus muris integrum opus excitaret, opus solidum, ital. *massiccio*, moenia solida coctis lateribus extrueret. *Semiramis*, Nini Assyriorum regis uxor, militari fortitudine, atque effreni libidine insignis. Haec, ut perhibent, quum a marito unius tantum diei regnum impetrasset, maritum ipsum jussit occidi, atque ita diurnum imperium sibi diuturnum fecit, Babylonem ingentem urbem, cujus moenia in veteribus orbis miraculis numerabantur, brevi extruxit, contraque hostium impetum strenue defendit, *Vulp.*

V. 23 *Et dua*, atque ita ut duae quadrigae actae ad cursum per moenia inter se occurrentes, ital. *l' una a fronte dell' altra incontrandosi* non possent in se leviter incurrere, et se se lateribus urgere tacto axe; se contingere in lateribus abraso axe, ital. *urtarsi ne' lati toccandosi gli assi. Axe*. In latere currus modioli et extremi axes sunt, qui prominent, et stringuntur in angustiore spatio. De hisce moenibus Q. Curtius lib. V. 1. 23. *Murus instructus laterculo coctili, bitumine inlitus, spatium duarum et triginta pedum latitudinem amplectitur*. Latitudinem hanc ampliorem etiam alii faciunt.

Duxit et Euphratem medium, qua condidit arces,
Jussit et imperio surgere Bactra caput.
Nam quid ego heroas, quid raptem in crimina divos?
Jupiter infamat seque suamque domum.
Quid? modo quae nostris opprobria vexerat armis,
Et famulos inter femina trita suos,
Conjugii obscoeni pretium Romana poposcit
Moenia, et addictos in sua regna patres.
Noxia Alexandria, dolis aptissima tellus,
Et toties nostro Memphi cruenta malo!
Tres ubi Pompejo detraxit arena triumphos,

V. 25. *Duxit*, induxit, immisit, ut influeret effecit, et quasi urbem divideret, qua parte urbis extruxit arces. *Jussit*, voluit precipuam urbem totius Imperii esse, alias inter urbes caput efferre. An *surgere*, pro assurgere Imperio Babylonis; nempe illud revereri; et se minorem fateri? *Bactra* urbs Persarum capta a Nino Semiramidis astu, P.

V. 27. *Nam quid*, pro quidnam raptem, vocem in crimen, tamquam criminis reos accusem? *Infamat*, Juppiter ipse tot pellicibus Caelum infamavit. *Quid?* quid amplius dicam? Illa (Cleopatra) quae nuper dedecus attulit nostris armis, virtutique Romanae, bellum inferendo, femina infamis, inhonesta etiam inter suos servos, scil. eunuchos, pro mercede infamis, infausti conjugii petiit ab Antonio Urbem Romam et Senatum sibi suoque regno mancipatum. *Poposcit.* Rumor erat inter Augusti milites, M. Antonium, si ei Actiaca pugna prospere cessisset, Cleopatrae Romam dono daturum, et majestatem Imperii in Aegyptium deinceps appellaretur, *Vulp.*

V. 33. *Noxia*, o Alexandria funesta nomini Romano, o regio aptissima ad proditiones, et o Memphi toties cruentata cladibus nostrorum. *Malo.* Nam Gabinius armis reduxit Ptolemaeum in regnum, multique milites illic remanserunt. Deinde Pompejus illic interfectus. Postea Caesar Alexandriae obsessus, et difficillimo implicitus bello. Postremo M. Antonius ibidem obsessus, multique Romanorum utrinque caesi, P. Memphis, urbs olim celebris Aegypti ad Nilum, nunc excisa; cujus loco in altera Nili ripa ex adverso Cairus, hodie *il gran Cairo* excitata est. *Tres.* Victus Pompejus, et foede interfectus in ipso litore omnem vitae superioris laudem et gloriam amisit. Itaque arena ipsa, et litus

Tollet nulla dies hanc tibi, Roma, notam.
Issent Phlegraeo melius tibi funera campo,
Vel tua si socero colla daturus eras.
Scilicet incesti meretrix regina Canopi,
Una Philippeo sanguine inusta nota,
Ausa Jovi nostro latrantem opponere Anubim,
Et Tiberim Nili cogere ferre minas;
Romanamque tubam crepitanti pellere sistro,
Baridos et contis rostra Liburna sequi;
Foedaque Tarpejo conopia tendere saxo,

ubi caesus est, illi videtur triplicis triumphi gloriam detraxisse, de Hiarba rege Africano, de Sertorio, de Mithridate et piratis, *V. Dies* nulla temporis diuturnitas delebit hanc maculam tibi ab Antonio inustam; vel potius Pompeii nece susceptam.

V. 37. *Issent*, honestius tibi ducta fuissent funera, elatus fuisses, in campo Phlegraeo, scil. Pharsalico in Thessalia. *Vel*, etiamsi, o Pompei, praebiturus fuisses cervices et jugulum Caesari. *Meretrix*, infamis scilicet regina, impuri Aegypti, insignis infamia inusta genti et sanguini Philippi. Nam reges Aegypti, e quibus originem docebat Cleopatra, orti fuerant ex Philippi Macedonum regis stirpe. Canopus oppidum Aegypti corruptelis ac deliciis plenum. Incestus dicitur Canopus propter Canopi incolarum perditos mores.

V. 41. *Opponere*, quasi adversum in acie collocare. In Actiaca pugna commissos Deos Romanorum et Aegyptiorum significat, P. *Anubim*; Anubis, deus apud Aegyptios cum capite canino summa religione cultus. *Minas*, superba pati imperia, quod servorum est, P. *Crepitanti*, arguto, strepenti. *Pellere*, superare sono, vincere et fugare, ut pelli dicuntur hostes et acies, P. *Sistro*: Sistrum Aegyptiacum nihil aliud erat, quam *aeneum crepitaculum*, ut id vocat Apulejus l. 1. Metam. constans ex lamina angusta, in modum baltei recurvata: per quam mediam virgulae aliquot trajiciebantur, quae crispante brachio ter pulsae reddebant argutum sonitum V. *Baridos*. Baris navigii genus quo vehebant Aegypti mortuorum cadavera ad sepulcrum. Rostra Liburna sunt Romanorum rostratae naves dictae Liburnae a Liburnis populis Illyricis.

V. 45. *Tendere*, figere foede tentoria in monte Tarpejo, in Capitolio. Conopium, velum circa lectum (ital. *zanzariere, padiglione da letto*) ad excludendos et arcendos culices, in Aegypto frequen-

Jura dare statuas inter, et arma Marî.
Quid nunc Tarquinii fractas juvat esse secures,
Nomine quem simili vita superba notat;
Si mulier patienda fuit? Cape, Roma, triumphum,
Et longam Augusto salva precare diem.
Fugisti tamen in timidi vaga flumina Nili:
Accepere tuae Romula vincla manus.
Brachia spectavi sacris admorsa colubris,
Et trahere occultum membra soporis iter,
Non haec, Roma, fuit tanto tibi cive verenda,
Nec ducis assiduo lingua sepulta mero.
Septem urbs alta jugis, toto quae praesidet orbi,

tes. *Statuas inter*, inter simulacra armatorum hominum, trophaea Marii. *Fractas*, quid prodest fractum esse imperium, dominationem eversam Tarquinii? Si tyranno superbo parendum fuit Tarquinius potius ferendus, quam superba et impudica foemina, *Vulp. et Parthenius.*

V. 49. *Cape*, accipe ad admitte triumphum ac triumphantem Augustum de Cleopatra, et servata incolumis per eum, precare illi longum vitae spatium, P. *Tamen*: mens est Propertii: licet superba et minax, fugisti tamen, et delituisti: vel *tamen*, pro, tandem. *Timidi*, vel quia timidi et imbelles Aegyptii; vel quia costernati erant ut solent victi. P. *Vaga*, errantia. P. *Accepere*, catenis, Romanis vinctae fuerunt. Hoc de simulacro intelligendum. Reginae enim simulacrum, non regina ipsa, pompam triumphi ornavit.

V. 53. *Sacris colubris*, aspidibus, quas Aegypti colebant. *Trahere*, et tua membra contrahere, concipere, combibere occulta via torporem ex veneni frigore nascentem. *Iter soporis*, pro soporem ipsum. P. *Verenda*, quum tantum civem habeas, non fuit tibi metuenda Cleopatra. Modeste appellat Augustum *civem*, non ducem aut principem. *Nec ducis lingua sepulta mero*: id est, minae Antonii perpetuo ebrii, cui semper lingua et mens vino obruta, *P.* Macrobius I. 2. Satur. c. 2 *Post Mutinensem fugam querentibus quid ageret Antonius, respondisse familiaris ejus ferebatur*; quod canis in Aegypto: *bibit et fugit.*

V. 57. *Urbs*, illa urbs quae supra septem colles inter alias caput extollens, praeest imperat toti terrarum orbi. *Toto*, antique pro

Femineas timuit territa Marte minas.
Nunc ubi Scipiadae classes? Ubi signa Camilli?
Et modo Pompeja Bosphora capta manu?
Hannibalis spolia, et victi monimenta Syphacis,
Et Pyrrhi ad nostros gloria fracta pedes.
Curtius expletis statuit monumenta lacunis;
Admisso Decius proelia rupit equo.
Coclitis abscissos testatur semita pontes,
Est cui cognomen corvus habere dedit.

toti, *Femineas*, superbas, sed inanes minas feminae, Cleopatrae. *Territa*: nam tanto belli apparatu perterriti fuerunt Roma. *Ubi?* Ubi nunc sunt classes, quae Romanis adempta in praelio ad Alliam a Gallis Camillus retulit? Ubi gentes quas ad Bosphorum Cimmerium, et Maeotin vi et armis subactas modo devicit Pompejus? *Spolia*, id est spolia de Hannibale relata et trophaea de victo Syphace. Spolia Hannibalis sunt praeda et victoria de Poenis eorumque duce reportata, Syphax, Numidiae rex, a Masinissa Romanorum amico victus: a Scipione captus et in triumphum ductus, ex Polybio. Livius ait mortuum Tibure, atque ita spectaculo subtractum? *Fracta*, scil. comminuta, depressa militaris laus et gloria Pyrrhi ad nostros pedes. De Pyrrho Epirotarum rege M. Curius Dentatus triumphavit.

V. 63. *Statuit*, sui, suaeque in patriam caritatis memoriam reliquit M. Curtius expleta voragine. *Lacunis*. Quum medium forum in immensam altitudinem desedisset, responsum est, compleri non aliter posse quam ea re, qua plurimum populus Romanus posset. Id. M. Curtius de virtute et armis interpretatus, armatus et equo insidens se in eam voraginem immisit, et ita hiatus terrae expletus. *Admisso*, immisso, incitato in hostes equo, in medias acies irrupit; vel rupit, proelium diremit, et ambiguam fortunam sustulit. De Deciis patre et filio, qui se pro salute exercitus devoverunt, Cic. de Senect. c. 20. Seneca Epist. 68 *Semita*, angustum iter Coclitis (pontis Sublicii) quod Cocles occupavit, Nota historia. *Est cui*, est ille, cui corvus dedit agnomen. *Est*, tamquam in re praesente, nihil verius. Gellius l. 9. c. 11. *Statuam Corvino isti Divus Augustus in Foro suo statuendum curavit; in ejus statuae capite corvi simulacrum est, rei pugnaeque, quam diximus, monumentum*, Broukh. De M. Valerii Corvini cum Gallo pugna, et corvo auxiliatore, vide Gell. loc. cit., et Liv. l. 7.

Haec dii condiderunt, haec dii quoque moenia servant:
Vix timeat, salvo Caesare Roma Jovem.
Leucadius versas acies memorabit Apollo.
Tantum operis belli sustulit una dies.
At tu, sive petes portus, seu, navita, linques,
Caesaris in toto sis memor Ionio.

V. 67. *Dii*, Romulus urbis conditor dictus Quirinus, qui auspicato diis auctoribus urbem condidit, Augustus alter Romulus, et alter conditor servat. Vel deos Indigetes, et tutelares urbis intelligit, P.
V. 69. *Leucadius*, Apollo Leucade, Ambraciae et Epiri promontorio, cultus, referet Antonii classem versam in fugam, victoriam Augusti, cui ipse interfuit, et ut vatum est optimus, ac poetarum deus, celebrabit. In hoc promontorio templum habuit Apollo, quod post Actiacam victoriam ornasse dicitur Augustus. *Una dies*, una dies confecit tantum operis belli, pro, tantum opus belli: id est, bellum operosum ac difficile, *ex Pass. Memor.* Caesari gratus esto, cujus beneficio navigas mare Ionium, ubi Actium promontorium. Caesaris victoria celeberrimum.

ELEGIA X

Militantem Postumum duritiae crimine accusat, quod Gallam uxorem, honestate Penelopen ipsam provocantem, relinquere potuerit.

Postume, plorantem potuisti linquere Gallam?
Miles at Augusti fortia signa sequi?
Tantine ulla fuit spoliati gloria Parthi,
Ne faceres, Galla multa rogante tua?

V. 2. *Fortia signa*, castra, exercitum Augusti fortibus ac strenuis viris instructum, in expeditione contra Parthos et Indos. *Fuit*, tantine fecisti gloriam, quaecumque futura esset, licet praeclara, *spoliati*, scil. spoliandi Parthos? *Rogante*, quamvis tua Galla te multum rogaret, ne faceres, scil. ne se relinqueres?

Si fas est, omnes pariter pereatis avari;
  Et quisquis fido praetulit arma toro.
Tu tamen injecta tectus, vesane, lacerna
  Potabis galea fessus Araxis aquam.
Illa quidem interea fama tabescet inani,
  Haec tua ne virtus fiat amara tibi;
Neve tua Medae laetentur caede sagittae,
  Ferreus aurato neu cataphractus equo.
Neve aliquid de te flendum referatur in urna,
  Sic redeunt, illis qui cecidere locis.
Ter quater in casta felix, o Postume, Galla:
  Moribus his alia conjuge dignus eras.
Quid faciet nullo munita puella timore,
  Quum sit luxuriae Roma magistra suae?
Sed securus eas, Gallam non munera vincent,
  Duritiaeque tuae non erit illa memor.

V. 5. *Si fas*, si licet, si aequum est, omnes simul et eodem leti genere pereatis. *Avari*, qui pecuniam militando partem anteponitis casto conjugio, P. *Injecta*, tu nihilominus tectus lacerna (veste militari) togae superposita. *Fessus*, sitiens; nam ex defatigatione, sitis, P. *Araxis*. Armeniae majoris fluvius Araxes, quem videtur Augustus constravisse ponte: militibus porro familiare fuit aquam galea haustam potare.

V. 9. *Fama*, ob tuam hanc inanem gloriam, gloriae cupiditatem, timens, ne tua haec audacia, futura sit tibi luctuosa, fatalis. *Medae*. Parthicae sagittae sanguine tuo laetentur, tuum sanguinem avide bibant. *Neu ferreus*, scil. ne *ferreus cataphractus* gaudeat *equo* tuo *aurato*.

V. 13 *Aliquid*, aliqua tui pars, quae illi caussa fletur, nempe cineres. In urnam enim referebantur cineres peregre mortuorum. *Redeunt*, referuntur qui in acie et peregrina militia periere, P. *In casta* ob pudicam tuam Gallam. *Moribus*, tam duro quum sis ingenio, dignus eras conjuge tui simili, P. *Munita*, ital. *giovane donna non ritenuta dalla soggezione d' alcuno*, nullo custode quem metuat. *Luxuriae* ital. *di libertinaggio*.

V. 19. *Securus*, soluto et libero sis animo, et hac de re in utramque aurem conquiescito. *Vincent*, munera non expugnabunt Gallae constantiam; obliviscetur illa duritiei animi tui. *Remittent*,

Nam quocumque die salvum te fata remittent,
Pendebit collo Galla pudica tuo.
Postumus alter erit miranda conjuge Ulyxes;
Non illi longae tot nocuere morae:
Castra decem annorum, et Ciconum manus, Ismara capta,
Exustaeque tuae mox, Polypheme, genae.
Et Circae fraudes, lotosque herbaeque tenaces,
Scyllaque, et alternas scissa Charybdis aquas.
Lampeties Ithacis verubus mugisse juvencos,
(Paverat hos Phoebo filia Lampetie)
Et thalamum Aeaeae flentis fugisse puellae,

volent te salvum et incolumen in patriam redire. *Miranda*, ob admirabilem et singularem conjugem singularis exempli feminam.

V. 26. *Castra*, non nocuit obsidio decem annorum ad Trojam; decem anni consumpti iu obsidione Trojae. *Ciconum*. Cum Ciconibus pugnavit Ulyxes, eorumque urbem Ismarum, vel Ismaram expugnavit ad eos post excidium Trojae tempestate delatus cum sociis. Vide Tibullum lib. IV. Carm. 1. 54. *Exustaeque mox*; deinde tuae palpebrae adustae; oculos tibi, o Polypheme, praeusta sude terebratus et effossus. *Fraudes*, nec maleficae artes. Tibull. IV. 1-61. *Lotosque* pro, lotique herbae tenaces: herba tenax loti. Vel alludit ad loton arborem, eamdemque herbam. Tenaces, quia retinebant socios Ulyxis, *Pass. Scyllaque*, neque nocuit Scylla, neque Charybdis, cujus aquae alternis vicibus scinduntur et dividuntur, P. Tibull. l. III. El. 5. et l. IV. Carm. I. v. 71.

V. 29. *Lampeties*, nec juvenci Lampeties, qui mugierunt assi in verubus Ithacis, id est, sociorum Ithaci Ulyxis. Lampetia filia Solis patris sui boves iu Sicilia custodiebaut, quum illuc adnavigavit Ulyxes cum sociis. Admonitus Ulyxes a Circe, ut ab armentis Solis abstineret, si in patriam incolumis vellet redire, socios adjurare coegit se Solis boves numquam violaturos. Sed hi jurisjurandi immemores, boves illos occiderunt, verubusque figentes ad ignem versarunt, quorum carnes in verubus mugisse hic dicuntur. *Paverat*, custodiebat eos pascentes Soli patri suo. *Thalamum*, nec nocuit fugientem reliquisse thalamum Aeaeae nymphae lugentis; nec fuga, qua se subduxit thalamo Calypsus, quae habitavit in Aeaea insula freti Siculi. Hanc Ogygiam vocat Homerus.

Totque hiemis noctes, totque natasse dies.
Nigrantesque domos animarum intrasse silentum :
Sirenum surdo remige adisse lacus.
Et veteres arcus leto renovasse procorum,
Errorisque sui sic statuisse modum.
Nec frustra ; quia casta domi persederat uxor.
Vincet Penelopes Aelia Galla fidem.

V. 32. *Totque*, nec navigasse, vel naufragium fecisse tot hibernas noctes. Nam apud Homerum 5. Odyss. naufragium facit, et vix enatat Inus auxilio : et 12. Odyss. rursus fulmine classis concrematur, et is fragmento carinae haerens vix in Ogygiam insulam solus defertur, *ex Pass.*

V. 33. *Nigrantesque*, et penetrasse, tristes domos. *Silentum*, neque enim umbris sermo, sed inanis tantum conatus sermonis, *P.* Revera non intravit, sed quum pervenisset ad Cimmerios, fossam implevit sanguine, atque ita manes elicuit, *Id. Adisse* trajecisse, praetervectum fuisse lacus', scil. oram maritimam Sirenum, sociis ad remes non exaudientibus, quod eorum aures cera obturatae essent. Vid. Tibull. l. 4. Carmen. 1. v. 69.

V. 35. *Veteres arcus*, qui annos viginti inutiles fuerant, in perniciem prooorum tetendisse, *P.* ital. *arco du lungo tempo disusato*. *Statuisse*, finem posuisse, fecisse vagae suae peregrinationis morte procorum. *Persederat*, usque permanserat, et quasi inhaeserat *Vincet*, magis fida marito Postumo Galla, quam Ulyxi Penelope. *Aelia*, notus Aelius Gallus Jurisconsultus, *Pass.* Alii legunt *Laelia*,

ELEGIA XI.

Comparat mulierum sui temporis avaritiam, luxum et levitatem cum Indorum nuptarum fide, veterumque simplicitate: auri cupidinem multis exitio fuisse , ipsique Romae fore, testatur.

Quaeritis unde avidas aetas haec nostra puellas
Gignat, et exhaustae damna quaerantur opes ?

V. 1. *Avidas*, cur feminas avaras, pecuniae cupidas habeat nostra aetas? *Exhaustae*, et facultates exinanitae, ad nihilum redactae et absumtae moleste ferant jacturam rei familiaris, ruinas familia-

Certa quidem tantis caussa et manifesta ruina:
  Luxuriae nimium libera facta via est.
Inda cavis aurum mittit formica metallis:
  Et venit e rubro concha Erycina salo,
Et Tyros ostrinos praebet Cadmea colores,
  Cinnamon et multi pastor odoris Arabs.
Haec etiam clausas expugnant arma, pudicas,
  Quaeque terunt fastus, Icarioti, tuos.
Matrona incedit census induta nepotum,
  Et spolia opprobrii nostra per ora trahit.
Nulla est poscendi, nulla est reverentia dandi:
  Aut, si qua est, pretio tollitur ista mora.
Felix Eois lex funeris una maritis,
  Quos aurora suis rubra colorat equis,

rum? *Luxuriae*, ad luxum aperta est via nimium libera; nimium libere luxum grassari hodie mores sinunt. *Inda*, formicae Indicae ad nos transmittunt aurum egestnm e reconditis fodinis. *Erycina*: Concha Veneris Erycinae. *Tyros Cadmea*, scil. et Tyros Cadmi patria, filii Agenoris regis Tyriorum suppeditat colores purpureos, purpuram. Tyros urbs Phoeniciae, qnam conchylinm et purpnra nobilem fecere. *Cinnamon*, cinnamum exquisiti, copiosi odoris. Cinnamum in deliciis habeant sumtuosae mulieres, quod in Arabia Diodorus Siculus nasci scribit. *Pastor*; Arabes *armenta* summas divitias putabant.

V. 9. *Arma*, scil. munera, pecunia, vincunt etiam pudicas domi inclusas, quae severitatem et supercilium tuum in repellenda procorum petulantia *terunt*, scil. imitantur o Penelope. *Icarioti*, i. e. Icarii filia. *Terere* hoc loco est, eadem via incedere qua Penelope. *Incedit*, in publicum prodit, gerens (ital. *portando in dosso*) census i. e. divitias, opes hominum luxu perditorum, P. *Spolia*, exuvias turpiter partas, seu dedecoris, *Id. Trahit*, ob syrma et vestem longam, *Id. dietro si trae*, *strascina*.

V. 13 *Reverentia*. ital. *non si ha riserbo, freno, riguardo alcuno. Si qua est mora* (i. e. dilatio) ista reverentia poscendi et dandi, munere tollitur; scil. viso pretio puella facilis est. *Felix*; fortunati ob singularem funeris legem orientales mariti, nempe Indi quos nimius ardor solis colorat, ital. *imbruna*, suis equis.

Namque ubi mortifero jacta est fax ultima lecto,
  Uxorum positis stat pia turba comis;
Et certamen habent leti, quae viva sequatur
  Conjugium: pudor est, non licuisse mori,
Ardent victrices, et flammae pectora praebent,
  Imponuntque suis ora perusta viris.
Hic genus infidum nuptarum: hic nulla puella
  Nec fida Evadne, nec pia Penelope.
Felix agrestum quondam pacata juventus,
  Divitiae quorum messis, et arbor erant.
Illis pompa fuit decussa Cydonia ramo,
  Et dare puniceis plena canistra rubis.
Nunc violas tondere manu, nunc mista referre

V. 17. *Mortifero*, simul ac ferali lecto, rogo, in quo jacet cadaver supposita est fax extrema. *Ultima*, qua quidquid ad mortem pertinet, ultimum extremum vocat, P. *Stat*, adstat, praesto et ante rogum fida turba uxorum recisis comis. *Turba*, quia plures uni solent esse nuptae, P. *Positis*, in luctu radi ac tonderi solemne est apud Orientis populos. *Brouk*. *Leti*, contendunt inter se de morte ipsa. *Viva sequatur*, nam ei vivae se videnti funus ducitur, et viva vidensque perit, *Id*. *Pudor*, iis turpe videtur non licuisse mori, per judices ejus controversiae. De hac Indarum mulierum consuetudine, vide Cic. V. Tusc. 27.

V. 21. *Ardent*, nec flammae se se subtrahunt, sed *flammae pectora praebent*, et defunctos maritos exosculantur. Sunt autem victrices, seu quas judices marito cariores fuisse pronuntiarunt. *Hic*, Romae, apud nos, nuptae sunt genus infidum, hic nulla juvenis femina est fida (qualis *Evadne*, Capanei uxor) nec pia (qualis Penelope). Pulcherrimus locus.

V. 25 *Agrestum*, felices silvicolae juvenes in pace et otio quondam degentes. *Arbor*, pro pomis, arborum fructibus. *Illis pompa*; apud illos munerum missi, apparatus et magnificentia, erat dare, scil. in eo reposita erant, ut darent, mitterent muneri mala cydonia, ital. *pomi cotogni*, dejecta, ital. *fatti cadere* ab arbore et canistra plena rubicundis moris quae rubi educant. *Pompa*, munerum pompam intelligit, de qua Tibullus aperte Eleg. 4. lib. III. *V*.

V. 29. *Tondere*, manu decepere. *Referre*, domum scil. lilia mista, colligata cum violis, in calathis vimineis.

Lilia, vimineos lucida per calathos:
Et portare suis vestitas frondibus uvas,
  Aut variam plumae versicoloris avem.
Hinnulei pellis totos operibat amantes,
  Altaque nativo creverat herba toro.
Corniger Idaei vacuam pastoris in aulam
  Dux aries saturas ipse reduxit oves.
Dique deaeque omnes, quibus est tutela per agros
  Praebebant vestris verba secunda focis.
Et leporem, quicumque venis, venaberis, hospes,
  Et si forte meo tramite quaeris avem.
Et me Pana tibi comitem de rupe vocato,
  Sive petas calamo praemia, sive cane.
At nunc desertis cessant sacraria lucis;
  Aurum omnes victa jam pietate colunt.

V. 30. *Lucida*, pellucentia ob viminea intervalla. *V. Portare*, domum, ut sup. referre. *Vestitas*, pampinis tectas. *Variam*, variae distinctam pennis versicoloribus, ital. *variamente picchiata*, *Avem*. Fortasse *avis versicolor* fuerit hic pica garrula. *V.*

V. 33. *Hinnulei*; Hinnuli, sive hinnulei, sunt damarum, cervorum et caprearum fetus: est autem hinnuleus cervus anniculus, ital. *cerbiatto*. *Operibat*, operiebat, tegebat, totos, scil. a capite ad pedes; et alta crescebat herba in usus lecti, a natura, non manu et arte facti. *Dux*, corniger aries dux, ital. *facendo la guida*. *Ipse*, scil. sua sponte, sine pastore reduxit a pastu saturas oves in vacuum ovile pastoria Idaei, scil. Paridis.

V. 37. *Tutela*, quorum in fide sunt agri: qui agros et agrestes tuentur. *Praebebant*; benigne alloquebantur vos agrestes in mundis focis. *Et leporem*, Verba Panos, rusticum hominem et probum alloquentis: o hospes, quicumque huc venis, venaberis et leporem et avem si forte quaeris, in mea via, in mea regione, in silva cui praesideo: quasi diceret: *si venator* es, leporem; si auceps avem venaberis in mea silva.

V. 41. *Me comitem*, ut deo comite venatio, vel aucupium succedat, P. *Petas praemia*, sive, velis praedari aves calamo, ital. *colle panie*, sive leporem canibus. *Desertis*, cultore vacuis, P. *Cessant*, vacua sunt, non frequentantur, non coluntur sacella. *Victa*, neglecta, spreta religione pedibus subjecta omnes aurum venerantur pro deo.

Auro pulsa fides, auro venalia jura:
Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor.
Torrida sacrilegum restantur limina Brennum,
Dum petit intonsi Pythia regna dei.
At mons laurigero concussus vertice, diras
Gallica Parnasus sparsit in ora nives,
Te scelus accepto Thracis Polymnestoris auro
Nutrit in hospitio non, Polydore, pio.
Tu quoque ut auratos gereres, Eriphyle, lacertos;
Dilapsis nusquam est Amphiaraus, equis.
Proloquar, atque utinam patriae sim vanus haruspex:
Frangitur ipsa suis Roma superba bonis.

V. 45. *Pulsa*, fugata est. *Fides*, dictorum factorumque constantis et veritas. P. *Jura*, magistratus jura nundinantur *Id.* Auro venales sunt judicum sententiae. *Sequitur*, auro leges parent. *Pudor*, inde aurum sequitur honestas soluta lege, exlex, freno excusso. *Pudor* hic videtur sumi pro naturali quodam respectu ad aequum et bonum, qui nonnunquam vicem legis fungitur, V. *Torrida limina.* Brennum in ipso Apollinis templo impietatis poenas luisse refert Valerius Maximus, I. 1. *Petit*, dum aggreditur et invadit Delphos spe et animo diripiendi. Vide Justinum l. 14. cap. 6. *Regna*, Delphos, quibus altus Apollo praesidet.

V. 49. *Laurigero*, concusso vertice lauris consito. *Sparsit*, effudit in vultum Gallorum horrendas nives, *Concussus*: Pausania. X. 23. expeditionem illam Brenni describens praeter terraemotum, nivem, grandinem, et frigus, diserte quoque *βροντας και κεραυνους*, commemorat. *Scelus*, sceleslus Polymnestor Thracum rex, postquam a Priamo magnum auri pondus accepit, in impio hospitio te nutriit, o Polydore. De Polymnestoris in Polydorum scelere vide Virg. 3, Aen.

V. 53. *Gereres*, ut ornata haberes brachia aureis armillis, quae lacertis gerebantur. *Eriphyle.* Amphiaraum conjugem in bellum Thebanum ire detrectantem prodidit Eriphyle, accepto monili aureo ab Argis Polynicis uxore; et Amphiaraus hiatu terrae Thebis cum curru absumptus est. *Dilapsis equis*, curru evanescente, interiit. *Proloquar*, aperte et ingenue dicam quod sentio, P. *Vanus*, mendax, fallax. Ne patriae videar male ominari, malim argui mendacii, quam vera dicere. *Frangitur*, corrumpitur, enervatur nimiis suis opibus.

Certa loquor, sed nulla fides; neque enim Ilia quondam
Verax Pergameis Maenas habenda malis.
Sola Parin Phrygiae fatum componere, sola
Fallacem patriae serpere dixit equum.
Ille furor patriae fuit utilis, ille parenti:
Experta est veros irrita lingua deos.

Superba, vel nobilis, maxima; vel victrix, et insolens, et nimium dives, P.

V. 57. *Certa*, vera dico, sed dictis meis nulla habetur fides. *Maenas* intelligitur Cassandra *non unquam credita Teucris*, ut ait Virgil. *Componere*, ipsa sola praedixit Parin moliri, machinari perniciem et exitium Phrygiae, Trojae. *Fallacem*, dolosum equum, fatalem patriae sensum promoveri. *Furor*, ariolatio illa salutaris esse potuit patriae et Priamo; vel *fuit*, pro fuisset. *Irrita lingua*, sed lingua quae frustra vaticinata fuerat, Apollinem vera monuisse demonstravit, quum illi praedixit neminem ejus vaticiniis fidem habiturum.

ELEGIA XII.

Tibur, ab amica, quae ibi degebat per epistolam de media nocte evocatus, haesitat quid agendum; sed cogitatio illa amantes sub Veneris tutela esse, animum poetae titubantem confirmat; nec mortem timet, et funus, quod optat, accuratius describit.

Nox media, et dominae mihi venit epistola nostrae:
Tibure me missa jussit adesse mora,
Candida qua geminas ostendunt culmina turres,

V. 1. *Venit*, allatae ad me sunt literae Cynthiae, quae jubet me ad se venire. *Adesse*, dixit *adesse*, non venire, ut celeritatem ostenderet et imperium, P. ital. *che senza indugio mi trovi*. *Tibure*, ital. *in Tivoli*, ubi tum erat, et quo frequenter ibat Cynthia, P. *Candida*, qua parte candicantia aedificiorum fastigia longe ostendunt duas turres.

Et cadit in patulos Nympha Aniena lacus.
Quid faciam? obductis committam mane tenebris,
Ut timeam audaces in mea membra manus?
At, si haec distulero nostro mandata timore,
Nocturno fletus saevior hoste mihi.
Peccaram semel, et totum sum pulsus in annum:
In me mansuetas non habet illa manus.
Nec tamen est quisquam sacros qui laedat amantes:
Scironis media sic licet ire via.
Quisquis amator erit, Scythicis licet ambulet oris:
Nemo adeo, ut noceat, barbarus esse volet.
Luna ministrat equis: demonstrant astra salebras
Ipse Amor accensas praecutit ante faces.

V. 4. *Patulos*, longe lateque patentes. Volvitur enim Anio et praecipitat in stagna subjecta. *Nympha*. Quas Graeci Najadas, nos Nymphas vocamus. *Brouk.* metonymice; ut Ceres pro pane, sic Nympha pro aqua ponitur. Quae *Nympha Aniena* erit hic aqua Aniesis, idest, ipse fluvius Anio.

V. 5. *Obductis*, caecis, obscuris circumfusis tenebris me committam, ita ut formidare me oporteat audaces in me ipsum latronum manus. *Distulero*, si moram mandatis fecero metu latronum, fletus erit mihi crudelior, crudelius supplicium, ob iratam dominam.

V. 9. *Pulsus*, exclusus domo. *Mansuetas*, mites. Non solet mihi parcere. *Laedat*, violet. *Sacros*, in Amoris scil. et Veneris tutela, P. *Sic*, amando scilicet: hoc statu, et vitae conditione ire licet, ital. *si può pur passare*, per mediam viam latrociniis infestam. *Scironis*. Sciron, sive Scyron, latro famosus, obsidens viam quae ab Isthmo in Africam ducit, ubi angustae rupes, quae ab eo *Scironides petrae*. Ibi Sciron jubebat viatores sibi pedes abluere, qui dum proni ad id ministerium accingerentur, eo pede percussus praecipitabat in mare. Eum Theseus interemit, ac de iisdem rupibus praecipitavit, P.

V. 13. *Ambulet*; licet iter faciat in extrema Scythia, ubi gentes maxime barbarae et inhumanae, P. *Ministrat*, inservit equis euntibus, praelucendo. *Demonstrant*, sidera lumine suo monstrant loca aspera et transitu difficilia. *Praecutit*, Cupido ipse praevolans ante eos quatit, praecedit agitans faces accensas. *Praecutit ante*, elegante pleonasmo dicitur, *Broukusius*.

Saeva canum rabies morsus avertit hiantes:
  Huic generi quovis tempore tuta via est.
Quod si certa meos sequerentur funera casus,
  Talis mors pretio vel sit emenda mihi.
Adferet huc unguenta mihi, sertisque sepulchrum
  Ornabit custos ad mea busta sedens.
Dì faciant; mea ne terra locet ossa frequenti;
  Qua facit assiduo tramite vulgus iter.
Post mortem tumuli sic infamantur amantum.
  Me tegat arborea devia terra coma.
Aut humet ignotae cumulus vallatus arenae
  Non juvat in media nomen habere via.

V. 17. *Rabies*, feroces rabidique canes alio convertunt ora hiantia et jam morsura. *Huic generi* scil. amantium. *Meos casus*, quod si ex hoc periculo viae nocturnae, exitium me maneret, talem (ital. *sì bella*) mortem emere etiam mihi deberem pretio magno.

V. 21. *Huc*, ubicumque moriar, huc veniet cum aromatis; et floribus decorabit sepulchrum meum, P. *Sedens*; busto adsidens ad custodiendum corpus meum; nam in luctu sedere mos erat. *Locet*, condat ossa mea in loco celebri, per quem assidue commeat vulgus ultro citroque. Viam publicam significat, ad quam monumenta ideo exstruebant, ut praetereuntes monerent, et se fuisse, et illos esse mortales, ait Varro 5. de L. L.

V. 25. *Infamantur*, traducuntur, fiunt fabula vulgi, P. *Me*, corpus meum contegat terra procul a via sub arbore umbrosa. *Humet*, tegat acervus arenae circumdatus, circumpositus, in litore ignoto et solo.

ELEGIA XIII.

Ad solicitudines amovendas, Bacchi opem implorat; cui vineti sationem, et carmen de gestis ejus vovet.

Nunc, o Bacche, tuis humiles advolvimur aris:
Da mihi pacato vela secunda, pater.
Tu potes insanae Veneris compescere fastus,
Curarumque tuo fit medicina mero.
Per te junguntur, per te solvuntur amantes,
Tu vitium ex animo dilue, Bacche meo.
Te quoque enim non esse rudem, testatur in astris
Lyncibus in caelum vecta Ariadna tuis.
Hoc mihi, quod veteres custodit in ossibus ignes,
Funera sanabunt, vel tua vina, malum.
Quod si, Bacche, tuis per fervida tempora donis
Arcessitus erit somnus in ossa mea:

V. 1. *Humiles*, supplex quasi humi abjectus, procumbo ante aras tuas. *Pacato* concede animo meo tranquillo, ital. *posto in calma*, vela quae secundis ventis agantur, porrige propitius opem animo meo tranquillo. *Fastus*, superbiam, fastidia coercere, ital. *domar l' orgoglio di furibonda passione*. *Tuo*, vino a te invento remedium affertur sollicitudinibus.

V. 5. *Junguntur*, amoris scil. vinculo. *Solvuntur*, dividuntur, quia rixae et dissidia ex vino, P. *Vitium*, aegritudinem, curam quae animum vitiat, absterge, discute. *Rudem*. Ariadna translata a tuis lyncibus in caelum inter sidera fidem facit, te non esse imperitum, tironem hac in re. Hic Propertius innuit ipsam Ariadnam in caelum vectam fuisse, alii de ejus Corona id tantum scribunt; Propertio adstipulatur Ovidius l. 3. Fast. v. 509. de lyncibus vide Plin. Hist. Nat. l. 8. c. 21.

V. 10. *Funera*, aut mors, aut tuus liquor medebitur huic morbo, qui nutrit, servat mihi in medullis inveteratas flammas. *Per fervida*, si per tempora incalescentia donis tuis, quum tuo liquore mihi caput incaluerit, advocatus venerit somnus, se se insinuaverit in

Ipse seram vites, pangamque ex ordine colles,
Quos carpant nullae me vigilante, ferae:
Dummodo purpureos spument mihi dolia musto,
Et nova pressantes inquinet uva pedes.
Quod superest vitae, per te et tua cornua vivam,
Virtutisque tuae, Bacche, poeta ferar.
Dicam ego maternos Aetnaeo fulmine partus,
Indica Nysaeis arma fugata choris:
Vesanumque nova nequidquam in vite Lycurgum;
Pentheos in triplices funera grata greges:

medullas meas. *Ipse*, ital. *io di mia mano. Pangam*, ital. *farò delle piantate* in collibus ex ordine. *Carpant*, rodant, adtondeant, me custodiente diligenter, P. *Ferae*, subaudi caprae. Nam vites novellae belluarum morsibus, maxime caprearum obnoxiae sunt.

V. 15. *Quod superest*, reliquum vitae traducam. *Per te et tua cornua*, per te cornutum vivam, te unice colam De Bacchi cornibus (antiquissimo roboris atque potentiae symbolo) res nota. Vide Spanhem. de usu, et praest. Numism. Diss. 7. tom. I. pag. 392. seqq. *Virtutisque*, et memoratur tuae laudis, nominis, ac beneficentiae tuae praeco perhibebor, celebrabor.

V. 19. *Materuos.* Duplices Bacchi partus, materni et paterni. Nam primum Semele fulmine percussa abegit conceptum, et abortum ejecit, deinde Jovis femori insertum, Jupiter iterum edidit in lucem, P. *Indica*, indorum acies pulsas et domitas, *Id.* Bacchum victa India junctis elephantis triumphasse scribit Plinius l. 8. Hist. Nat. c. 2. *Nysaeis*, tuis scil. comitibus: Bacchus, a Nysa ejus nutrice Nysaeus dictus. Chori autem Nysaei sunt Satyri, Sileni, Menades ejusdem Bacchi comites. *Vesanum*, frustra saevientem in vites novellas nuper repertas *Lycurgum*. Lycurgus Thracum rex quum videret, multa per temulentiam contra leges admitti, vites omnes jussit succidi. Ob id a Baccho ultore in furorem actus, dum vitem sibi videretur succidere, crura sibi amputavit. *V. Pentheos.* Pentheus rex Thebarum, qui Bacchi orgia irridens, a matre duabusque materteris, aprum se venari putantibus, misere discerptus est, *V.* Tres greges, Inus, et Autonoes materterarum, et Agaves matris.

Curvaque Tyrrhenos Delphinum corpora nautas
  In vada pampinea desiluisse rate.
Et tibi per mediam bene olenti flumine Naxon,
  (Unde tuum potant Naxia turba merum)
Candida laxatis onerato colla corymbis
  Cinget Bassaricas Lydia mitra comas.
Laevis odorato cervix manabit olivo,
  Et feries nudos veste fluente pedes.
Mollia Dircaeae pulsabunt tympana Thebae:

V. 23. *Tyrrhenos nautas.* Bacchus olim ducebat navem pampinis ornatam plenam praedatoribus Tyrrhenis ex Icaria Insula ad Naxon. At Tyrrheni volebant in Africam Bacchum adsportare, et eum venderent. Hanc ob rem iratum Bacchi Numen, serpentes, et alia monstra oculis illorum objecit, qui vel timore, vel furore in mare praecipites exsilierunt, et in Delphinos sunt transformati. *Bene olenti flumine.* Commemoratur prodigiosum vini torrens per insulam Naxon fluens.

V. 27. *Onerato.* Ordo petendus ex disticho praecedenti: *et tibi per medium Naxon onerato colla candida corymbis laxatis, lydia mitra cinget,* etc. *Laxatis corymbis*, hederacea corona a capitis vertice in cervicem defluente; quod signum ebrietatis ultimae, *V. Bassaricas comas*: Bacchus, Bassarûs, seu Bassareus dictus a genere vestis, qua utebatur ad talos demissa, quam Thraces *bassaram* vocabant; constabat autem e pellibus vulpinis. *Lydia* Lydi molles ac deliciis dediti, ut et Phrygii, et Syri et Arabes, aliique mitra utebantur, scil. pileolo quodam in angustum desinente, et in anteriorem partem incurvo, fascia circumdato, et redimiculis instructo, quibus ligabatur sub mento, ne decideret, viris feminisque communi. *Laevis*, molle, delicatum collum diffluet unguento multi odoris Olivum quod unguentis componendis adhibetur, pro unguento accipitur. *Feries*, quum incedes, vestis talos feriet ad eos demissa, P. *Nudos.* At qui cothurnatus dicitur: sed fingamus nobis oportet, inquit Brouk. Bacchum de lacu, in quo uvam presserat, descendentem, injecta sic temere veste, ne frigus labore defessum ac sudantem laedat.

V. 31. *Dircaeae.* Thebae Boeticae. (a Dirce fonte Dircaeae appellatae) quatient tympana quae molles decent feminas. Tympanum erat pellis, vel corium ligno ex una parte extensum, cribri formam

Capripedes calamo Panes hiante canent.
Vertice turrigero juxta dea magna Cybebe
Tundet ad Idaeos cymbala rauca choros.
Ante fores templi crater antistitis auro
Libatum fundens in tua sacra merum.
Haec ego non humili referam memoranda cothurno,
Qualis Pindarico spiritus ore tonat.
Tu modo servitio vacuum me siste superbo,
Atque hoc sollicitum vince sopore caput.

referens. *Panes*, scil. Fauni, Sileni, Satyri Panis comites ac ministri, caprinos habentes pedes: qui et inter Bacchi comites a veteribus numerabantur, et Pan Bacchici dux exercitus habebatur. *Hiante*, sonante fistula, calamis biantibus, biulcis. *Juxta*, simul conjunctim, quia sacra Liberi patris, Cereris et Cybebis communis multa habebant. *Cybebe*, quae et Cybele, Rhea, Caeli ac Terrae filia, Saturni uxor, mater deorum, colebatur maxime in Phrygia curru a leonibus tracto, crinemque turrita corona gerebat, ad significandas urbes, et arces. *Tnndet* quatiet cymbala gravi et querulo sono apud choros et coetus *Idaeos*, Idaei chori sunt Idaei ministri, Sacerdotesque Cybebes, quae Idaea vocata est, quod in Ida monte Phrygiae potissimum coleretur.

V. 35. *Crater antistitis auro*, scil. crater antistitis ex auro, auro solidus. Antistes, ille qui sacris praeest, praecipuus inter sacerdotes. *Fundens*, subaudi *erit*; scil. fundet: sacerdos patera auro solido fundet vinum ante degustatum in tuis sacris. *Cothurno*, stilo non humili, graviore scil. qualis tragicorum est. *Spiritus*, qualis poeticus spiritus forti vocis sono tonat: auditur ex ore Pindari. *Servitio*; redde, praesta me liberum ab injusta et inclementi servitute. *Sollicitum*, meumque caput, me anxium et confectum curis somno per te accersito doma, opprime, P.

ELEGIA XIV.

Adolescentis Marcelli mortem deflet, quem, adversus communem hominum opinionem atque historicam fidem, ait in aquis Bajanis submersum. Deinde, neminem supremae ac fatalis necessitatis immunem, canit.

Clausus ab umbroso qua ludit Pontus Averno,
Fumida Bajarum stagna tepentis aquae,
Qua jacet, et Trojae tubicen Misenus arena,
Et sonat Herculeo structa labore via;
Hic ubi mortalis dextra quum quaereret urbes:
Cimbala Thebano concrepuere Deo;
At nunc invisae magno cum crimine Bajae,
Quis deus in vestra constitit hostis aqua?

V. 1. *Clausus*, apposite: nam *claudi* proprie talia loca dicuntur, objectis, contra vim maris molibus. *Kuinoel. Ludit* pro alludit, nempe stagna tepentis aquae Bajarum, *Id. Qua*, scil. parte, veluti ludendo procedit mare, quod claudit, cui reluctatur aquis silvosus Avernus, in quem per Lucrinum lacum influit. *Fumida*, ubi sunt fumantia Bajarum stagna. *Jacet*, et ubi sepultus jacet in litore Misenus tubicen Trojanus. *Herculeo*, et strepitum edit, ob frequentiam populi viam celebrantis, via munita, strata ab Hercule laborioso.

V. 5. *Hic*, illic, ubi cymbala crepitum edidere, plaudentia Herculi, deo mox futuro. *Thebano*; duo enim numina praecipua Thebanorum, Liber et Hercules. P. *Dextra*, quum armorum vi urbes in potestatem redigeret. Expugnavit Hercules plerasque urbes maxime ubi erant tyranni. Concrepuerunt vero illic cymbala juxta Bajas, quia in Phlegraeis campis gigantes interfecit; Herculaneum et Pompeius urbes condidit, adeoque de tota illa regione optime meritus fuit. *Invisae*, quia morte Marcelli consceleratae. *Constitit*, pedem posuit, ut lavaret: vel pro consedit, aliquamdiu mansit, ut aquas inficeret, P.

His pressus Stygias vultus demersit in undas
Errat et in vestro spiritus ille lacu.
Quid genus, aut virtus, aut optima profuit illi
Mater, et amplexo Caesaris esse focos?
Aut modo tam pleno fluitantia vela theatro,
Et per maternas omnia gesta manus?
Occidit, et misero steterat vigesimus annus;
Tot bona tam parvo clausit in orbe dies.
I nunc tolle animos, et tecum finge triumphos,
Stantiaque in plausum tota theatra juvent

V. 9. *His*, his aquis obrutus, oppressus. *Demersit*, scil. submersus petiit undas stygias. *Errat*, et ejus umbra vagatur circa vestra stagna; non enim poterant ex veterum opinione in Orcum descendere animae eorum, qui in aquis periissent. Mirum est. Propertium contra receptam opinionem, atque adeo contra versum, scribere, Marcellum in aquis Bajanis submersum interiisse, quum constet ab Antonio Musa medico aquarum frigidarum lotionibus enectum fuisse. Sed voluit gratificari ei, quae de ejus morte suspecta fuit, Liviae Augustae; quae, quum videret, Marcellum ita omnibus carum esse, curavit eum clandestino mortis genere de medio tollendum. Maluit itaque mendax Liviae adulari, quam verum dicendo sibi periculum creare, *ex Brouk*. *Genus*, nempe avita nobilitas gentis Claudiae quid adversus vim fati Marcello profuit? P. *Virtus*: de virtute Adolescentis Marcelli vide Sveton. in Aug c. 63. Tacit. l. 1. Annal. *Mater*, Octavia, maxime pia. *Amplexo*, illi amplexo esse, more graecorum, pro amplexum esse penates Caesaris: arctissimo scil. vinculo affinitatis cum gente Julia et Caesaris domo conjunctum fuisse; Marcello enim nupsit Julia Caesaris filia, ut scribit Dio l. 83. Sponsalia autem ante deos penates celebrabantur, qui colebantur in focis.

V. 13. *Fluitantia*, ital, *ondeggianti tende* in theatro tanta spectatorum turba referto, et omnia administrata et tractata manibus matris Octaviae, cui Marcellus aedilitatis suae curam commiserat. *Vela*; de velis theatrorum Plinius lib. 19. Hist. Nat. ubi ait etiam, hunc Marcellum velis laxis forum inumbrasse contra solis calorem. Marcelli theatrum postea struxit et dedicavit Augustus, P. *Tot bona*, corporis ob aetatem: animi ob virtutem: Fortunae ob genus et divitias, *Beroal*.

V. 17. *Tolle animos*, spe scil. magnarum rerum; et spem triumphorum concipe, P. *Stantiaque*, ital. *Alzatisi in piedi*, tibi plausum

Attalicas supera vestes; atque omnia magnis
Gemmea sint ludis; ignibus usta dabis.
Sed tamen huc omnes; huc primus et ultimus ordo;
Est mala, sed cunctis ista terenda via.
Exoranda canis tria sunt latrantia colla;
Scandenda est torvi publica cymba senis.
Ille licet ferro cautus se condat, et aere,
Mors tamen inclusum protrahit inde caput.
Nirea non facies, non vis exemit Achillem,
Croesum aut Pactoli quas parit humor, opes.
Sic olim ignaros luctus populavit Achivos,
Atridae magno quum stetit alter amor.

daturi. *Attalicas*, vestibus pretiosis auro intextis, stragulis purpureis vince Attalum Pergami regem, qui pretiosae suppellectilis magnificentia, splendore et copia mortales omnes superavit; omnia sint gemmis variata et distincta in magnis ludis; ista omnia igni, tecum in ignem rogi *usta*, scil. urenda parabis. Nam pretiosissima quaeque cum mortuo cremari solebant. Magnos ludos, qui et Romani, et Circenses appellabantur, aediles curules curabant, Marcellus autem et aedilis curulis erat, et Pontifex maximus.

V. 21. *Huc omnes*; et patricii et plebeii. *Exoranda*, eblandiendus, ne allatret Cerberus, triceps canis, P. *Scandenda*, ingrediendum in communem, vulgarem cymbam Charontis.

V. 25. *Ille*, licet aliquis timidus, providus, ferro et aere se tegat, abscondat: tamen mors eruet inde caput tectum ferro et aere, et porro trahet ad sepulchrum, P. *Nirea*, eximia forma non exemit (ital. *esentò*) a morte Nireum, robur non exemit Achillem. De eximia Nirei forma Homerus Iliad. I. 2. *Croesum*, nec Croesum exemit aurum, quod illi vehunt aquae Pactoli, qui Lydiae fluvius est. *Sic olim*. Achillis mentione facta luctum populi Romani de morte Marcelli, et jacturam maximam quam in eo respublica fecerat, comparat cum Graecorum luctu, et calamitate illa maxima, quam iis intulerat Atrides, id est Agamemnon propter novum amorem Cryseidis. Confer Homerum Iliad. 8. seqq. *Ignaros*, quia Graeci nesciebant cur pestilentia exercitum invasisset, antequam edocti essent a Calchante *Kuinoel.*

At tibi, nauta, pias hominum qui trajicis umbras
Huc animae portes corpus inane suae;
Qua Siculae victor telluris Claudius, et qua
Caesar ab humano cessit in astra via.

V. 34. *Trajicis*, tu vero, o nauta, qui vehis ad alteram ripam umbres piorum hominum. *Tibi*, redundat, ut saepius. *Animae*, vitae. *Corpus inane*; Marcelli umbram. *Qua*, scil. via Claudius, et qua Julius Caesar, qui rebus praeclare gestis et recte factis in caelum ascenderunt.

ELEGIA XV.

Athenas iturus, ut ibi obstinatam animi aegritudinem depellat studiorum varietate: patriae, amicis valedicit.

Magnum iret ad doctas poficisci cogor Athenas;
Ut me longa gravi solvat amore via.
Crescit enim assidue cura, aegrescitque medendo;
Ipse alimenta sibi maxima praebet amor.
Omnia sunt tentata mihi, quacumque fugari
Possit: at ex omni me premit ille deus.
Unum erit auxilium, mutatis, Cynthia, terris
Quantum oculis, animo tam procul ibit amor.
Nunc agite, o socii, propellite in aequora navem,

V. 1. *Magnum iter*, Longum iter suscipere eruditas Athenas versus, bonarum artium ac disciplinarum inventrices. *Gravi*, sollicito, molesto. *Aegrescitque*, ital. *e coi rimedi vieppiù s' inasprisce. Praebet* suppeditat.

V. 5. *Quacumque*, supple, via vel ratione, repelli et procul amoveri tamquam hostis, P. *Ex omni*, supple parte me urget, mihi gravis instat Amor. *Id. Auxilium*, remedium. *Terris*, mutato caelo. *Quantum oculis*. Proverbium Italorum est, *lontano dagli occhi, lontano dal cuore.*

Remorumque pares ducite sorte vices;
Jungiteque extremo felicia lintea malo,
Jam liquidum nautis aura secundat iter.
Romanae turres, et vos valeatis amici,
Qualiscumque mihi tuque puella vale.
Ergo ego nunc rudis Adriaci vehar aequoris hospes,
Cogar et undisonos nunc prece adire deos:
Deinde per Ionium vectus quum fessa Lechaeo
Sedarit placida vela phaselus aqua:
Quod superest, sufferte pedes, properate laborem,
Isthmos qua terris arcet utrumque mare,
Inde ubi Piraei capient me litora portus,
Scandam ego Theseae brachia longa viae.
Illic vel spatiis animum emendare Platonis

V. 10. *Ducite*, vicissim remigate alii aliis succedentes. Ducite remos vicissim eos sortiti per transtra, P. *Jungite*; aptas te malo carbasa: quia malus sustinet vela, P. *Aura*, ventu benignior secundam nautis praebet navigationem et cursum, *Id.*

V. 14. *Qualiscumque*, qualiscumque in me sis. *Puella*, Cynthia. *Rudis*, navigationis imperitus. *Adriaci*. Ital. *Golfo di Venezia*; non mari Adriatico navigatur Athenas, P. *Adire*, precibus ac votis ad Deos maris praesides confugere.

V. 17. *Per Ionium*. A mari Adriatico incipit mare Ionium. *Lechaeo*. Lechaeum est portus urbis Corinthi iis qui ex Italia in Graeciam navigant. *Superest*, quod reliquum est viae Athenas usque, vos, o pedes, illud sustinere, properate conficere laboriosum iter, ubi Isthmus depellit terris utrumque mare, Aegaeum nempe et Ionium. Isthmos est intervallum inter duo ista maria. In illo medio intervallo fuit Corinthus, quae ab Horatio l. 1. Od. 7. dicitur *bimaris*.

V. 21. *Piraei*, Piraeus et Piraeum, portus Athenarum celebris, quinque millibus passuum ab urbe distans, sed ei conjunctus ope murorum qui consilio Themistoclis ab eadem urbe ad mare usque ducti fuerunt, quos poeta *longa brachia* appellat. *Scandam*, transcendam longos muros viae Theseae, scil. Atheniensis, qua itur Athenas, ubi Theseus regnavit, per duplicem murum. Ad hoc iter Propertii intelligendum, vide Plin. Hist. Nat. l. 4. cap. 7. et Strab. l. 9. *Illic*, Athenis. *Spatiis Platonis*, Platonis schola erat in nemore, quod

Incipiam; aut hortis docte Epicure tuis.
Persequar aut studium linguae, Demosthenis arma,
Librorumque tuos munde Menandre sales,
Aut certe tabulae capient mea lumina pictae:
Sive ebore exactae, seu magis aere manus.
Aut spatia annorum aut longa intervalla profundi
Lenibunt tacito vulnera nostra sinu.
Seu moriar, fato, non turpi fractus amore,
Atque erit illa mihi mortis honesta dies.

silvas Academi vocavit Horat. ep. 2. Sensus est: aut in Schola Platonis aggrediar purgare animum vitiis; aut in hortis tuis, Epicure. Hortos autem Athenis Epicurum habuisse, et in iis consuevisse docere, nota res est.

V. 26. *Menandre.* Menander Atheniensis poeta comicus magni nominis, qui Comoedias 80. scripsit. *Certe*, aut saltem tabulae pictae, puta ab Apelle, Zeuxide, Parrhaxio, oblectabunt, cum voluptate oculos meos detinebunt. *Sive manus*, id est, opera, statuae, artificiis perita manu, arte magistra ad unguem elaboratae ex ebore; seu potius ex aere, puta Myronis, Lysippi, Phidiae opera.

V. 29. *Spatia*, aut longinquitas temporis, aut longa intervalla, spatia interjecti maris mollient, sanabunt vulnera clanculum, me non advertente, telo Cupidinis facta in sinu meo. *Lenibunt*, pro lenient. *Seu moriar*, aut si moriar, moriar fato, id est naturae necessitati cedens, nulla compulsus violentia; non moriar exhaustus turpi amore; et honori mihi erit ille dies mortis.

ELEGIA XVI.

Ad Tullum, qui Cyzicenos vel gubernaverat, vel adhuc gubernabat: Romam et Latium ceteris urbibus, ac regionibus longe praestare. Confer Horatium Epist. XI, lib. I.

Frigida tam multos placuit tibi Cyzicus annos,
Tulle, Propontiaca qua fluit Isthmos aqua,
Dindymus, et sacrae fabricata juvenca Cybebae,
Raptorisque tulit qua via Ditis equos.
Si te forte juvant Helles Athamantidos urbes,
Et desiderium, Tulle, movere meo,
Tu licet aspicias caelum omne Atlanta gerentem

V. 1. *Frigida Cyzicus*; urbs Mysiae; in Asia, in insula cognomine, duobus pontibus juncta continenti, ad Propontidem, moenibus, arce, turribusque marmoreis, cum primis Asiae urbibus olim comparanda. De hac Cic. pro lege Manil., pro Murena, et Archia. *Isthmos*, qua fluit Isthmus ex aquis Propontidis (ital. *Mar di Marmora*) sinus maris mediterranei inter Thraciam et Asiam minorem, duo habens augusta ostia, quorum quod Aegaeo jungitur, Hellespontus; quod Euxino, Bosphorus Thracius vocatur: Isthmus hic est angustum fretum inter duas terras, ital. *lo stretto de' Dardanelli.*

V. 3. *Dyndymus*; scil. *ubi est.* Strabo lib. 12. montem Cyzico imminentem vocat Dindyma, ubi Dindymenae matris Deorum templum ab Argonautis aedificatum, P. *Juvenca*, et sculpta juvenca in antro sacro Cybebae. *Qua*, scil. ubi via tulit equos Plutonis raptoris Proserpinae *Raptorisque.* Propertius adserit, circa Propontida rapuisse curru Proserpinam, licet alii fere omnes eam in Sicilia raptam fuisse narrent.

V. 5. *Helles:* urbes Hellesponti, Hellespontus, autem hodie est *lo stretto di Gallipoli*, ita dictus ab Helle Athamantis Regis Thebarum filia, quae novercam fugiens, Pontumque trajiciens, in mare decidit.

V. 7. *Atlanta.* Atlantem totum caelum humeris sustinentem. Atlas, Mauritaniae mons altissimus, cujus humeris caelum impositum fa-

Sectaque Persea Phorcidos ora manu,
Geryonae stabula, et luctantum in pulvere signa
Herculis, Antaeique, Hesperidumque choros;
Tuque tuo Colchon propelles remige Phasim.
Peliacaeque trabis totum iter ipse legas,
Qua rudis Argoâ natat inter saxa columbâ
In faciem prorae pinus adacta novae:
Et qua Gygaei visenda est ora Caystri,
Et qua septenas temperat unda vias;

bulati sunt poetae. *Sectaque*, amputatum Medusae caput manu Persei. Medusa Phorci filia, una ex Gorgonibus, cui quum capillos irata Pallas in taeterrimos angues mutasset, vim pessimam indidit ut quicumque in eam oculos dirigeret, protinus lapidesceret. At Perseus armis deorum instructus, monstrum obtruncavit, ex cujus capitis cruore Pegasus alatus equus emersit.

V. 9. *Geryonae*. Geryon rex fuit Hispaniae, quem tricorporem, seu tricipitem fuisse fabulati sunt; hunc Hercules interfecit, et ejus boves innumeros abegit in Graeciam. *Antaeique*. Si statuas aspicias Herculis, et Antaei pugnantium, et vestigia in pulvere impressa etc. Antaeus terrae filius, hospites ut secum decertarent cogebat, quos in lucta deinde enecabat. *Hesperidum*. Hesperides fuerunt tres sorores, hortosque habebant nemore aurifero pretiosos, quos pervigil servabat draco; hunc Hercules interfecit, pomaque abstulit. Poeta dicit in his hortis Hesperides choreas egisse *Colchon*. Atque in Colchicum Phasin impellas tuo remige. Phasis est fluvius maximus Colchidae regionis ex Armenia in Euxinum illabens. *Peliacaeque*. Peliaca trabs est navis Argo, quae Argonautas a Thessalia ad Colchidem duxit ad vellus aureum. *Argoa*. Argonautas monuerat Phinaeus ut columbam, quam eis viae ducem dederat ad Symplegadas insulas emitterent, quam ab Argo vocat Argoam. Sententia Poetae est: Ito, qua parte rudis pinus adacta, i. e. extructa in faciem, in formam scil navis recentis, fertur per cautes duce Argoa columba. Haec saxa sunt Symplegades insulae, quae procul videntibus apparent cautes et scopuli.

V. 15. *Gigaei Caystri*, Cayster, sive Caystrus fluvius Lidyae Gigaeus dicitur a Gyge Lydorum rege, et in Ionium illabitur. Commendatur amoenitas regionis illius et urbium, unde dicitur *visenda*. *Septenas*, et qua fluvius in septem alveos divisus moderatur minus rapidum reddit suum cursum. De Nilo dictum intelligas, cujus sep-

Omnia Romanae cedent miracula terrae:
Natura hic posuit quidquid ubique fuit:
Armis apta magis tellus, quam commoda noxae;
Famam, Roma, tuae non pudet historiae,
Nam quantum ferro, tantum pietate potentes
Stamus; victrices temperat illa manus.
Hic Anio Tiburne fluis, Clitumnus ab Umbro
Tramite, et aeternum Marcius humor opus.
Albanusque lacus socii Nemorensis ab unda,

tem ostiis nihil celebrius. *Miracula*, quaecumque alibi mirantur homines et visenda putant, ea in agro Romano sunt. P. *Ubique*, quidquid praeclari in reliquis regionibus fuit, natura hic collegit.

V. 19. *Apta*, Roma, tellus (ital. *paese*) magis idonea tractandis armis, quam proclivis, propensa damno inferendo. Romani enim gentes bello devictas non delebant, nisi forte saepius rebellantes, at in provinciae formam redigebant, et interdum civitate donabant. *Famam*, fama non erubescit historiam texere, seriem rerum a te gestarum praedicare; quia non potest argui mendacii. *Ferro*, quantum armis et bello, tantum religione, fide, et clementia valemus, P. *Illa* nempe pietas quae vi armatae opponitur.

V. 23. *Tiburne*, in hac regione laberis tu, o Tiburtine Anio. Latii fluvius prope oppidum Tibur, ital. *il Teverone*. *Clitumnus*; ital. *Clitunno*, fluvius Umbriae Mevaniam alluens. *Ab Umbro*, ab Umbriae silva fluit Clitumnus. Trames pro silva, quia illic frequentes tramites, P. *Marcius*, aqua Marcia monumentum numquam interiturum. Vide sup. El. 2. v. 12. *Albanusque*, ital. *Lago di Castel Gandolfo*. Lacus in Albano nemore prope Albam longam, de quo vaticinium fuit numquam potiturum Vejis Romanum, priusquam ejus aqua emissa foret, Liv. lib. 5. cap. 15. *Nemorensis*, ital. *Lago di Nemi*. Lacum hunc Albani socium vocat, vel quia ab eisdem fontibus oriri putabatur, vel quia non longe abest. *Nemus*, ait Servius ad Virgil. lib. 7. *locus est non longe ab Aricia, in quo lacus est, qui speculum Dianae dicitur*. Erit igitur sensus: et lacus Albanus qui oritur ab eodem fonte, a quo vicinus Nemorensis.

Potaque Pollucis nympha salubris equo.
At non squamoso labuntur ventre cerastae,
Itala portentis nec furit nnda novis.
Non hic Andromedae resonant pro matre catenae,
Nec tremis Ausonias, Phoebe fugate, dapes.
Ncc cuiquam absentes arserunt in caput ignes,
Exitium nato matre movente suo.

Potaque, et salubris aqua hausta ab equo Castoris. *Pollucis*, Juturna, fons, cujus aquam bibit Cyllarus equus Pollucis, vel Castoris. De Juturnae aquae salubritate Servius in illud 12. Aeneid. *Stagnis quae fluminibusque sonoris Praesidet. Juturna*, inquit, *fons est in Italia saluberrimus juxta Nnmicum fluvium*. ital. *Rivo di Nemi*, ex lacu Nemorensi prodiens. *Nympha*, recte pro lympha. *Brouk.* Tribuit Propertius Polluci, quod Castoris proprium est. Pollux enim pugil. Castor vero eques. De aqua Juturnae pota ab equo Pollucis vide Valer. Max. lib. 1. c. 8. Sveton. in Tiber. c. 20.

V. 27. *Labuntur*, at non serpunt hic cerastae quorum alvus squamis tecta est. Cerastes, serpens est. *Itala*, nec mare quod supra et infra Italiam alluit, agitatur inusitatis monstris, et immanibus belluis, qualia cete, quibus expositae Hesione, et Andromedae, P. *Pro matre*, hic non tinniunt catenae Andromedae quae matri debebantur: ob superbiam matris. Nam quia Cassiope uxor Cephei, mater Andromedae se Nereidas forma antecellere gloriabatur, Nymphae scopulo filiam alligarunt, et cete devorandam exposuerunt. Sed Perseus illac opportune iter faciens, occiso monstruo, eam liberavit, et in uxorem duxit. *Tremis*, nec tu, o Phoebe, ab instituto cursu retrocedis horrens Ausonias epulas, quemdamodum horruisti Tracias et Mycenas, quum Thyesti Atreus frater, Tereo autem Thraciae regi conjux Progne, proprios filios comedendos apposuerunt. Italorum enim mensae humanis carnibus non istruuntur. Fingunt poetae Solem, ne Thyesteam coenam spectaret retrocessisse.

V. 31. *Cuiquam*, nequa in cujusquam absentis vitam accensi sunt ignes, matre moliente necem filio suo. De Meleagri fato id intelligendum Meleagro recenter nato, mater Althaea visa sibi est tres Parcas igni assidentes videre, manuque stipitem tenentes, aequalem, puero cum stipite vitam assignare. Quare Althaea extinctum stipitem diligentissime asservavit. Quum vero nuntiatum esset a Meleagro

Penthea non saevae venantur in arbore Bacchae;
  Nec solvit Danaas subdita cerva rates.
Cornua nec valuit curvare in pellice Juno,
  Aut faciem turpi dedecorare bove:
Arboreasque cruces Sinis, et non ospita Gratis
  Saxa, et curvatas in sua fata trabes.
Haec tibi, Tulle parens, haec est pulcherrima sedes,
  Hic tibi pro digna gente petendus honos.

jam adulto avunculos suos interfectos, illa ob fratrum mortem doloris impatiens fatalem illum stipitem in ignem conjecit, quod exusto, Meleager etiam absens consumtus est: Vide Ovid. Metam. I. 8 *Penthea*, crudeles et infestae Maenades, mater Agave, et matris duae sorores Ino et Autonoe non sectantur, nec captum lacerant Penthea, quasi aprum. *Solvit*, ital. *fa uscire* naves e portu. De cerva, Iphigeniae loco ad sacrificium supposita, accipias.

V. 35. *Curvare*, formare cornua recurva in fronte pellicis, ital. *far nascere in fronte alla rivale*; aut humanum vultum illius foedare vaccae turpi forma. De Io Inachi fluminis filia, a Jove in juvencam Junonis caussa conversa, vide Ovid. Metam. 1. *Sinis*: latro fuit famosissimus, qui Corinthia cum isthmum infestabat, duasque arbores flectebat, quibus simul flexis homines adligabat; deinde utraque arbore in sublime obnitente, eorum membra discerpebantur. *Cruces* hic posuit Poeta pro quovis instrumento quod crnciet: *Non hospita Grajis*; saxa Scyronis a latrone Scyrone Megarensi sic dicta, qui viatores ab his saxis in mare praecipites agebat: *Curvatas.* His ultimis verbis denotat Poeta, Theseum eadem omnino poena affecisse Sinin latronem, qua is alios effecerat. Haec omnia flagitia, quae fuerunt apud Graecos, scil. Meleager interfectus a matre, ab Agave filius Pentheus discerptus in frustra: Iphigenia virgo mactata: feminae in vaccas mutatae; latrones grassantes, arbores flexae in sui ipsius perniciem, Romae non extant, nec in Italia audiuntur.

V. 39. *Haec*, scil. urbs Roma est tibi mater. *Sedes*, domicilium. *Pro digna*, hic ambiendi, capessendique magistratus, ut dignitas et nobilitas gentis vestrae postulat. Suspicor, hunc Tullum, L. Volcatii Tulli, fratris filium fuisse, qui collega fuit, in secundo consu-

Hic tibi ad eloquium cives, hic ampla nepotum
Spes, et venturae conjugis aptus amor.

latu Augusti, P. Ad *eloquium* praesto erunt qui tuam facundiam audiant et probent. Sunt hic cives quos eloquio tuo juvare possis, P. *Ampla*, magna posterorum spes. *Venturae*, vel futurae, vel quae domum veniet, et arcesserunt, P. *Aptus*, an facilis? an decens et conveniens? *Id.*

ELEGIA XVII.

Tabellarum, quibus arcana ipse sua committere consueverat, jacturam dolet.

Ergo tam docta nobis periere tabellae,
Scripta quibus pariter tot periere bona!
Has quondam nostris manibus detriverat usus,
Quid non signatas jussit habere fidem.
Non illas fixum caras effecerat aurum.
Vulgari buxo sordida cera fuit.
Qualescumque mihi semper mansere fideles;
Semper et effectus promeruere bonos.
Me miserum! his aliquis rationem scribit avarus
Et ponit duras inter ephemeridas.

V. 4. *Qui.* Etsi illae tabellae non essent sigillo munitae, usus fecit ut fides eis haberetur: detritae enim erant, et manibus meis, veluti consumptae.

V. 5. *Fixum*, lamellae aureae affixae pretiosas reddiderant, auro enim citreae, vel eburneae tabellae ornabantur. *P. Vulgari*, in communi, ital. *ordinario*, buxo erat illita vilis, decolor cera; vulgare buxum praeter vilem ceram, nullum aliud ornamentum habebat. *Fideles*, licet viles, semper tamen fidem mihi servarunt P. *Promeruere*, semper, laetos et secundos rerum exitus consecutae sunt. *Mereri, et promereri* est praestare beneficium, *Id.*

V. 9. *Scribit*, describit rationem, ital. *nota gl' interessi suoi*, *i conteggi*, *le partite ec. Ephemeridas*, Ephemeris est commentarium rerum, quus quotidie facimus, diarium It. *il Giornale*. *Duras* nominat ob avarorum duritiem.

Quas si quis mihi retulerit, donabitur auro
  Quis pro divitiis ligna retenta velit?
I puer, et citus haec aliqua propone columna
  Et dominum Esquiliis scribe habitare tuum.

V. 13. *Citus*, properus propone haec, ital. *affigi questo avviso. Columna*. In pilis et columnis proponere solebant non tantum qui rem aliquam amisissent, sed etiam qui invenissent, ut ex Plauto colligitur Rud. Act. 5. Sc. 2. Res amissae interdum praeconis voce requirebantur. *Scribe*, et significa herum tuum. *Esquiliis*, in colle Esquilino. In libellis propositis notabant habitationem, *P.*

SEXTI AVRELII

PROPERTII

EX LIBRO IV.

ELEGIA I

Fingit, se, dum originem atque incrementum rerum Romanarum carmine persequi vellet, admonitum a quodam Babylonio astrorum perito, ut intra gyrum ingenii sui consistens, Elegos tantum luderet.

Hoc quodcunque vides, hospes, qua maxima Roma est,
Ante Phrygem Aeneam collis et herba fuit.
Atque ubi Navali stant sacra Palatia Phoebo,
Evandri profugae concubuere boves.
Fictilibus crevere Deis haec aurea templa;
Nec fuit opprobrio facta sine arte casa.
Tarpejusque pater unda de rupe tonabat,
Et Tiberis nostris advena bubus erat.

V. 3. *Stant*, surgit Palatium Apollini Navali dicatum ob navalem ad Actium victoriam. *Navali*. Augustus, toto pene terrarum orbe pacato, animum ad religionem appulit, deorum templa vetustate diruta instaurans, novaque de manubiis hostilibus aedificans. Apollinem vero praeter ceteros coluit, cujus ope se Actiacam victoriam consecutum existimabat; eique Palatinam aedem dedicavit. *Evandri*. Evander fuit ex Arcadia. Quum casu patrem occidisset, avito regno pulsus in Italiam venit, pulsisque Aboriginibus populis ea loca tenuit, ubi postea Roma condita est. *Fictilibus Deis*. Ex fictilibus simulacris templa aurea in hanc majestatem excreverunt. *Advena*, erat peregrinus armentis nostris. Adeo exiguis finibus priscorum Quiritium ditio continebatur, ut Tiber extra Romanum territorium efflueret.

Qua gradibus domus ista Remi se sustulit olim,
  Unus erat fratrum maxima regna focus.
Curia, praetexto quae nunc nitet alta senatu,
  Pellitos habuit rustica corda patres.
Buccina cogebat priscos ad verba Quirites:
  Centum illi in prato saepe senatus erant;
Nec sinuosa cavo pendebant vela theatro;
  Pulpita solemnes non oluere crocos,
Nulli cura fuit externos quaerere divos,
  Quum tremeret patrio pendula turba sacro,
Annuaque accenso celebrare Palilia foeno,
  Qualia nunc curvo lustra novantur equo,
Vesta coronatis pauper gaudebat asellis;
  Ducebant macrae vilia sacra boves.

V. 9. *Qua*, scil. parte *gradibus*, seu paullatim domus Remi, id est Roma se sustulit.

V. 13. *Buccina*, cornu convocabat ad concionem priscos Quirites *Centum illi*, a Romulo lecti Patres, *saepe in prato* coeuntes, constituebant senatum. *Vela theatro*. Vide Prop. l. 3. El. 14. v. 13 *Pulpita*, ital. *palchi*, perfusa non fuere odorato Croco, ut nunc assolet. Pulpitum, suggestus qui in morem arae in proscenio excitabatur, et inserviebat histrionibus, recitantibus, ut ex editiore illo loco facile a spectatoribus conspicerentur. *Solemnes* qui sparguntur ludis solemnibus, sive anniversariis, et qui statis fiunt diebus.

V. 17. *Exsternos*, advenas, alienigenas. Hoc cautum erat Lege XII. Tab. *Tremeret pendula*, suspensa esset deorum metu et religione, re divina more rituque patriae facta, P. *Annuaque*, et nulli tunc erat curae tam magnifice celebrare Palilia, structo igne ex foeno, per quem saltarent, quam magnifice nostro saeculo renovantur, instaurantur lustra *equo curvo*, scil. *equi curvi* sanguine: alludit ad equi immolationem, ut recte observavit Beroaldus qui *curvatus* mactabatur. Alii legunt *curto*, scil. equo cauda mutilo. Vid. Hor. l. 4. Sat. 6. v. 105. *Lustra*. De censione equitum lustrica, sive quinquennali hic agi arbitror de qua Plutarchus in Pompejo. *Palilia* XI. Cal. Majas celebrari solebant.

V. 21. *Pauper*. Vesta tunc pauper contenta erat panibus coronari asellos. *Macrae*, boves attenuatae opere et aratro, adeoque macilentae vehebant in plaustris ad templum simulacra e vili materia:

Parva saginati lustrabant compita porci:
  Pastor et ad calamos exta litabat ovis.
Verbera pellitus setosa movebat arator,
  Unde licens Fabius sacra Lupercus habet.
Nec rudis infestis miles radiabat in armis;
  Miscebant usta proelia nuda sude.
Prima galeritus posuit praetoria Lucmo,
  Magnaque pars Tatio rerum erat inter oves:
Hinc Tatiens Ramnesque viri, Luceresque coloni;
  Quatuor hinc albos Romulus egit equos.

quod argumentum erat paupertatis. *Saginati*, sues altiles mactabantur lustrandis compitis, sine sumtu et magnificentia. *Compita*, ital. *crocicchj, trebbj, imboccature di più strade*. *Exta*: sacrificabat ovem, ejusque extis caesis et porrectis deos placabat, non, ut temporibus Propertii, ad tibiam, sed ad fistulam e calamis.

V. 25. *Pellitus*, agricola pelle indutus quatiebat flagella ex hispidis pellibus caprinis, cujus exemplo nunc protervi Luperci Fabii habent, celebrant sua sacra. *Nec rudis*, et milites tunc rudes, inculti, militaris disciplinae imperiti non fulgebant, splendorem non emittebant, minacibus, infensis armis. *Proelia nuda*, conserebant pugnas sine ferro, sine armis militaribus, sude ambusta.

V. 29. *Galeritus Lucmo* (idem quod Lucumo) fuit unus e Tuscorum regibus, qui contra Romanos pugnavit: a quo Luceres dicti sunt. Ubi primum constitutus est populus Romanus, statim divisus est in Ramnenses a Romulo, in Tatienses a Tatio, inque Luceres a Lucumone. Vocatur Lucmo *galeritus* a quodam pilei genere, quo utebantur veteres Romani. Lucmo dicitur a Poeta prima praetoria posuisse; nam tabernaculum quoddam constituit, in quo esset dux, seu imperator in castris; adpellavitque praetorium, quia magistratus omnis, cui parebat exercitus, praetor vocabatur. *Tatio*. Tatius rex fuit Sabinorum, cum quo Romulus imperium sociavit. *Quatuor*. A parvis initiis ita rem suam auxit Romulus, ut quadrigis albis invectus sit in urbem, triumphum agens de Ceninensibus, de Fidenatibus, de Camerinis, et non semel de Vejentibus.

Quippe suburbanae parva minus urbe Bovillae,
Et, qui nunc nulli, maxima turba Gabi,
Et stetit Alba potens, albae suis omine nata,
Hac, ubi Fidenas longe erat ire, via.
Nil patrium, nisi nomen, habet Romanus alumnus;
Sanguinis altricem nunc pudet esse lupam.
Huc melius profugos misisti, Troja, Penates.
O quali ducta est Dardana puppis ave!
Jam bene spondebant tunc omina, quod nihil illam
Laeserat abiegni venter apertus equi,
Quum pater in gnati trepidus cervice pependit,
Et verita est humeros, urere flamma pios.

V. 33. *Parva urbe*, quum Roma parva esset Bovillae erant minus suburbanae, minus proximae, magis ab ea distabant; postea vero, aucta urbis magnitudine, moenibus Romanis propriores esse coeperunt, et suburbanae magis, *ex Vulp. Bovillae*, vicus ad undecimum lapidem Appiae viae. *Nunc nulli*, quorum nunc vix extat vestigium, erat oppidum maxime frequens. *Gabi* pro Gabii, urbs olim Latii, in via Praenestina, media inter Romam ad Occ. et Praeneste ad Or. ad duodecim passuum millia, ubi nunc *Campo Gabio*. *Stetit*, fuit, floruit etiam olim potens Alba condito omine, ostento albae suis, ea via qua ire Fidenas, erat longe ire. Quum enim angusti essent Romanorum fines, etiam qui breve iter suscipiebant peregrinari videbantur. De Alba quae nomen habuit ab albae suis inventae ostento, vide Virg. 3. Aeneid. a versu 389. Fidenae, oppidum Latii nunc vicus Sabinae provinciae ad Tiberim, *Castel Giubileo*.

V. 37. *Nil Patrium*. populus quem alit Roma, Romae soboles nihil praeter nomen retinet sui conditoris. Nam Romuli paupertatem non habet. *Sanguinis*, pudet Romanum populum fateri lupam fuisse nutricem gentis nostrae. Lupa enim quae Romulum aluisse dicitur, simul Romanos educasse videtur. *Melius*, ergo in Italiam et Romam felicius Troja, misisti deos patrios exules, quam si retinuisses, P. *Quali*, o quam dextro, fausto auspicio ducta est, ital. *fu guidata*, Trojana navis, idest, vehens Troianos.

V. 41. *Spondebant*, jam tunc faustum pollicebantur eventum auguria; quod puppi Aeneae, et Aeneae ipsi antequam Troja excederet et navem conscenderet, nihil nocuerit equus ligneus. Faustum hoc erat felixque signum. *Pater trepidus*, i. e. Anchises, *Verita*, timuit, non ausa est laedere humeros pii herois.

Tunc animi venere Deci, Brutique secures,
Vexit et ipsa sui Caesaris arma Venus,
Arma resurgentis portans victricia Trojae,
Felix terra tuos cepit, Iule, deos.
Si modo Avernalis tremulae cortina Sibyllae
Dixit Aventino rura pianda Remo:
Aut si Pergameae sero rata carmina vatis
Longaevum ad Priami vera fuere caput:
» Verite equum, Danai; male vincitis. Ilia tellus
Vivet; et huic cineri Jupiter arma dabit ».

V. 45. *Venere*: illo ipso tempore venit in Italiam animosus Decius et severus Brutus, et Venus ipsa advexit suum fortem et bellatorem Caesarem. Venere quodammodo Decius et Brutus cum Aenea, qui fuit Romanae stirpis origo: et videtur ipse illos advexisse antequam nascerentur. *Bruti*. Brutus heros ille Romanus, qui Reges Roma ejecerat, et filios suos revocandis in urbem regibus studentes securi percuti jussit. *Venus*, quia duce Venere Aeneas, et Julus in Italiam venere, unde Julia gens, *Id. Resurgentis*, o Jule, qui huc portasti arma Trojae, quae in fatis erat ut resurgeret, arma inquam, olim victricia futura, felix haec terra diis cara Italia excepit hospitio Penates tuos. Deos Penates intelligit, quos Aeneas in Italiam ex Phrygia detulit, de quibus supra. De Julo Aeneae filio Virgilius identidem.

V. 49. *Si modo*; id est, felix terra, si modo Sibylla Cumana annosa prope Avernum lacum degens vera dixit in cortina, i. e. ex tripode, scilicet rura et agros expiandos esse sanguine Remi Aventini. Remus dicitur Aventinus, vel quia in monte Aventino captavit auguria, vel quia ibi sepultus in loco qui dicitur Remuria. *Aut si*, aut si vera fuere vaticinia vatis Cassandrae ad senem Priamum, ital. *fatti al vecchio padre Priamo*, sero comprobata, exitio scil. Trojanornm; qui non nisi malo suo crediderunt. Caput Priami, pro ipso Priamo.

V. 53. *Vertite*. Verba Cassandrae ad Graecos: Retro adducite ligneum equum in castra vestra: perniciosa vobis haec futura victoria. *P.* vincetis vestro damno; vincetis, at victoriae vos poenitebit. Nam, male vincit is, quem poenitet victoriae ait P. Syrus. *Vivet*, Ilion ipsum et urbs Troja vigebit et florebit viris, *P.* it. *tornerà a vivere*, resurget: et his reliquiis Trojae incensae Jupiter vires et arma suppeditabit, Romani enim a Trojanis oriundi Graeciam, Romano

Optima nutricum nostris Lupa Martia rebus,
Qualia creverunt moenia lacte tuo!
Moenia namque pio conor describere versu,
Heu mihi, quod nostro parvus in ore sonus!
Sed tamen exiguo quodcumque in pectore rivi
Fluxerit, hoc patriae serviat omne meae.
Ennius hirsuta cingat sua dicta corona;
Mi folia ex hedera porrige, Bacche, tua.
Ut nostris tumefacta superbiat Umbria libris,
Umbria Romani patria Callimachi,
Scandentes si quis cernet de vallibus arces,
Ingenio muros aestimet ille meo.
Roma fave, tibi surgit opus: date candida cives
Omina, et inceptis dextera cantet avis.
Sacra, diesque canam, et cognomina prisca locorum:
Has meus ad metas sudet oportet equus.

imperio subjicient. *Optima*, o Lupa Martia prestantissima educatrix Romanae reipublicae. *Martia*, quia lupi in tutela Martis esse dicebantur. *Qualia*, quali amplitudine et splendore creverunt moenia urbis Romae lacte tuo, quo aluisti conditorem urbis Romulum, cujus posteri Romani, P.

V. 57. *Moenia*, haec autem moenia, hanc urbem conor ego describere, ital. *divisare*, carminibus piis, scil. quae meam erga patriam pietatem testentur. *Namque*, pro *autem*. *Parvus sonus* debilis, tenuis vox resonat ab ore meo. Exiguum ingenium ac tenues vires designat.

V. 63. *Cingat*, libros et scripta sua exornet frondibus hirsutis et asperis, quales sunt myrti et lauri, P. *Bacche*, at mihi Bacche, cedo, da, praebe coronam ex hedera, qui poetarum Lyricorum et Elegiacorum pater es, P. *Tumefacta*, ut Umbria patria mea antiqua inflettur et superba sit meis Elegiarum libris, sumatque superbiam quaesitam meritis. Callimachi nomen ambiebat Propertius Vide Eleg. 1. lib. 3. *Id.*

V. 65. *Scandentes*, si quis spectabit de plano et humili et cavo campo arces se se attollentes, id est aedificia, turres.

V. 69. *Diesque*, de rebus sacris, et festis diebus, et antiquis locorum nominibus loquar. *Metas*, hoc erit mihi spatium quod decur-

Dicam, Troja cades, et Troja Roma resurges,
  Et maris, et terrae longa sepulcra canam.
Quo ruis imprudens vaga dicere facta, Properti?
  Non sunt ab dextra condita fila colo.
Aversis Charisin cantas: aversus Apollo
  Poscitur invita verba pigenda lyra.
Certa feram certis auctoribus; haud ego vates
  Nescius cerata signa movere pila.
Me creat Archytae soboles Babylonius Horos.
  Horos, et a proavo ducta Conone domus.

ram, P. *Dicam*, canam. *Et sepulcra:* referri debent haec verba ad Graecos, qui terra marique perierunt. *Quo ruis.* Genethliacus, ille Babylonius ad quem huc usque locutus est Propertius, orationem poetae interrumpit, atque audentem viribus majore ab hac temeritate dehortatur. *Vaga*, dispersa, incerta, dubia. *Condita*, fila tuae telae confecta, deducta non sunt a felici colo: vel, opus tuum contextum non est a felici colo. *Fila.* Beroaldus ad Parcarum stamina putat allusum, quae non dedere ingenium Propertio ad grave carmen. Parcae, inquit, non nevere tibi fila et stamina apta rebus et versibus grandibus. *Pass.*

V. 75. *Aversis*, infestis, adversantibus tibi Gratiis canere aggrederis. *Poscitur*, Apollinem tibi infestum poscis carmina, quorum te poenitebit, renuente cithara. *Certa.* Inducitur Astrologus, a quo Poeta fingit, de rebus futuris se edoctum, qui inquit, se scire movere sphaeram aeneam instar pilae rotundam, quam Archimedes invenit. *Feram*, dicam, proferam.

V. 79. *Archytae.* Me procreavit Horos Babylonius Architae filius. Archytas fuit Philosophus eximius Pythagoricus, patria Tarentinus. Horos, vel Horus dicitur Babylonius non a patria sed a professione; Babylonii enim, et Chaldaei peritissimi Astrologi semper habiti. *Conone.* Et mea domus a Conone, proavo orta est, Conon insignis fuit Mathematicus ex insula Samo oriundus. *Degenerasse* testor Deos, me non descivisse ab eorum qui me progenuerunt, institutis; et in scriptis, vaticiniis meis nihil praestantius esse, scil. primum locum habere veritatem.

Dî mihi sunt testes non degenerasse propinquos
  Inque meis libris nil prius esse fide,
Nunc pretium fecere deos, et fallitur auro
  Jupiter: obliquae signa iterata rotae;
Felicesque Jovis stellas, Martisque rapacis,
  Et grave Saturni sidus in omne caput,
Quid moveant Pisces animosaque signa Leonis;
  Laetus et Hesperia quid Capricornus aqua.
Dixi ego quum geminos produceret Arria natos,
  (Illa dabat natis arma vetante deo)
Non posse ad patrios sua pila referre penates:
  Nempe meam firmant nunc duo busta fidem.
Quippe Lupercus eques dum saucia protegit ora,
  Heu sibi prolapso non bene cavit equo.
Gallus at in castris dum credita signa tuetur,
  Concidit ante aquilae rostra cruenta suae.
Fatales pueri, duo funera matris avarae:
  Vera, sed invito contigit ista fides.
Idem ego, quum Cynarae traheret Lucina dolores,
  Et facerent uteri pondera lenta moram,

V. 83. *Pretium.* Deorum religionem, inquit Astrologus, retulerunt in lucrum, et quaestum Jupiter ipse auro dicitur falli ab Astrologis, dum ipsi ob aurum lucrandum adsignant stellam Jovis faustam in genitura. *Signa.* Profitetur Astrologus, se dicturum siderum caelestium naturam, quam habet perspectissimam; scil cur Zodiaci tramitem Sol oblique percurrat: cur stella Jovis sit benigna, Martis malefica, Saturni perniciosa, quid Pisces, quid Leo, quid Capricornus in genitura portendant. *Laetus*: laetitia gestiens, superbus in suo regno maris occidentalis, *Kuinoel.*

V. 89. *Dixi*, equidem praedixi, inquit, quum Arria liberos duos ad bellum mitteret et prosequeretur, non relaturos arma ad patriam domum. *Vetante*, diis invitis, contra deorum voluntatem. *Pila*, pilum gravis hasta, propria militum Romanorum. *Duo funera*, ital. *due vittime*, *Avarae*, quae eos ad bellum miserat spe praedae. *Vera*, certa fides venit meis dictis, sed tamen maluissem non contigisse, *P.* ital. *contro la mia volontà riuscì vera questa predizione.*

V. 99. *Cynarae.* Astrologus Cynarae puellae parturienti, sine mortis periculo parituram praedixit, si Junoni, seu Lucinae parien-

Junoni votum facite impetrabile, dixi,
Illa parit: libris est data palma meis.
Hoc neque arenosum Libyci Jovis explicat antrum,
Aut sibi commissos fibra locuta deos:
Aut si quis notas cornicis senserit alas:
Umbra neque haec magicis mortua prodit aquis:
Adspicienda via est caeli, versusque per astra
Trames, et ab zonis quinque petenda fides.
Exemplum grave erit Calchas: nemque Aulide solvit
Ille bene haerentes ad pia saxa rates.
Idem Agamemnoniae ferrum cervice puellae
Tinxit, et Atrides vela cruenta dedit.
Nec rediere tamen Danai: tu diruta fletum
Supprime, et Euboicos respice, Troja, sinus.

tium praesidi, votum exorabile faceret: quod quum evenisset, libris Astrologicis habita est maxima fides.

V. 103. *Libyci Jovis*; i. e. Jovi Hammonis in extrema Libya situm. *Fibra*, fibrae sunt extremae orae jecinorum, quae ab haruspicibus inspiciebantur, ut deorum mentem ac voluntatem, in iis indagarent. *Deos*, deorum numen et voluntatem, P. *Aut si quis*, neque id aperit quicumque intellexerit volatus cornicis; neque haec produnt, aperiunt umbrae mortuorum hominum magicis aquis aspersae.

V. 179. *Trames versus* Zodiacum intelligit. De zonis dictum est saepissime. *Calchas*. Haruspicinam esse mendace exemplo Calchantis harioli ostendit. Quum Graeci ex Aulide portu solvissent, Calchas eos sospites a Troja eversa in patriam redituros praedixit, quod secus accidit; nam omnes Graeci ad Euboicos sinus, i e. ad Caphareum promontorium, ad quod Nauplii dolo Graeca classis delata est, perierunt. Melius igitur classis Graecorum haesisset in Aulide ad pia saxa: ideo pia, quia prohibebant caedes, cladesque Graecorum. Scribit Strabo l. 9. eam regionem, ubi Aulis portus est saxosam esse.

V. 111. *Agamemnoniae*. Calchas Iphigeniam Agamemnonis filiam ad placandos ventos, ac Dianam, quum in Aulide haereret classis Graecorum, jussit immolari: inde Atrides, i. e. Agamemnon dux Graecorum, sanguine filiae cruentatus in Trojam navigavit. *Euboicos sinus*, ital. *Golfo di Negroponte*.

Nauplius ultores sub noctem porrigit ignes,
Et natat exuviis Graecia pressa suis.
Victor Oilide, rape nunc, et dilige vatem,
Quam vetat avelli veste Minerva sua.
Hactenus historiae: nunc ad tua devehor astra:
Incipe tu lacrymis aequus adesse novis.
Umbra te notis antiqua penatibus edit.
Mentior? an patriae tangitur ora tuae?
Qua nebulosa cavo rorat Mevania campo,
Et lacus aestivis intepet Umber aquis,
Scandentisque arcis consurgit vertice murus,
Murus ab ingenio notior ille tuo.

V. 115. *Ultores.* Nauplius ulciscendi filii caussa noctu lumen procul ostendit et Graeci onere oppressi spoliorum tuorum, fluitant, naufragium faciunt. Nauplius Palamedis pater, Euboeae rex, ut filium a Graecis proditum ulcisceretur, lumen e scopulo, redeunti eorum classi proposuit, apud Caphareum Euboeae promontorium. Illi vero portum esse rati ubi fax appareret, citissimo cursu illuc delati naves omnes misere fregerunt. *Oilide*, Astrologus insultat Ajaci Oilei filio, qui quum deperiret Cassandram Vatem, et propterea in templo Minervae, quae eam violari vetarat, vim ille intulisset caussa fuit potissima Graecorum naufragii.

V. 119. *Historiae*, huc usque narratae sunt fabulae, inquit Astrologus, nunc devenio ad tuum natale astrum, *horoscopon*, vel fetum. *Incipe adesse*, adesto. *Aequus*, benignus, libens. *Lacrymis novis*, carmini novo et indicto, quod tristia, et lugubria contineat, P. *Notis*, claris majoribus, vel nota, clara regione in lucem edidit. *Mentior*? an vera non dico? an regio et situs patriae demonstratur quasi tactu? P. *Mentior*, ital. *eh non m' apposi*?

V. 123. *Qua*, situm loci notat. Mevania, urbs Umbriae sita ad Viam Flaminiam. *Nebulosa*, quia valles exhalant nebulas. *Rorat*, manat rore et humore multo. *Cavo*, humili depresso, quasi subsidente, P. ob depressas valles. *Lacus*, et aquae Lacus Umbri tepidae fiunt aestatis tempore. *Lacus*. Quis est ille *Umber lacus*, et quidem *tepens*? Thaddaeus Donnola in suo lib. de patria Propertii, Clitumni fluvii fontes HISPELLO proximos per *Lacum Umbrum* designari contendit *Vertice*, et in jugo clivi assurgentis attollitur murus; murus, inquam, licet per se nobilis, nobilior tamen factus et celebrior ingenio tuo.

Ossaque legisti non illa aetate legenda,
  Patris, et in tenues cogeris ipse lares.
Nam tua quum multi versarent rura juvenci,
  Abstulit excultas pertica tristis opes.
Mox, ubi bulla rudi dimissa est aurea collo,
  Matris et ante deos libera sumta toga:
Tum tibi pauca suo de carmine dictat Apollo,
  Et vetat insano verba tonare foro.
At tu finge elegos, fallax opus: haec tua castra;
  Scribat ut exemplo cetera turba tuo.
Militiam Veneris blandis patiere sub armis,
  Et Veneris pueris utilis hostis eris.
Nam tibi victrices, quascumque labore parasti,
  Eludet palmas una puella tuas.

V. 127. *Legisti.* Cremato cadavere et exstincto rogo, propinqui ac necessarii ossa et reliquias legere, et urnis inclusas tumulo inferre solebant. *Illa aetate*, vel quia ipse adhuc puer, vel quod pater nondum senex, P. *Cogeris*, compelleris in angustam domum matris. Videtur Propertius sub matris custodia fuisse, et arcte habitus. *Id. Rura*, fundos, possessiones. *Pertica.* Funesta decempeda ademit tibi excultos agros Fortasse ademtos fuisse Propertio agros, significat in proscriptione Syllana, ac decempedis mensos veteranis attributos.

V. 131. *Mox*, deinde quum tibi rudi et imperito rerum adolescenti dempta fuit e collo bulla aurea, *Bulla* heec in cordis figuram ante pectus pueris ingenuis ornamentum erat. *Ante deos.* Ingenui ephebi auream bullam suspendebant Laribus: idcirco probabile, coram iisdem consuetos togam virilem sumere.

V. 135. *At tu*, tu autem; quare tu scribe elegos, opus aptum ad fallendum et delectandum. *Castra*, hic te merere oportet, et stipendia facere; ut multitudo aliorum poetarum te imitetur, P. *Patiere*: Veneris militiam tolerabis in jucundis armis, sub signis blandae Veneris militiam feres, militabis. *Hostis.* Tecum bellum gerent Cupidines; eorumque gloriam cum iis bellando augebis, adeoque utilis hostis eris Veneris pueris: ital. *agli Amorini.*

V. 139. *Victrices*, quotquot autem industria quaesivisti laudes et glorias una puella tibi extorquebit, et eripiet. Alludit ad palmas gladiatorum, quss omnes amittebant semel victi, P. *Victrices*, indices victoriae; *Id. Eludet*, ina-

Et bene quum fixum mento decusseris uncum,
  Nil erit hoc, rostro te premet ansa suo.
Illius arbitrio noctem lucemque videbis,
  Gutta quoque ex oculis non nisi jussa cadet.
Nec mille excubiae nec te signata juvabunt
  Limina: persuasae fallere rima sat est,
Nunc tua vel mediis puppis luctetur in undis,
  Vel licet armatis hostis inermis eas.
Vel tremefacta cavo tellus deducat hiatu:
  Octipedis Cancri terga sinistra cave.

nes reddet. *Uncum*. Quo magis ab conjugii jugo te subducere conaberis, huc arctius alligaberis: metaphora sumpta ab unco illo, qui reorum gutturi, collo, aut mento impigebatur, ut traherentur in carcerem. *Ansa*, unci pars instar ansae formam curvata te retinebit, adstringet rostro suo, scil. adunco et recurvo ferro.

V. 143. *Noctem*, illius arbitrio dormies, et vigilabis. *Gutta cadet*, erit illa, illius superbia, lacrymarum tuarum unica caussa, nec tamen illa invita flere licebit. Ita variis, et egregiis coloribus poeta exornavit sententiam hanc Cynthiae servies, ejus arbitrio te submittes.

V. 145. seq. Ita sensum constituit Barthius: custodes amicae pervigiles appositi nihil te juvabunt, neque etiam ipsa limina obsignata. Nam si fallere vult, eique hoc persuasum est, vel rimula satis est, scilicet minima. *Luctetur*. Negat Astrologus Propertio metuendum esse naufragium, bellum, terrae motum: *Octipedis cancri*: tantum cave signum *Cancri* multipedis. Cancrum astrologis est avaritiae signum. Itaque, opinor, perstringit Cynthiae avaritiam, cujus natale astrum fuerit *Cancer*.

ELEGIA II.

Vertumnus quem Poeta loquentem inducit, ostendit cur dicatur VERTUMNUS, quod scil. in omnes verti possit figuras, adeoque colendum non solum a rusticis, sed ab omnibus.

Quid mirare meas tot in uno corpore formas?
Accipe Vertumni signa paterna dei.
Tuscus ego, et Tuscis orior: nec poenitet inter
Proelia Volsinios deseruisse focos.
Haec me turba juvat: nec templo laetor eburno:
Romanum satis est posse videre forum.
Hac quondam Tiberinus iter faciebat: et ajunt
Remorum auditos per vada pulsa sonos.
At postquam ille suis tantum concessit alumnis,
Vertumnus verso dicor ab amne deus.
Seu quia vertentis fructum praecepimus anni,
Vertumni rursus creditur esse sacrum.

V. 1. *Tot*, tam varias et multiplices figuras, P. *Signa*, notas, quibus possis eum agnoscere, audi et intellige. *Id. Paterna*, pro patriis videtur dixisse: sequitur enim: *Tuscus ego*, Id. *Orior*, sum Tuscus, e Tuscis ortus sum, originem ex Etruria duxi. Volsinienses in populis Etruriae numerat Plinius l. 3. c. 5 *Poenitet*, non male actum mecum puto, quod deseruerim sedes et penates meos, P. *Volsinii*, Etruriae oppidum. *Inter praelia*, eo nimirum tempore, quod describitur infra v. 51. seqq

V. 5. *Turba*, hac turba, frequentia populi scil. Romani delector: nec placet aedes ebore et auro exculta. *Romanum*, ubi jus dicebatur, P. *Hac quondam*, hac parte olim fluebat Tiberis. Velabrum ostendit. A Velabro autem Tiberis alveum aversum fuisse ab Agrippa Menenio scribit Porphyr.

V. 9. *Concessit alumnis*, i. e. Romanis, ut eorum caussa averteret iter, et viam concederet. *Praecipimus*, seu quia primi cepimus, id est, ego primos habeo fructus anni (ital. *stagione*) vertentis, qui scil. vertitur, in cursu est. Vertumnalia mense Octobri celebrabantur.

Prima mihi variat liventibus uva racemis ,
Et coma lactenti spicea fruge tumet.
Hic dulces cerasos, hic autumnalia pruna
Cernis, et aestivo mora rubere die.
Insitor hic solvit pomosa vota corona,
Quum pirus invito stipite mala tulit.
Mendax fama noces : alius mihi nominis index :
De se narranti tu modo crede deo.
Opportuna mea est cunctis natura figuris,
In quamcumque voles, verte ; decorus ero.
Indue me Cois ; fiam non dura puella :
Atque virum sumta quis neget esse toga ?

V. 13. *Variat.* Mihi prima uva variat, nigrescit, variat, faciem in racemis maturescentibus. Primitias sibi voveri significat. *Coma spicea* , et spica comata impletur lactescente frumento , tenero adhuc et lactis pleno. *Hic*, apud me: inquit Vertumnus, cernis dulces cerasos; quarum scil. fructus dulcia, vel mites et maturos: arborem autem pro fructu posuit, P: *Autumnalia*, sub autumnum maturescentia licet sint et aestiva, sed quaedam sunt seriora, *Id. Rubere*, nam mora, antequam matura sint, rubent Rubere vero etiam dicuntur, quae nigrescunt, *Id. Aestivo die*, quum aestas fervet maxime.

V. 17. *Insitor*, ut spices dabatur Cereri corona, sic pomosa Vertumno Pomonae marito, e ramis implexis cum suis pomis, quibus ei caput cingebat insitor, P. ital. *l' innestatore*, hic apud me, solvit reddit debita vota corona e ramis implexis cum suis pomis, quum pirus, trunco invito reluctante, protulit fructus. *Invito*, trunco coacto, nec libenter alienos foetus sustinente, et alente, P. *Noces*, laedis me mihi molesta es, quis numen meum imminuis falsa verbi origine disseminata, *Id. Alius index*, tu qui aliam mihi nominis originem affingis, adde fidem deo de se verba facenti, loquenti; vel alius est mihi index nominis, aliud est scil. quod indicat, notat meum nomen; alia est origo, nominis mei; quod nempe vertor in quamcumque figuram.

V. 23. *Cois*, vestibus Cois, de quibus El. 1. lib. 1. *Fiam* videbor ero non inelegans, non difficilis puella, et sumpta toga virili, quis non fatebitur me esse hominem?

Da falcem, et torto frontem mihi comprime foeno:
Jurabis nostra gramina secta manu.
Arma tuli quondam; et memini, laudabar in illis:
Corbis in imposito pondere messor eram.
Sobrius ad lites; at quum est imposta corona.
Clamabis capiti vina subesse mea.
Cinge caput mitra, speciem furabor Iacchi:
Furabor Phoebi, si modo plectra dabis.
Cassibus impositis venor: sed arundine sumta
Faunus plumoso sum deus aucupio.
Est etiam aurigae species Vertumnus, et ejus,
Trajicit alterno qui leve pondus equo.
Suppetat; hoc pisces calamo praedabor; et ibo
Mundus demissis institor in tunicis.
Pastor me ad baculum possum curvare, vel idem

V. 25. *Falcem*, eam intelligit, quam Varro *foenariam* vocat. Solebant enim foenisecae sibi frontem herbis cingere ad arcendum solis ardorem. *Pondere corbis*, gravi corbe humeris imposita. In corbem spicas conjiciebant messores Varro lib. 4. de L. L: *In imposito*, elegans hic est usus voculae *in*, ut Virgilius l. 5. Aeneid. *Horridus in jaculis etc. Brouck.*

V. 29. *Sobrius ad lites*, scil. sum: sobrium esse ad aliquid, i. e. ab eo abstineo a litibus ebriosorum sed ubi conatus fuero (*coronae convivantium*, et compotantium notae) clamabis me ad jurgia pronum. *Vina subisse capiti*, ital. *che il vino m' ha dato in testa. Mitra*, mitram capiti meo impone; latenter assumam formam Bacchi, assumam formam Phoebi, si dabis plectrum. Mitra muliebre capitis ornamentum et molle; erat et gestamen Bacchi deorum delicatissimi.

V. 35. *Aurigae*. Vertumnus est etiam species (ital. *fa la figura*) aurigae. *Trajicit*. Fuerunt olim militum species, qui ab uno equo in alterum velox corpus transferrent.

V. 37. *Suppetat*; si opus sit. *Mundus institor*. Institor est, qui tractandae negotiationi praeficitur. Mundus, i. e. elegans, comtus institor. *Demissis tunicis*, longioribus et ad feminarum tunicas propius accedentibus: iis utebantur homines molliores. Opponit piscatori squalido, cui altius tunicas sordens subducta. *Vel idem*, et

Sirpiculis medio pulvere ferre rosam.
Nam quid ego adjiciam, de quo mihi maxima cura est;
Hortorum in manibus dona probata meis?
Caeruleus cucumis, tumidoque cucurbita ventre
Me notat, et junco brassica vincta levi.
Nec flos ullus hiat pratis, quin ille decenter
Impositus fronti langueat ante meae.
At mihi, quod formas unus vertebar in omnes,
Nomen ab eventu patria lingua dedit.
Et tu Roma, meis tribuisti praemia Tuscis,
Unde hodie vicus nomina Tuscus habet.
Tempore quo sociis venit Lucumonius armis,
Atque Sabina feri contudit arma Tati

ego idem possum ferre rosas sportulis, fiscellis stirpeis, lento vimine contextis in medio pulverulento Circo *Medio pulvere*, media aestate, P. Propertium de Circo locutum existimaverim: quum enim puellae formosae ac juvenes amatores in Circo, quadrigarum cursu spectarent; hac illac vagabantur qui rosam et alia florum genera venalia proponerent, *V*.

V. 41. *Nam quid*, quidnam insuper illud commemorem, quod mihi maximae curae est, nempe grata mihi, accepta munera hortorum, ea quae horti ferunt, primitias olerum impositas meis manibus? *Cura est*, propter uxorem Pomonam, cui ut par erat plurimum obsequi volebat Vertumnus, *Bruch. Dona*; nempe olera, non tantum foetus arbutei. Hinc ab olitoribus et hortulanis colebatur Vertumnus, *Id. Cucumis* caeruleus cucumis et ventriosa cucurbita, et brassica levis, tenui junco adstricta, ligata, designant, demonstrant qui ego sim. *Notat*, quod in illas ea formas verterim, denotant me esse Vertumnum. P. *Vincta*, an vincta junco statuae ipsius Vertumni, ne decidat? *Id. Patria lingua*. An lingua Etrusca? nam ei patria Etruria. An latina et Romana? siquidem ei duplex patria, P. *Eventu*, ab effectu, a vertendo scil. *Id*.

V. 49. *Roma*; ad Romam sermonem dirigit. *Tribuisti*, cum olim Lucumo Tuscorum rex venisset in auxilium Romuli contra Tatium Sabinorum regem, Romulus locum in urbe sua Tuscis adstribuit qui vicus Tuscus dictus est. *Lucumonius*: idem qui Lucumo Eleg. 1. 29.

Vidi ego labentes acies, et tela caduca,
Atque hostes turpi terga dedisse fugae.
Sed facias divûm sator, ut Romana per aevum
Transeat ante meos turba togata pedes.
Sex superant versus, te, qui ad vadimonia curris,
Non moror; haec spatiis ultima meta meis.
Stipes acernus eram properanti falce delatus,
Ante Numam grata pauper in urbe deus.
At tibi, Mamuri, formae caelator ahenae,
Tellus artifices ne terat Osca manus,
Qui me tam dociles potuisti fundere in usus,
Unum opus est, operi non datur unus honos.

V. 53. *Labentes*, cadentes acies ad praelium instructas. Labuntur sauci, et quos vires deficiunt. *Caduca*, abjectas a fugientibus hastas, R. *Turpi*, flagitiosae, ignominiosae. *Facias*, sed tu Jupiter deorum pater, velis, annue. ut frequens togatus populus Romanus perpetuo transeat ante pedes simulacri mei.

V. 57. *Superant* sex versus restant: quoniam properas vadimonium obire, non te detineo. *Vadimonia*, vadimonium est sponsio ad tertium diem sistendi in judicio: reus enim parum idoneos vadem pro se dabat, cui pro reo deserere vadimonium, turpe erat; unde dicitur *currere ad vadimonia*. *Stipes*, eram truncus acernus properanter factus falce, vinitoria scil, ital. *ronca*. *Ante Numam*, sub quo ex ligneo factus sum aeneus *In urbe*, an Volsiniis, an Romae? *Deus*, pro simulacro. *Mamuri* Mamurius fuit faber aerarius celeberrimus, qui Vertumni simulacrum opere singulari ex aere finxit. *Tellus Osca*: tua patria, o Mamuri, colet manus tuas: unicum opus est, et tibi multiplex honos tribuetur. Osci populi Campaniae oris foeditate famosi: unde nomen *obscenus*. *Potuisti*, qui scivisti me fingere tam facilem, flexibilem in usus tot artium exercendarum, tot rebus et formis aptum.

ELEGIA III.

Arethusa marito Lycotae militanti moestitiam suam, desiderium, solitudinem, fidem, industriam, vota pro ejus reditu suscepta, elegantissime ostendit: pugnae inventorem detestatur, rogatque conjugem, ut lecti genialis foedera incorrupta conservet.

Haec Arethusa suo mittit mandata Lycotae,
Quum toties absis, si potes esse meus.
Si qua tamen tibi lecturo pars oblita deerit,
Haec erit e lacrymis facta litura meis.
Aut si qua incerto fallet te litera tractu,
Signa meae dextrae jam morientis erunt.
Te modo viderunt iteratos Bactra per ortus,
Te modo munito Sericus hostis equo,
Hibernique Getae, pictoque Britannia curru,
Ustus et Eoo decolor Indus equo.

V. 1. *Aretusa*. Quaenam fuerit haec Arethusa, et Licotas quinam fuerit, penitus incertum. *Mandata*, sunt absentium ad absentes, quae dantur vel verbis, vel scripto. *Tamen*, Si vero tibi legere volenti aliqua deerunt verba, utpote quae deleta sint, siqua tibi sententia deerit. *Fallet* oculos tuos effugiet, latebit. *Incerto*, instabili et errante ductu, P. *Morientis*, jam deficientis.

V. 7. *Iteratos per ortus* per Orientis populos iterum perlustratos, ac peragratos. *Bactra*, civitas Bactrianae regionis primaria. *Sericus*. Seres Iudiae populi, quorum regio Serica, nunc *Cathai* dici perhibetur, *Hiberni*, gelidi, Getae Scythiae populi qui ad Pontum Euxinum in Orientem vergunt: *Currus* esseda Britannorum vehicula significat, adeo levia, ut et puellae aurigarentur solae. Haec caelaturis ornare solebant, pingebantque Britanni, et ex his in proeliis pugnabant. Vide Caes. l 4. B. Gall. c. 24. et 33. *Decolor* ital. *imbrunito*, perustus et niger ob aestum solis propinquioris; *equo Eoo*, ob equos Eoos, ob aestum solis orientali regioni nimium propinqui.

Quae mihi deductae fax omen praetulit, illa
  Traxit ab everso lumina nigra rogo,
Et Stygio sum sparsa lacu, nec recta capillis
  Vitta data est; nupsi non comitante Deo.
Omnibus heu portis pendent mea noxia vota;
  Texitur haec castris quarta lucerna tuis.
Occidat, immerita qui carpsit ad arbore vallum,
  Et struxit querulas rauca per ossa tubas.
Dignior obliquo funem qui torqueat Ocno:
  Aeternusque tuam pascat, aselle, famem.
Dic mihi, num teneros urit lorica lacertos?
  Num gravis imbelles atterit hasta manes?
Diceris et macie vultum tenuasse: sed opto
  E desiderio sit color ille meo.
At mihi quum noctes induxit vesper amaras,
  Si qua relicta, jacent, osculor arma tua.

V. 11. *Fax omen.* Ominis causa puellae deductae in domum mariti, i. e. novae nuptae quo pueri facem praeferebant. Illa fax nigra accensa fuit ab rogo everso; quod erat nuptiis infaustum.

V. 13. *Stygio sum* etc. Tria infelicium nuptiarum omina ponit: *Stygio sum sparsa lacu*; hoc est aqua Inferorum paludis: deinde dicit, *nec recta capillis*, novae enim nuptae sicut et matronae rectas vittas gestare solebant; virginum vero vittae erant non rectae, sed residentes; tertio dicit *non comitante Deo*; i. e. Hymenaeo minime deducente. *Mea noxia vota* In portia ubi erant Deorum imaginea appendebantur vota obnoxia. *Quarta*, Tres lacernas militares conjungi jam misisse dicit, et jam quartam se texere. *Occidat*, male ait ei, qui primus ferro decerpsit vallum ab innocenti arbore, et usum muniendorum castrorum reperit. *Per ossa tubas*; Olim osseae fuere tubae quae postea ex aere constructae sunt.

V. 19. *Ocno.* Ocnus fuit vir, quem effinxerunt funem perpetuo torquentem adstante asella, quam quae quantum ille torsisset, statim illa perroderet: unde proverbium, *Ocnus funem torquet* in eos qui nulli labori parcunt ut rem familiarem augeant: attamen domi habent asellam. i. e. uxorem quae omnia profundit. Dicitur obliquus a positura corporis, qui enim funem torquent obliquo gradu incedunt. *Aeternusque*, perpetuosque. *E desiderio sit*, Opto ut pallor a mei desiderio proveniat.

Tum queror, in toto non sidere pallia lecto,
  Lucis et auctores non dare carmen aves.
Noctibus hibernis castrensia pensa laboro,
  Et Tyria in radios vellera lecta suos.
Et disco, qua parte fluat vincendus Araxes,
  Quot sine aqua Panthus millia currat eques.
Cogor et e tabula pictos ediscere mundos,
  Qualis et haec docti sit positura dei:
Quae tellus sit lenta gelu, quae putris ab aestu,
  Ventus in Italiam qui bene vela ferat.
Adsidet una soror, curis et pallida nutrix
  Dejerat hiberni temporis esse moras.
Felix Hippolyte! nuda tulit arma papilla,
  Et texit galea barbara molle caput.
Romanis utinam patuissent castra puellis:
  Essem militiae sarcina fida tuae:

V. 27. *Sidere*, hic autem conqueror stragula (ital. *coperte, coltri*) non consistere in toto lecto, quum me huc illuc verso: et aves, gallos cantu suo lucem non praenuntiare. Dicuntur galli *auctores lucis*, non quia lucem ipsi producant, sed quia cantu suo praenuntiant: significat Arethusa noctem sibi longissimam videri. *Hibernis*, quae longissimae sunt. *Laboro*, cum labore et cura lanam carpo, vel neo, vel texo, P. ital. *fo de' lavori*, facio opera in usum castrorum, militiae, et laboro, texo lanam tyrio murice infectam, in radios suos lectam. scil. duco, insero subtegmen tyrium in radios suos, inter stamina ejusdem purpurae; radiis, (ital. *spole*), ejusdem lanae plenis tyriam lanam percurro. *Araxes* Armeniae fluvius, qui in Caspium mare inlabitur.

V. 33. *Qualis*. Et quomodo illas partes posuerit sapiens deus tabulis edisco: *Adsidet*, sola soror, vel mea, vel tua, lateri adsidens me consolari nititur in meis angoribus et nutrix pallida curis jurejurando affirmat hibernam tempestatem morari reditum tuum.

V. 39. *Felix Hippolyte*. Arethusa dicit felices Amazonas quarum regina fuit Hippolyte, quod ipsis arma tractare licebat. *Essem sarcina*, ital. *sarei parte del tuo bagaglio*.

Nec me tardarent Scythiae juga, quum pater altas
Africus in glaciem frigore nectit aquas.
Omnis amor magnus: deserta in conjuge major,
Hanc Venus, ut vivat, ventilat ipsa facem.
Nam mihi quo, Poenis si purpura fulgeat ostris,
Crystallusque meas ornet aquosa manus?
Omnia surda tacent: lanis assueta colendis
Vix aperit clausos una puella lares.
Glaucidos et catulae vox est mihi grata querentis:
Illa tui partem vindicat una tori.
Flore sacella tego, verbenis compita velo,

V. 44. *Pater Africus*; quia ventos deos putabant, et dii patres vocabantur. Videtur Africum pro Aquilone posuisse, nam *Africus* frigidus non est, P. Haec discriminia ventorum ignoratio in femina facilius ferri potest.

V. 47. *Nam mihi quo*; quid enim mihi prodest, quod longe lateque splendorem emittat purpura Afris muricibus tincta, et crystallus nitida, velut aqua pellucens (ital. diceres *diamante di limpida acqua*) ornet manus meas. si interea carere te cogor? Crystallus, est anulus, cui beryllus vel adamas, vel alia gemma crystallo similis fuerit inserta, ut observat clariss. Vulpius; et aquosa interpretatur gemma coloris valde diluti, sicut et nos splendorem gemmae, aquam gemmae dicimus, ital. *acqua marina*. *Tacent*, te absente, o Lycota omnia mihi muta videntur, omnia solitudo mera, *V*. *Una* una ancillula usu edocta vix aperit armarium, quo Lares clauduntur. *Vix aperit*, vix ullum festum agit. Solebant enim Romani festis diebus imagines majorum apertis armariis exornare; nemo autem eruditorum ignorat Lares familiares veteribus umbras majorum fuisse. Locus ubi condebantur Larium simulacra, Lararium, vel Sacrarium dicebatur, *V*.

V. 51. *Vox* plorantis caniculae gannitus mihi jucundus est, P. Videtur enim queri absentiam tuam, praesertim quum jacet in ea lecti parte in qua tu cubare solebas saltem id mihi fingo, *V*. *Vindicat*. quasi pro suo jure poscit, occupat. *Flore* floribus corono in urbanis sacellis deorum simulacra; vel corollis sertis orno delubra, compitales Lares verbenis cingo, lares in compitis colebantur, et amplissima corona ornabantur, iisque *Compitalia* attributa erant. Ludos compitalicios, quum in desuetudinem abiissent Augustus restituit. Vide Svet. in ejus Vita. Verbenae, ex Donato, sunt omnes

Et crepat ad veteres herba Sabina focos.
Sive in finitimo gemuit stans noctua, tigno,
Seu voluit tangi parca lucerna mero.
Illa dies hornis caedem denuntiat agnis,
Succinctique calent ad nova lucra popae.
Ne, precor, adscensis tanti sit gloria Bactris,
Raptave odorato carbasa lina duci,
Plumbea quum tortae sparguntur pondera fundae
Subdolus et versis increpat arcus equis.
Sed (tua sic domitis Parthae telluris alumnis
Pura triumphantes hasta sequatur equos)
Incorrupta mei conserva foedera lecti,
Hac ego te sola lege redisse velim.

herbae, frondesque ex loco puro decerptae. *Crepat*, et cum crepitu crematur apud focos, in focis avitis herba Sabina. Hujus herbae naturam considerat Plinius lib. 24. c. 11. ubi ait a multis in suffitu pro ture assumi.

V. 55. *Gemuit*, sive noctua stans in tigno vicinae domus querulas edidit voces, sive lucerna exigua, vel languens voluit spargi vino. Vino excitari languentem flammam putabant veteres, et inde omen captabant. *Illa dies*, qua scil. ista dantur omina, agnis minatur et indicit eadem, quia procuranda sunt caede bidentium vel agnorum; P. *Hornis*, anniculis. *Calent*, avide festinant cupiditate mercedis: nam conducebantur a sacra facturis, *P.* Popae erant sacerdotum ministri qui locum in sacrificiis habebant vel victimas adducendo, vel mactando. Erant autem in infima plebe.

V. 59. *Adscensis Bactris* Precor ne tanti stet gloria expugnatorum Bactrarum: et linea vitta erepta eorum duci odoribus perfuso: dum arcus conversis in fugam equis insonat, et fundae torquentur.

V. 63. *Sic*, est precantis et optantis, P. *Tua hasta pura*, sic devictis, subactis incolis Parthicae terrae, tu hastam sine ferro gerens sequaris currum triumphalem, triumphantis ducis Hasta *pura*, qua viri fortes in praelio victores donabantur, erat hasta sine ferro, ut toga *pura* dicebatur quae purpureo limbo carebat. *Foedera*, fidem conjugii serva integram. Hac sola conditione optem te reducem, P.

Armaque quum tulero portae votiva Capenae
Subscribam, SALVO GRATA PVELLA VIRO.

Armaque. Voverat Arethusa. Diis se appensuram arma viri bello reducis in porta Capena (quae hodie a S. Sebastiano nomen habet) ibi enim Martis bellorum praesidis aedes fuisse legitur.

ELEGIA IV.

Tarpejae virginis Vestalis historiam narrat, quae Tatii Sabinorum regis amore capta, ut ejus conjugio potiretur, arcem Capitolinam Palilibus indefensam pacta est illi tradere; qua occupata Tatius jussit proditricem occidi.

Tarpejum nemus, et Tarpejae turpe sepulcrum
Fabor, et antiqui limina capta Jovis.
Lucus erat felix hederoso consitus antro,
Multaque nativis obstrepit arbor aquis;
Silvani ramosa domus, quo dulcis ab aestu
Fistula poturas ire jubebat oves.
Hunc Tatius fontem vallo praecingit acerno,
Fidaque suggesta castra coronat humo.
Quid tum Roma fuit, tubicem vicina Curetis
Quum quateret lento murmure saxa Jovis?
Atque ubi nunc turris dicuntur jura subactis,

V. 1. *Tarpejum*: canam lucum Tarpejum, et infame (ob proditionem) sepulcrum Tarpejae, et portam veteris Capitolii, quod Jovi sacrum erat, proditione captam. In rupe Tarpeja sepultam fuisse Tarpejam virginem constat.

V. 7. *Fontem*, has aquas Tatius Sabinorum rex undique cingit, vallo ligneo ex acere. *Suggesta*, et terra subinde aggesta, cumulata in orbem munit castra, quibus confidat. *Praecingit*, ut scil. aquatione interrludantur hostes, quae suis tuta sit, P.

V. 9. *Quid tuum fuit?* nihil scil. vel perexigua, quae nunc tanta, P. *Vicina*, propinqua enim erant castra Tarpejo monti, in colle qui postea Quirinalis dictus a Sabinis.

Stabant Romano pila Sabina foro?
Murus erant montes: ubi nunc est curia septa,
Bellicus ex illo fonte bibebat equus.
Hinc Tarpeja deae fontem libavit: at illi
Urgebat medium fictilis urna caput.
Et satis una malae potuit mors esse puellae,
Quae voluit flammas fallere, Vesta, tuas?
Vidit arenosis Tatium proludere campis,
Pictaque per flavas arma levare jubas:
Obstupuit regis facie, et regalibus armis,
Interque oblitas excidit urna manus:
Saepe illa, immeritae causata est omina Lunae;
Et sibi tingendas dixit in amne comas.
Saepe tulit blandis argentea lilia Nymphis.
Romula ne faciem laederet hasta Tati.
Tumque subit primo Capitolia nubila fumo,
Retulit hirsutis brachia secta rubis;

qui Curibus venerant, *Id. Stabant Romano*, sabinorum copiae forum Romanum occupant ubi nunc devicto Orbe leges dantur.

V. 13. *Murus*, asperum Tarpejae saxum erat loco murorum: ubi nunc conspicitur Curia Hostilia, muro ac pariete clausa, prope lacum Juturnae, et forum Romanum, ibi tunc aquatum ibant equites Sabinorum, *Brouk. Hinc*, ex illo fonte (de quo v. 6.) aquam leviter hausit, prius degustatam sacrorum more, ad sacra lavanda P. *At illi* postquam implevit urnam, P. *Urgebat*, premebat Tarpejae redeunti medium caput.

V. 17. *Una malae*. Non satis erat una mors huic Vestali, quae sacra Deae Vestae violavit. *Proludere*, ante pugnam, pugnae simulacra ciere, ital. *provarsi al combattimento*, quod velitum et gladiatorum est. *Per flavas*, Et vidit Tatium ventilare arma equo flavo adsidentem. *Omina Lunae*. Quod amphora eeciderit accusavit Lunam quam credebant veteres immittere somnia. *Saepe tulit*. Obtulit lilia Nymphis, ne Tatius vulneraretur. *Subit*, redit in Capitolium vespertina caligine contectum. *Primo fumo*, ital. *all' imbrunir della sera*. *Secta*, et ejus brachia sentibus discerpta sunt, notata asperis et hamatis sentibus. P.

Et sua Tarpeja residens ita flevit ab arce
Vulnera, vicino non patienda Jovi.
Ignes castrorum, et Tatiae praetoria turmae,
Et formosa oculis arma Sabina meis,
O utinam ad vestros sedeam captiva penates,
Dum captiva mei conspicer ora Tatî.
Romani montes, et montibus addita Roma;
Et valeat probro Vesta pudenda meo.
Ille equus, ille meos in castra reponet amores,
Cui Tatius dextra collocat ipse jubas:
Quid mirum in patrios Scyllam saevisse capillos?
Candidaque in saevos inguina versa canes?

V. 29. *Residens* et sedens e superiore Capitolii parte ita flevit sua vulnera, non ea tamen quae rubi, sed quae sagittae amoris fecerant. *Non patienda.* Et flevit sua vulnera, non patienda Jovi vicino; scilicet, de gravissimo et sibi plane intollerabili amoris vulnere conquesta est apud proximum Jovem; Cupidinis enim furor impiam et audacem faciebat *V.* Jovis aedes non longe aberat ab aedibus Tarpejae. *Ignes*: Sequitur oratio Tarpejae usque ad vers. 66. Tatii nuptias exoptantis. *Praetoria*, tabernacula Tatiensis turmae. Torma ex triginta equitibus constabat.

V. 33. *Sedeam*, captiva sederem juxta focum vestrum. Sedebant supplices; sedebant et captivi. *Conspicer ora*: dum vel sic, captiva, propius spectem Tatium meum. *Montes.* Valete vos, o Romani montes, tuque o Roma collibus imposita, et valeat Vesta, quae labe mea, *del mio fallo*, erubescet. Se relicturam Vestae sacra significat, ut Tatium sequatur.

V. 37. *Ille equus reponet*, scil collocabit *in castra* pro in castris. Sperat Tarpeja, se, arce Sabinis prodita, equo regio vectam castra subituram. *Collocat*, cui Tatius manu sua apte disponit, componit jubas, ut in latus, in armum dextrum recumbant. *Scyllam* Perfidiam suam Vestalis excusare cupit exemplo Scyllae, filiae Nisi Regis Megarensium, quae amore Minois paterni hostis, flagrans, patrem capillo purpureo, in quo fatum regni ejus situm erat, spoliavit Minoique tradidit, quasi dotem conjugii: inde Scylla conversa est in canem pube tenus quod accidit Scyllae Phorci. Videtur Poeta duas fabellas miscere.

Prodita quid mirum fraterni cornua monstri.
Quum patuit lecto stamine torta via?
Quantum ego sum Ausoniis crimen factura puellis,
Improba virgineo lecta ministra foco!
Pallados exstinctos si quis mirabitur ignes:
Ignoscat; lacrymis spargitur ara meis.
Cras, ut rumor ait, tota pugnabitur urbe;
Tu cave spinosi rorida terga jugi.
Lubrica tota via est, et perfida; quippe tacentes
Fallaci celat limite semper aquas.
O utinam magicae nossem cantamina Musae!
Haec quoque formoso lingua tulisset opem.

V. 41. *Cornua monstri*, quid mirum, proditum fuisse cornutum monstrosum fratrem; Minotaurum scil. Theseo hosti, qui eum interfecit, traditum a sorore Ariadna, quae filum illi dedit, quo se se Labyrinthi erroribus liberaret. Vide Catul. in Carm. de Nupt. Pelei *Patuit*, apertus reditus Theseo e flexuosa via labyrinthi, filo collecto et convoluto in reditu, et regressu. Ingrediens enim Theseus explicabat filum, regrediens colligebat et convolvebat P. *Crimen*, quantum dedecus allatura sum Romanis puellis. *Ausoniis*, satis enim Graecae puellae infames erant ob proditionem Scyllae Nisi filiae, et Ariadne Minois, tamquam si diceret Tarpeja: Ego Scylla futura sum, ego Ariadna Romanarum puellarum, *V. Improba*, ego, inquam, indigna, infamis ministra, sacerdos selecta ad custodiendum ignem Virginis Vestae.

V. 45. *Pallados*. Palladem et Vestam eamdem esse deam nonnulli contendunt, quia Palladium a Vestalibus servabatur *Tota urbe*, per totam urbem pugnabitur. Nam in foro erant arma Sabina. *Cave*, tu, Tati, vita humidum dorsum collis spinis et vepribus asperis.

V 49. *Lubrica*, ital. *sdrucciolosa*, et male tuta, infida, cui male creditur; namque inter spinas tegit et occultat perennes aquas sine murmure labentes fallaci cursu, ital. *in occulti, pericolosi borroncelli*. *Semper aquas*, idest, aquas perennes, P. *Magicae Musae*, nam Musae carmina docent: per Musam intelligit carmen, ita ut hoc loco sit, *ἐις το αυτο*. *Haec quoque*. Non solum, inquit Medea. Jasoni dimicaturo diceretur opem tulisse; nam et ego ferrem

Te toga picta decet ; non quem sine matris honore.
Nutrit inhumanae dura papilla lupae ;
Sic hospes, patiare, tua regina sub aula,
Dos tibi non humilis prodita Roma venit.
Sin minus ; at raptae ne sint impune Sabinae,
Me rape, et alterna lege repende vices.
Commissas acies ego possum solvere ; nuptae,
Vos medium, palla foedus inite mea.
Adde Hymenaee modos : tubicem fera murmura conde ;
Credite, vestra meus molliet arma torus ;
Et jam quarta canit venturam buccina lucem ;
Ipsaque in Oceanum sidera lapsa cadunt !
Experiar somnum ; de te mihi somnia quaeram ;

tibi formoso auxilium, ut illa tulit formoso Jasoni, si magicarum artium et incantamentorum perita essem.

V. 55. *Sic hospes*. O advena Tati utinam ferre velis ut sim regina in aula tua : non parva dos ad te adfertur, tibi datur ; prodita, scil. Roma. *Sin*, sin minus, supple, facere id voles; saltem etc. *Solvere*, dirimere acies, quae jam conseruerint manus, P. *Nuptae*, vos, o Sabinae jam nuptae pacem Romanos inter et Sabinos mea palla nuptiali componite. Alludit ad Sabinas quae interventu suo parentum et maritorum acies diremerunt.

V. 61. *Adde*, adhibe carmen nuptiale ; nam Hymenaei id est officium, P. ital. *fanne sentire*. *Conde*, reconde, remove horrendum et trucem cantum; non enim tuba, sed tibia adhibebatur nuptiis. *Id*. *Torus*, meum conjugium leniet vestra bella, mulcebit animos vestros pugnandi cupidos. *Quarta buccina*, et jam tuba quae dedit signum quartae vigiliae nunciat imminentem diem. *Quarta*. Nox in quatuor vigilias castrenses dividebatur, singulas ternarum horarum, quae tuba vel buccina distinguebantur. Ita media nox finis secundae vigiliae; et quartae vigiliae initium hora quae nobis quarta matutina dicitur, P. *Lapsa*, *cadunt*: haec duo verba conjungere amant veteres auctores. Vid. Virg. Aen. VI. 310. *Cadunt*, merguntur oceano, veniente die, occidunt, P.

V. 65. *Experiar*, conabor inire somnum, *Id*. *Quaeram*, captabo mihi somnia quae te mihi repraesentent; te somniabo. *Fac venias*, ima-

Fac venias oculis umbra benigna meis.
Dixit, et incerto permisit brachia somno,
Nescia se furiis accubuisse novis.
Nam Vesta, Illiacae felix tutela favillae
Culpam alit ; et plures condit in ossa faces.
Illa ruit, qualis celerem prope Thermodonta
Strymonis abscisso fertur aperta sinu.
Urbi festus erat, dixere Palilia patres
Hic primus coepit moenibus esse dies.
Annua pastorum convivia, lusus in urbe,
Quum pagana madent fercula deliciis ;
Quumque super raros foeni flammantis acervos
Trajicit immundos ebria turba pedes.
Romulus excubias decrevit in otia solvi,
Atque intermissa castra silere tuba.
Hoc Tarpeja suum tempus rata, convenit hostem;
Pacta ligat, pactis ipsa futura comes.

go blanda et grata offeras te oculis meis ante oculos adsis, vel benigna oculis, ei aspectu mihi jucunda, P. *Et incerto*. Tarpeja dubio somno membra tradidit, et nesciebant se cubitum discessisse cum novo furentis amoris ardore, et cubare cum insania flammis.

V. 69. *Tutela*, Vesta quae praesens, propitia tuetur ac servat reliquias Trojae, fovet culpam, *la passione*; et conjicit, insinuat in illius ossa, medullas, plures, majores flammas. *Ruit*, praeceps et amens rapitur, qualis prope rapidum Thermodoontem, Thraciae fluvium, ruit, bacchatur Strymonis, scil. Maenas nudato pectore ob laceras vestes. *Strymonis*, patronymicum est a Strymone fluvio Thraciae, et hic pro Bacchante ponitur, quod Bacchantes prope hunc fluvium Bacchi sacra celebrantes discurrerent.

V. 73. *Festus*: erat ille dies festus urbi Romae, quem majores vocaverunt Palilia. *Hic primus*, hoc die primum condita sunt moenia hic Urbis Romae natalis. P. *Coepit esse*, coeperat jam venerari tamquam dies natalis urbis Romae. *Pagana*, dum dapes mensae rusticorum abundant delicatioribus cibis, et solito magis exquisitis.

V. 82. *Comes*, hac conditione, ut ipsa futura esset secundum pacta comes illius, ital. *con questo , che per compimento de' patti ella esser dovesse di lui compagna*. *Comes*, ambigue, vel socia

Mons erat adscensu dubius, festoque remissus ;
  Nec mora vocales occupat ense canes.
Omnia praebebant somnos ; sed Jupiter unus
  Decrevit poenis invigilare suis.
Prodiderat portaeque fidem, patriamque jacentem ;
  Nubendique petit, quem velit ipsa, diem.
At Tatius (neque enim sceleri dedit hostis honorem)
  Nube, ait et regni scande cubile mei.
Dixit, et ingestis comitum superobruit armis,
  Haec, virgo, officiis dos erat apta tuis.
A nece Tarpejae mons est cognomen adeptus
  O vigil, injustae praemia sortis habes.

tori, vel quae in Sabinos simul iret, P. *Dubius*, difficilis et periculosus, *Id. Remissus*, cujus ob festum remissior et negligentior erat custodia, quia in otia soluti vigiles. *Id. Nec mora*, subaudi, fit ; sine mora, statim gladio, jugulat canes clamosos, latrantes.

V. 85. *Omnia*, scil. locus, tempus, epulae, lassitudo, conciliabant somnum: sed solus Jupiter constituit excubare, ut poenas sibi debitas a Tarpeja exigeret. *Suis*, nimirum quae ipsi Jovi debebantur: sumendo supplicio de Tarpeja proditrice, *V. Prodiderat*, per proditionem hosti reseraverat portam Capitolii suae fidei (vel patris) et custodiae mandatam, P. *Patriamque*, et prodiderat urbem et cives somno vinoque sepultos : et constituit diem nuptiarum quem ipsa voluit.

V. 93. *A nece*. Ita legendum videtur cum ANDREA BASSANO in Seminario, et Collegio Faliscoduni studiorum moderatore Joannis Antonii Vulpii amicissimo; ut sensus sit. Tarpejus mons a Tarpeja Virgine, quae a Tatii milite ob proditionem arcis factam necata fuit, ita appellatus est. *O vigil*, scil. o custos ignis Vestae praeclare nimis tecum actum est, quum a te mons hic cognomen accepit *Habes* scilicet *praemia sortis injustae* Indere enim nomina locis, urbibus, fluminibus aliisque rebus, eorum tantummodo est qui magnum aliquod et memorabile facinus perpetrarunt. Tibi vero quae scelus immane et flagitium turpissimum admisisti, non hic certe honos debebatur. Habes igitur a fortuna quae nullam sceleris tui rationem inique habuit, praemia injusta et indebita. Virtuti enim, inquam, hujusmodi praemia et honores debentur, non sceleri.

ELEGIA V.

Sacrum, et solemnes epulas instituit pro Actiaca victoria, quam Augustus Caesar de M. Antonio, et Cleopatra retulerat, eamque Phoebi auspiciis totam adscribit.

Sacra facit vates, sint ora faventia sacros,
Et cadat ante meos icta juvenca focos,
Serta Philetaeis certent Romana corymbis,
Et Cyrenaeas urna ministret aquas.
Costum molle date et blandi mihi turis honores,
Terque focum circa laneus orbis eat.
Spargite me lymphis, carmenque recentibus aris
Tibia Mygdoniis libet eburna Cadis.
Ite procul fraudes: alio sint aere noxae:
Pura novum vati laurea mollit iter.
Musa, Palatini referamus Apollinis aedem:
Res est, Calliope, digna favore tuo,

V. 3. *Certent.* ital. *gareggino* cum corymbis, cum hederacea corona, qua coronatus est Philetas; id est, versus Romani certent cum versibus Philetae; et urna mihi praebeat ad sacra faciendas aquas quas hibit, vel, quibus Musis sacra fecit Callimachus Cyrenaeus. De Phileta et Callimacho vide El. 1. 13. *Costum*, herba odorifera, in India nascens, cujus radicem odore esse eximio ait Plinius lib. 12. Hist N. c. 12. *Laneus orbis.* Laneis vittis arae coronabantur: ita Virg. Aen. 8. *Adfer aquam et molli cinge haec altaria vitta.* *Circa*; pro circum; *ter*, quia ternarius numerus dicatus sacris, P. *Spargite*, rore levi lustrate. Lustralem aspersionem significat ramo lauri. *Id. Mygdoniis*, id est, Phrygiis, Mygdonia est regio Phrygiae ubi est etiam urbs dicta, *Cadi*, *orum*: hujusmodi tibia cantet versus in novis sacrificiis. Alii legunt *Mygdoniis modis*, quod est planius. *Libet carmen*, canat in honorem deorum, diis carmen offerat et consecret. An *aris*, pro diis ipsis? P.

V. 10. *Pura*, casta laurus facilem reddit poetae viam nondum tritam, adhuc intentatam.

Caesaris in nomen ducuntur carmina; Caesar
Dum canitur, quaeso, Jupiter, ipse vaces.
Est Phoebi fugiens Athamana ad litora portus,
Qua sinus Ioniae murmura condit aquae.
Actia Juleae pelagus monumenta carinae
Nautarum votis non operosa via.
Huc mundi coiere manus; stetit aequore moles
Pinea, nec remis aeque favebat avis.
Altera classis erat tenero damnata Quirino,
Pilaque feminea turpiter acta manu.
Hinc Augusta ratis plenis Jovis omine velis,
Signaque jam patriae vincere docta suae,

V. 15. *Athamana*, Epirotica. Strabo l. 7. Epiroticos populos facit Athamanas, ubi etiam describit Actium promontorium, P. *Qua*; qua parte aquam Ionii maris obstrepentem sinus recondit, et a ventis tuetur.

V. 17. *Juleae*. Ad Actium promontorium ab Augusto conditum est templum Apollinis, ac oppidum Nicopolis, a victoria navali de Antonio ita dictum; quae sunt monumenta Juleae carinae, i. e. Augusti. *Operosa*. Sententia est; adeo tranquillum ibi pelagus jacet, ut nautae necesse non habeant plurima vota suscipere pro itineris felicitate, M. *Aequa avis*, nec auspicia erant aeque fausta utrique classi, navigationi, P.

V. 21. *Altera damnata*, addicta erat, mancipata molli effeminato Quirino, scil. Antonio Cleopatrae amoribus deperdito. *Feminea manu*; manu scil. Cleopatrae Aegypti Reginae, quae vires suas omnes Orientis imperii pro Antonio suo collegerat. *Hinc*, altera ex parte stabat navis Augusti velis inflatis secundo vento, et felici auspicio. *Jovis*, Jupiter ventus est, sic Catullus: *Sive utrumque Jupiter incidisset in pedem.* Omen faustae navigationis est quum vento secundo implentur vela, P. *Docta*, et jam adsueta vincere perduelles, qui sub signis Romanis, bellum inferebant Reipublicae Antonium intellige, ait eruditissimus Broukusius, bello Mutinensi, et deinde Persiano profligatum et Brutum caesos: exutum 350. navium classe Pompejum. Certe C. Caesar adolescens in ipsis, motuum Antonianorum initiis solus rempublicam labentem confirmavit.

Tandem acies geminos Nereus lunarat in arcus:
Armorum radiis icta tremebat aqua.
Quum Phoebus linquens stantem se vindice Delon,
(Nam tulit iratos mobilis ante Notos)
Adstitit Augusti puppem super ; et nova flamma
Luxit in obliquam ter sinuata facem.
Non ille adtulerat crines in colla solutos,
Aut testudineae carmen inerme lyrae ;
Sed qualis adspexit Pelopejum Agamemnona vultu
Egessitque avidis Dorica castra rogis :
Aut qualis flexos solvit Pythona per orbes
Serpentem, imbelles quem timuere lyrae.
Mox ait, o longa mundi servator ab Alba
Auguste, Hectoreis cognite major avis :

V. 25. ***Tandem***, post longam moram ; vel quia avidis pugnae omnis mora longa, P. ***Lunarat***, graphice pro curvarat. ***Armorum radiis*** : armis radiantibus ***icta***, ***Burmannus*** ; innuit solis radios armorum auratorum fulgore in aqua repercussos, ***Kuinoel***. ***Delon*** Insula Delos olim per mare vagabatur, sed Apollo ibidem genitus immobilem reddidit. ***Nam tulit*** : i. e. nam ante mobilis pertulit Notos iratos scil. saevos ventos.

V. 29. ***Adstitit***. restitit, apparuit. Fortasse in puppi sculptus erat, aut pictus Apollo. ***Nova***, insolita flamma emicare ter visa est in arcum curvata in obliquae facis similitudinem. ***Non adtulerat***, ille non gerebat comas per colla fluentes, quales fert pacatus ; aut cum canora imbelli lyra eburnea : testudine (quia e testudine primum facta lyra a Mercurio). ***Carmen***, senteutia est, non illuc venerat, ut amores caneret, sed ut bella gereret, P.

V. 33. ***Pelopejum Agamemnona***. Quum Agamemnon (cujus avus fuit Pelops) Astynomen filiam Chrysae sacerdotis Apollinis bello cepisset : quumque idem Chryses filiam ab Agamemnone ingentibus donis non impetrasset : precatus est Apollinem, qui statim pestem immisit Doricis castris; i. e. Graecis, et exhausit rapidis funeribus. ***Pythona*** : Nota est fabula de Pythone serpente, quem per sinuosa volumina telis confixit Apollo, unde dictus Pythius. Ovid. Met. l. 1. ***Lyrae*** Pythonem timuit Phoebi lyra, non arcus. ***V.***

V. 7. ***Servator*** Sic affatur Caesarem Phoebus : o vindex orbis terrarum ab originem Albanorum regum, unde gens Julia (nam illic

Vince mari, jam terra tua est: tibi militat arcus,
  Et favet ex humeris hoc onus omne meis,
Solve metu patriam quae nunc te vindice freta
  Imposuit prorae publica vota tuae.
Quam nisi defendes, murorum Romulus auctor
  Ire Palatinas non bene vidit aves.
En! nimium remis audent! proh turpe, Latinos
  Principe te, fluctus regia vela pati.
Nec te quod classis centenis remigat alis
  Terreat: invito labitur illa mari.
Quodque vehunt prorae Centauros saxa minantes,
  Tigna cava, et pictos experiere metus.
Frangit, et attollit vires in milite causa:
  Quae nisi justa subest, excutit arma pudor.

Ascanius regnavit) cujus virtus clarior spectata, quam avorum suorum de gente Hectorea, P. *Tua est* in tua potestate. *Tibi militat*, tua ego caussa arcum meum contendi; P. *Onus*, gravis haec telis pharetra, quae mihi pendet ex humeris, tibi studet, ital *è impugnata per te.*

V 41. *Solve*, libera hujus belli metu patriam, quae nunc freta, scil. confidens tua virtute, in tua navi publicorum votorum spem collocavit Scaliger hic notat, in prora fuisse tutelam navis: vota autem in genibus deorum insculpebantur. Juvenal. Sat. 10. *Non bene*, falso credidit nuntiavit se vidisse, mentitus est vidisse in colle Palatino vultures.

V. 45. *En! audent!* nempe patriae hostes. *Latinos*, Romanus *fluctus* opponit *regiis* Cleopatrae *velis*. *Centenis*, nec te vehementius commoveat, quod Antonii et Cleopatrae navis centum remis, ut alis, impulsa feratur, P. *Labitur*, natat, navigat adversante mari. *Quodque*, *quod*, hic usurpatur pro *quamvis etsi*, V. quamvis prora habeat Centaurum minantem (ital. *in atto di scagliare*) ingens saxum, re ipsa sentiens (ital. *per prova*) esse tigna cava, scil. naves fragiles, et pictam formidinem, i. e. inanem. Intelligo de Cleopatrae navi cui adpicta erat Centauromachia, seu pugna Centaurorum. *Causa*, jus partium. Frangit vires mala caussa; quis ignavos et timidos reddit, P. genus, *qualitas* caussae frangit, vel auget vires. *In caussa enim justa* ait Sophocles Oedipo Coloneo v. 931. *etiam*

Tempus adest; committe rates: ego temporis auctor
  Ducam laurigera Julia rostra manu.
Dixerat, et pharetrae pondus consumit in arcus,
  Proxima post arcus Caesaris hasta fuit.
Vincit Roma, fide Phoebi, dat femina poenas;
  Sceptra per Ionias fracta vehuntur aquas.
At pater Idalio miratus Caesar ab astro,
  Sum Deus; en nostri saguinis ista fides.
Prosequitur cantu Triton omnesque marinae
  Plauserunt circa libera signa deae.
Illa petit Nilum cymba male nixa fugaci,
  Hoc unum, jusso non moritura die.
Dî melius: quantus mulier foret una triumphus,
  Ductus erat per quas ante Jugurtha vias!
Actius hinc traxit Phoebus monumenta, quod ejus
  Una decem vicit missa sagitta rates.

parvus vincit magnum. Subest, quae caussa nisi est justa, mens conscia turpitudinis efficit, ut arma delapsae manibus cadant.

V. 59. ***Pater***, C. Julius Caesar dictator, dicitur pater Augusti per adoptionem; des adoptionem; eumque appellat Poeta Idalium astrum, quod Horatius dicit *Julium Sidus*. Caesar post mortem Deus factus est, et inter astra relatus. Idalium i. e. ad Venerem pertineus ab Idalio civitate Cypri, Veneri cara. Caesar a Venere originem ducebat. ***Miratus*** virtutem Augusti et victoriam. ***Fides***, e nostro sanguine stirpis divinae esse probat. ***Triton***, Neptuni et Amphitrites filius, tubicen, e deorum marinorum numero. ***Illa***, Cleopatra scil. in Nili recessus fugit non bene freta, quia parum in cymba praesidii, P. ***Fugaci***, celeri ***Hoc unum***: id tantum defuit Augusti triumpho quod Cleopatra non coacta sit die sibi constituto perire.

V. 65. ***Di melius***! Formula deprecandi atque averruncandi res malas. Noster hic in voto usurpat, quod notandum, *Brouk.* Dii melius sic voluistis: (ital. *Così per la meglio disponeste o Dei*) nam quantus scil. quam exiguus triumphus fuisset duci mulierem per easdem vias, per quas antea ductus fuerat rex Jugurtha? ***Monumenta***, celebritatem nominis et famam adeptus est, quod una sagitta ab

Bella satis cecini: citharam jam poscit Apollo
  Victor, et ad placidos exuit arma choros.
Candida nunc molli subeant convivia ludo,
  Blanditiaeque fluant per mea colla rosae.
Vinaque fundantur prelis elisa Falernis,
  Terque lavet nostras spica Cilissa comas.
Ingenium potis irritat Musa poetis,
  Bacche, soles Phoebo fertilis esse tuo.
Ille paludosos memoret servire Sigambros,
  Cepheam hic Meroen fuscaque regna canat;
Hic referat sero confectum foedere Parthum:
  Reddat signa Remi, mox dabit ipse sua.

eo emissa vicit decem naves. *Una*: pluribus igitur Phoebi sagittis victa est tota classis: naves enim partium Antonii plurimae fuerunt. Bene igitur Poeta superius; *Pharetrae pondus consumit in arcus*, *V.*

V. 69. *Citharam*, lyram vult sibi dari, ut Paeana et epinicia canat, positis armis. Nam cithara pacis, arcus belli, P. *Exuit*, deposuit arma, scil. pharetram et sagittas, nam arcum ex Horatio, numquam deponit, sed relaxat. *Ad placidos*, vel ut ipse choros ducat, ut solet cum Musis: vel ut saltantibus canat cithara, P. *Candida convivia ludo molli*, i. e. laeta convivia ludo non cruento *Blanditiaeque rosae*: sic legit Mitschcslichius. In veteribus marmoribus convivae capite, collo, brachiis coronas gestant, *ex eod.*

V. 74. *Spica Cilissa*, et unguentum ex croco, cujus feracissima Cilicia est, ter perfundat, ungat comas meas. Dicitur autem *spica*, quia croci cacumen capillamenta et fila aristarum similia desinit. *Irritat*, excitat, acuit ingenium Poetis quum vinum hauserint. *Fertilis*, ingenii fecunditatem impertiri soles tuo Apollini. *Tuo*, fratri, familiari et consorti. Nam et Apollo et Musae in comitatu Bacchi et sacra iis communia in Parnasso, *P.*

V. 76. *Ille*, scil. ex poetis, narret. Sigambros (Germaniae populos de quibus Strabo lib. 4) qui paludosa incolunt loca, ab Augusto victos esse, et servire coactos. *Cepheam*, hic canat Meroen, ubi regnavit Cepheus pater Andromedae. *Meroen*. De Meroe, insularum, quas Nilus efficit, maxima, et capite regni Aethiopici Strabo lib. 1. et 17. Plin. lib. 2. c. 73. Est et oppidum ejusdem nominis, P. *Fuscaque*. Intelligit Aegyptum, Aethiopiam, Indiam, *Id.* regna ubi incolae nigredine decolorantur. *Confectum*, alter memoret Parthos subactos. Intellige de Phraate Parthorum Rege, qui, dum

Sive aliquid pharetris Augustus parcet Eois,
  Differat in pueros ista trophaea suos.
Gaude, Crasse, nigras si quid sapis inter arenas,
  Ire per Euphraten ad tua busta licet.
Sic noctem patera, sic ducam carmine; donec
  Injiciat radios in mea vina dies.

Augustus in Syria versabatur an. U. C. 734., veritus ne bello peteretur, signa militaria, Crassi clade amissa, restituit: mox propria daturus ex foedere tardiore. Vid. El. 4. 1: 4. *Sive aliquid.* Si vero nonnihil remittet, et abstinebit pharetratis populis Orientis. *Differat* (ital. *riservi*) victorias istas de Parthis scil. et Indis, liberis et nepotibus suis, Druso et Tiberio, qui illos domabunt. *Differat.* Miro lepore dictum: Decet enim patres gloriae filiorum prospicere et quodammodo vires suas temperare, ne ipsi totum victoriarum cumulum exhauriant, nihil interea praeclari facinoris sanguini suo reservantes. *V. Si quid sapis*, si quid adhuc Manibus tuis sensus est P. *Nigras inter arenas.* Crassus pater et filius occisi inter arenas Assyriae, quae, utpote pingues et uberes, ideo nigrae. *Licet*: liberum iter est ad sepulcrum tuum ut tibi justa solvantur. *Licet*, quia cesserunt Armenia, Parthi, et Mesopotamia. *Busta*; quod sciam busta Crassi nulla fuerunt; nam caput ei et dextra abscissa, et delata ad regem Parthorum, Dio, Plutarchus, Appianus, qui de bustis nihil. *Id.*

V. 85. *Sic noctem patera.* Ob Augusti victoriam vult usque in diem producere convivium.

ELEGIA VI.

Ait, sibi dormienti, Cynthiae jam demortuae imaginem apparuisse, conquestamque, quod poeta ejus funus negligenter curasset, et quod parum pius erga mulieris memoriam videretur: variis denique mandatis relictis, sub solis adventum ad Elysios, unde pedem tulerat, revertisse.

Sunt aliquid Manes: letum non omnia finit;
  Luridaque evictos effugit umbra rogos.
Cynthia namque meo visa est incumbere fulcro,
  Murmur ad extremae nuper humata viae;
Quum mihi somnus ab exsequiis penderet amaris,
  Et quererer vitae tristia fata meae.
Eosdem habuit secum, quibus est elata, capillos,
  Eosdem oculos: lateri vestis adusta fuit.
Et solitum digito beryllon adederat ignis,
  Summaque Lethaeos triverat ora liquor.
Spirantisque animos, et vocem misit: at illi
  Pollicibus fragiles increpuere manus.

V. 1. *Sunt aliquid*: eorum opinionem improbat, qui nihil esse manes contendunt, sed meram fabulam, P. *Fulcro*, lecto. *Murmur*, humata ad extremum milliare.

V. 5. *Penderet*, quum a tristi eius funere dubius et incertus mihi esset somnus, ital. *stava fra la vigilia e il sonno*. *Vestis*, ostrina tunica, vel toga candida. De more vestium cremandarum in rogo Virgil. 6. Aeneid. *P. Lateri*; adustam habebat vestem ad latera.

V. 9. *Solitum digito*. Et ignis seu rogus corruperat beryllon digito adsuetum. Beryllon est graecae positionis pro beryllum: Ital. *pietra preziosa*. *Lethaeus*, et aqua fluvii Lethes detriverat illi labiorum extremitatem, eam scil. rigando et alluendo. *Misit*, ital. *mise fuori* spiritum et vocem, qualem solebat viva et spirans: animose et iracunde locuta est, ut spirans solebat. *Pollicibus*; exiles manus atrinxit usque ad articulorum crepitum.

Perfide, nec cuiquam melior sperande puellae,
  In te jam vires somnus habere potest?
Foederis heu taciti! Cujus fallacia verba
  Non audituri diripuere Noti.
At mihi non oculos quisquam inclinavit euntes,
  Unum impetrassem, te revocante, diem,
Nec crepuit fissa me propter arundine custos,
  Laesit et objectum tegula curta caput.
Denique quis nostro curvum te funere vidit?
  Atram quis lacrymis incaluisse togam?
Si piguit portas ultra procedere: at illuc
  Jussisses, lectum lentius ire meum.
Cur ventos non ipse rogis, ingrate, petisti?
  Cur nardo flammae non oluere meae?
Hoc etiam grave erat? nulla mercede hyacinthos
  Injicere, et fracto busta piare cado.
Lygdamus uratur, candescat lamina vernae,

V. 13. *Perfide :* deinde mihi dixit; perfide, et quem nulla femina sperare poterit fideliorem. *Foederi etc.* graecissat hic Propertius ut solet; heu foedus occulte inter nos ictum, cujus vana et inania verba discerpsere venti, ne audirent.

V. 17. *At mihi*: nemo mihi pereunti clausit oculos. *Impetrassem.* Tres horas impetrasse Protesilaum, quibus cum Laodamia loqueretur, scribit Hyginus Fab. 103. *Crepuit.* Videtur queri Cynthia suo funeri custodem cadaveris a poeta non fuisse adhibitum, qui arundine fissa (ital. *canna spaccata*) insonaret, siculi mos erat. *Laesit*, fracta tegula, laesit, contemtum caput meum. Queri Cynthiam, ait Beroaldus, sibi, seu suo cadaveri, pro molli pulvillo duram tegulam eamque mutilam et fractam suppositam fuisse.

V. 21. *Curvum*, demisso capite incedentem, ut moesti solent et lugentes, P. *Piguit*, si grave fuit egredi urbe; nam extra urbem sepeliebantur. *Busta*, reliquias rogo detractas vino irrigare: cadavere jam exusto restinguere, cadi cortice dimoto, et sigillo fracto, *ex Vulp.*

V. 19. *Uratur.* Igni devoveatur Lygdamus Propertii servus, et quidem *verna*, servus domi natus: Cynthiae servus ejusdem nominis alibi memoratur. Hunc igitur Lygdamum, et Nomada ancillam, Propertii tunc temporis, ut videtur amicam, Cynthia hoc loco veneficii incusat, propterea que torqueri, et puniri jubet. *Candescat vernae :* ad vernam cruciandum.

(Sensi ego quum insidiis pallida vina bibi)
Aut Nomas arcanas tollat versuta salivas
Dicet damatas ignea testa manus.
Quae modo per viles inspecta est publica noctes,
Haec nunc aurata cyclade signat humum.
Et graviora rependit iniquis pensa quasillis,
Garrula de facie si qua locuta mea est.
Nostraque quod Petale tulit ad monumenta coronas
Codicis immundi vincula sentit anus.
Caeditur et Lalage tortis suspensa capillis,
Per nomen quoniam est ausa rogare meum.
Te patienta meae conflavit imaginis aurum,
Ardenti nostro dotem habitura rogo.

Aut Nomas, facinoris socia fatebitur usta. *Tollat*, si tollat, si amoveat salivas arcanas, id est magicas. *Dicet testa* (idem quod antea *lamina*): indicabit, eam fateri coget. *Damatas*, sceleatas manus, quae, venenum miscuerunt.

V. 33. *Per viles noctes*; et quae femina vulgaris inspecta est per noctem, ut emi posset. *Nunc cyclade. Cyclas* vestis feminea tenuissima et fluens, ita dicta quod limbum κυκλον, auro intextum, in circuitu haberet ad horam extremam adsutum. *Signat humum*, ut Ovid. Met. XI. 466. *Verrit humum.*

V. 35. *Et graviora*. Et si qua loquax laudaverit meam pulcritudinem dum in vivis agerem, imponit, ei pensa graviora injustis calathis *Quasillis*. Quasillus est vas vimineum in quo ancillae lanam facientes pensa diurna reponebant. *Petale*. Nomen est vetulae, quae, eo quod meo flores attulit tumulo; (ait Cynthiae umbra) tetri codicis catenas patitur. Codex erat ligneus stipes, (ital. *ceppo*) magni ponderis quem, alligati servi qui deliquissent, trahere cogebantur, eique insidere, in eo cubare, secumque semper habere donec a domino absolverentur. Vide Turneb. Adv. lib. 23. c. 20. *Lalage*. Nomen cujusdam ancillae, quae nova domina Propertii, capillis in modum funis complexis suspensa torquetur. *Per nomen*, quod ausa fuit orare te, vel illam per nomen meum, *per Cynthiam.*

V. 41. *Meam conflavit*. Imaginem meam auream liquefecit, ut in aliam mutaret formam. Dolet umbra Cynthiae, quod Propertius passus sit, suam effigiem auream ab nova, ipsius amica conflari: quia Cynthiae rogo debebatur ejus imago aurea quum pretiosissima

Non tamen insector, quamvis mereare, Properti,
Longa mea in libris regna fuere tuis.
Juro ego fatorum nulli revocabile carmen,
Tergeminusque canis sic mihi molle sonet,
Me servasse fidem : si fallo, vipera nostris
Sibilet in tumulis, et super ossa cubet.
Nam gemina est sedes turpem sortita per amnem.
Turbaque diversa remigat omnis aqua.
Una Clytemnestrae stuprum vehit, unaque Cressae
Portat mentitae lignea monstra bovis,
Ecce coronato pars altera vecta phaselo,
Mulcet ubi Elysias aura beata rosas :
Qua numerosa fides , quaque aera rotunda Cybebes.
Mitratisque sonant Lydia plectra choris
Andromedeque et Hypermnestre sine fraude maritae
Narrant historias corpora nota suas.
Haec sua maternis queritur livere catenis
Brachia, nec meritas frigida saxa manus.

quaeque cum mortuis cremari solerent. *Insector*, non tamen te exagito, non tibi insulto, quamvis dignus sis increpatione ; regnavi et principatum tenui in versibus tuis: P. *Molle sonet.* Leniter allatret.

V. 49 *Gemina est.* Duplex sedes apud inferos; piorum nempe et impiorum sorte distinata. Ad alterutram remigat omnis turba. *Cressae*: altera aqua trahit lignea monstra Cretensis reginae, vaccam ementitae, i. e. Pasiphaes. *Qua numerosa fides* : ubi cytharae plurima modulantur, et ubi aera Cybebes, et plectra Lydia resonant. *Andromedeque etc.* De Andromede, et Hypermnestra, quarum mulierum virtutem et animum virilem historiae narrant, et quae passae sunt pro conjugii fide : adi Mythologos. *Historias corpora nota suas.* Ita legit Scaliger. *Corpora nota*, i e. feminae illustres. *Haec*, scil. Andromede queritur sua brachia livida esse facta catenis matris temeritati debitis, quas mater Cassiope propter linguae impotentiam potius meruerat. *Nec meritas*, et manus suas non meruisse, indignas fuisse, quae ad frigidam rupem adstringerentur.

Narrat Hypermnestre magnum ausas esse sorores :
In scelus hoc animum non valuisse suum.
Sic ortis lacrymis vitae sanamus amara;
Celo ego perfidiae crimina multa tuae.
Sed tibi nunc mandata damus, si forte moveris,
Si te non totum Chloridos herba tenet,
Nutrix in tremulis ne quid desiderat annis
Parthenie : patuit, nec tibi avara fuit.
Deliciaeque meae Latris, cui nomen ab usu,
Ne speculum dominae porrigat illa novae,
Et quoscumque meo fecisti nomine versus,
Ure mihi : laudes desine habere meas:
Pelle hederam tumulo, mihi quae pugnante corymbo
Molla contortis alligat ossa comis.
Pomosis Anio qua spumifer incubat arvis,
Et numquam Herculeo numine pallet ebur,

V. 64. *Magnum*, scil. scelus, facinus admisisse. *Non valuisse*, ei sceleri parem non fuisse, non eam vim, animo fuisse, non fuisse animum tam durum, P. ital. *ma che l' animo suo non fu capace ec. Sic*, mutuis narrationibus vicissim fata nostra narrantes. *Ortis lacrymis sanamus*, scil. sanare studemus. *Celo*: mea fata exponens, reticeo multa tuae perfidiae crimina, *Chloridos etc.* Veneficia, et philtra amatoria ex herbis confecta quarum Chloris habuit potestatem. *Desideret*, ne qua re egeat, ne quid desit Partheniae nutrici meae tremula, senili aetate. *Patuit*, aperto animo erga te fuit.

V. 69. *Latris*, Graece dictum ; nam λάτρις est ancilla. *Cui* ; ab officio a ministerio impositum est nomen sic dicta ab officio. *Porrigat*, ne praebeat, offerat novae dominae. *Ure mihi*, cremato in honorem meum : ne retinere velis tecum diutius laudes, quibus in versibus tuis ornasti: mei sunt, ad flammas reposco rogi mei.

V. 73. *Pelle*, amove hederam a meo sepulcro, quae corymbis baccis suis mihi inimicis, infestis et contortis ramulisque illigat delicatos meos cineres, cadaver mollis puellae. *Pomosis*, qua parte spumans Anio inundat arva pomiferis arboribus, pomariis consita. *Her-*

Hoc carmen media dignum me scribe columna,
  Sed breve, quod currens vector ab urbe legat.
HIC TIBVRTINA JACET AVREA CYNTHIA
  TERRA:
  ACCESSIT RIPAE LAVS, ANIENE, TVAE
Nec tu sperne piis venientia somnia portis,
  Quum pia venerunt somnia, pondus habent,
Nocte vagae ferimur. Nox clausas liberat umbras,
  Errat et abiecta Cerberus ipse sera.
Luce jubent leges Lethaea ad stagna reverti;
  Nos vehimur: vectum nauta recenset onus.
Nunc te possideant aliae: mox sola tenebo,
  Mecum eris, et mixtis ossibus ossa teram.
Haec postquam querula mecum sub lite peregit,
  Inter complexus excidit umbra meos.

culeo, Tibur Sabinorum oppidum Herculi fuit sacrum, summaque aeris clementia commendatum, ita ut ebur inibi pallescat. Mart. l. 4. Epig. 62.

Tibur in Herculeum migravit nigra Lycotis,
Omnia dum fieri candida credit ibi.

V. 81. *Portis.* Duas esse somniorum portas veteres dixerunt, *corneam*, et *eburneam*: quarum *cornea* veris, bonis, ac piis, *eburnea* vero falsis somniis est adsignata; Virg. Aen. VI. sub finem. *Pondus*, gravia, rata sunt, fidem merentur, fidem faciunt. *Vagae*, huc illuc erramus. Nox emittit e custodia, ital. *in libertà*, animas interdiu clausas. *Mox*, brevi quum mortuus fueris, et ad Elysios veneris. *Teram*, et commixtis ossibus meis arcte premam tua. *Peregit* postquam querulis, iratis conviciis ita finem imposuit (ital. *si fu così meco sfogata in crucciosi, amari rimproveri*) umbra, dum conabar amplecti effugit inter manus meas. To *Sub* abundat.

ELEGIA VII.

Narrat, Herculem, Caco latrone interemto, ut collectam sitim restingueret, arcanum quoddam feminarum sacrum, quae ipsi haustum aquae negaverant, violasse, Aramque Maximam ibidem fundasse.

Amphitryoniades qua tempestate juvencos
Egerat a stabulis, o Erythia, tuis,
Venit ad invictos pecorosa Palatia montes,
Et statuit fessos fessus et ipse boves.
Qua Velabra suo stagnabant flumine; quaque
Nauta per urbanas velificabat aquas.
Sed non infido manserunt hospite Caco
Incolumes: furto polluit ille Jovem.
Incola Cacus erat, metuendo raptor ab antro,
Per tria partitos qui dabat ora focos.
Hic, ne certa forent manifestae signa rapinae,
Aversos cauda traxit in antra boves.

V. 1. *Amphitryoniades.* Hercules verbo filius Amphitryonis re ipsa filius Jovis ex Alcmena. *Erythia*, insula ad extremam Hispaniae oram prope Gades, in qua Geryon regnavit, cujus armenta abegit Hercules. *Pecorosa Palatia*; montem scil. Palatinum. *Velabra.* Vid. Tibul. p. 178. *Manserunt*, sed non constiterunt salvi et tuti boves propter Cacum hospitem infidum, id est latronem qui struit insidias, et cui nulla fides. *Polluit*, violavit Jovem, nempe hospitalem, in cujus tutela hospites esse credebantur.

V. 9. *Incola*, ejus loci erat accola Cacus, qui ex horrenda spelunca ad rapiendum et latrocinandum prodibat, et per tria ora divisum separatim ignem vomebat. *Tria ora.* Ergo tricipitem, trifaucemque Cacum hic noster fingit; cujus rei apud alios nulla mentio, quod sciam, nisi apud Fulgentium, qui tribus modis malitiam nocere ait, aperte, ut nocent validiores; clam; ut fures et latrones; blande ac dolose, per falsos amicos, *P. Forent*, ne in manifesto furto deprehendi posset. *Id.* ne apparerent certa indicia furti manifesti. *Aversos*, ital. *all' indietro, per la coda.*

Nec sine teste deo, furem sonuere juvenci :
Furis et implacidas diruit ira fores.
Maenalio jacuit pulsus tria tempora ramo
Cacus : et Alcides sic ait, ite boves :
Herculis ite boves, nostrae labor ultime clavae,
Bis mihi quaesitae, bis mea praeda, boves.
Arvaque mugitu sancite boaria longo ;
Nobile erunt Romae pascua vestra forum.
Dixerat, et sicco torquet sitis ora palato,
Terraque non ullas foeta ministrat aquas.
Sed procul inclusas audit ridere puellas.

V. 13. *Teste*, neque id fecit inscio Jove, qui et vidit et ultus est. *Sonuere*, boves mugitu prodidere furem : et ira, scil. iratus Hercules evertit importunas, saevas fores furis. *Fores*, Virgilius ingens fuisse ait saxum, et silicem ferro et arte Vulcani pendentem prae foribus speluncae *P. Jacuit*, procubuit Cacus percussus in tribus capitibus clava excisa e Maenalo Arcadiae monte : et tunc sic Hercules ait, Ite boves.

V. 17. *Herculis*, boves Herculis nunc, olim Geryonis, P. *Ultime*, ad hoc tempus labor ultime, ital. *fin qui ultima laboriosa impresa* meae clavae; nam alii fuerant ante labores et fortia facta clavae Herculeae. Leo; Hydra; Aper: Cervus; Stymphalides; Anthaeus; Stabula Augiae; Taurus Cretensis; Equi Diomedis; Geryonis boves; pro quibus Cacum interfecit ; supererant Cerberus, et aurea Hesperidum mala. Vide Apollodor lib. 2. *Bis*, semel quaesivit quando Erythiam profectus est, et iterum quum amotae sunt et abactae a Caco. Bis praeda, quia partae iterum a me labore ac periculo certaminis cum Geryone et Caco, P. It. *due volte da me cercati, due volte conquistati da me. Sancite*, sancta posteris haec loca reddite, confirmate, it. *ratificate* boatu vestro futurum nomen Fori Boarii; *Id. rendete venerabile, rispettabile ai posteri* longo boatu campum hunc, qui olim ex hoc Boarius nuncupabitur. *Nobile*, erit Forum celebre. Romae, locus hic, ubi nunc vos pasti estis : quasi Forum Boarium Romae ita dictum sit a bobus Herculis.

V. 21. *Sicco*, sic dixerat, et sitis exsiccato palato torquet illi os, nec terra humore gravida illi suppeditat aliquem fontem, vel minimum aquae. *Procul*, an e longinquo audit? an pro, prope? Virgil. Aen. 6. *Serta procul capiti*; al prae, ut inquit Servius, P. *Lucus etc.*

Lucus ab umbroso fecerat orbe nemus,
Femineae loca clausa deae, fontesque piandas,
Impune et nullis sacra retecta viris.
Devia puniceae velabant limina vittae,
Putris odorato luxerat igne casa.
Populus et longis ornabat frondibus aedem:
Multaque cantantes umbra tegebat aves.
Huc ruit in siccam congesto pulvere barbam,
Et jacit ante fores verba minora deo:
Vos, precor, o luci sacro quae luditis antro:
Pandite defessis hospita fana viris.
Fontis egens erro, circaque sonantia lymphis:
Et cava suscepto flumine palma sat est.
Audistisne aliquem, tergo qui sustulit orbem?
Ille ego sum: Alciden terra recepta vocat.
Quis facta Herculeae non audit fortia clavae?
Et nunquam ad notas irrita tela feras?

Lucus ibi arboribus in gyrum consitis nemus efformarat. Lucus est locus religionis caussa, nemus voluptatis.

V. 25. *Loca clausa*, aedem deae Bonae, et aquas religiose servatas, ita ut expiandae essent, si vir inde bibisset, et sacra, ritus, caeremonias, nullis viris impune conspectas P. *Casa*, exigua aedicula (vel tugurium aedi additum) vetustate caduca lucebat igne et lignis odoratis, vel herbis, aut aromatis, *Id*.

V. 29. *Populus*, et populus, ital. *il pioppo* (ante fores templi sata) frondosis ramis longe lateque porrectis ornamento erat aediculae Bonae Deae, et densa umbra abscondebat canoras aves. *Ruit*, illuc Hercules praeceps fertur, aridae barbae inhaerentem habens pulverem de via collectum. *Verba minora*, humilius loquitur quam deum mox futurum decet, P.

V. 35. *Luditis*, oro vos, o puellae, quae luditis (*vi divertite*, *solazzate*) in sacro antro. *Suscepto*, hypallage; pro susceptum flumen cava palma sat est, P. Et tamen parum aquae haustae cava manu mihi satis est.

V. 37. *Audistisne*, ital. *avete voi sentito parlar d' un tale?* qui humeris suis Caelum gerendum suscepit? *Recepta*, terra a latronibus et monstris in pacem libertatemque vindicata me Alciden vocat. *Notas*. Praeclare respondet verbis quae praecesserunt: *quis non audit etc*.

Atque uni Stygias hominum luxisse tenebras?
Accipite: haec fesso vix mihi terra patet.
Quod si Junoni sacrum faceretis amarae,
  Non clausisset aquas ipsa noverca suas.
Sin aliquam vultusque meus, setaeque leonis
  Terrent, et Libyco sole perusta coma:
Idem ego Sidonia feci servilia palla
  Officia, et Lyda pensa diurna colu,
Mollis et hirsutum cepit mihi fascia pectus,
  Et manibus duris apta puella fui.
Talibus Alcides; at talibus alma sacerdos,
  Puniceo canas stamine victa comas:
Parce oculis, hospes, lucoque age cede verendo;
  Cede agedum, et tuta limina linque fuga.
Interdicta viris metuenda lege piatur,
  Quae se submota vindicat ara casa.
Magno Tiresias adspexit Pallada vates,
  Fortia dum, posita Gorgone, membra lavat.

V. 41. *Stygias*. Hercules infernas sedes, dum in vivis ageret, penetravit, et Cerberum domuit. *Sacrum*; sacrificaretis Junoni mihi infestae, infensae: Juno ipsa licet noverca non aditum mihi obrueret ad aquas suas: mihi non negaret suas aquas, adire suos fontes concederet. Notum Junonis in Herculem odium; Novercam vocat, quia filius Jovis, cujus uxor Juno, Hercules credebatur.

V. 45. *Aliquam*, scil. vestrum terret et torva mea facies, et pelli leonis Nemei, quem occidi, villis horrens, meique capilli perusti ardore Solis in Lybia. Lybiam peragravit Hercules, quum Antaeum interfecit, et aura mala decerpsit. *Servilia*, purpurea muliebri veste indutus feci servilia ministeria, et nevi diurnum pensum colu Lyda inter ancillas Omphales Lydorum reginae. Vide Eleg. IX. lib. 3.

V. 49. *Cepit*, et delicata fascia, strophium mihi texit, cinxit hirsutum pectus. Fasciam pectoralem intelligit, quae puellae sinum contegebant. *Interdicta*, ara quae in hac aedicula in secessu posita, se ipsa tuetur adversus oculos virorum. *Piatur*, expiatur si polluta et violata est lege horrendi carminis, i.e. sanctione gravissimae poenae; puta ex Asin. Plauti: *Si quis vir aspexit, caecus continuo fiet.* *Tiresias*. Exemplum affert Tiresiae vatis, qui dicitur excaecatus, quod Palladem lavantem adspexerit, quae deposuit Gorgonia, i. e.

Dî tibi dent alios fontes : haec lympha puellis
Avia secreti limitis una fluit.
Sic anus : ille humeris postes concussit opacos,
Nec tulit iratam janua clausa sitim.
At postquam exhausto jam flumine vicerat aestum ;
Ponit vix siccis tristia jura labris.
Angulus hic mundi nunc me mea fata trahentem
Accipit : haec fesso vix mihi terra patet.
Maxima quae gregibus devota est Ara repertis
Ara per has, inquit, Maxima facta manus,
Haec nullis umquam pateat veneranda puellis,
Herculis eximii ne sit inulta sitis.
Sancte pater, salve cui jam favet aspera Juno;
Sancte, velis libro dexter adesse meo.
Hunc, quoniam manibus purgatum sanxerat orbem,
Sic Sanctum Tatii composuere Cures.

scutum in quo erat incisum caput Gorgonis. *Lympha avia*, aqua haec seposita, extra viam, in recessu posita. *Limitis secreti*, rivi, alvei reconditi, manat in usum dumtaxat feminarum.

V. 64. *Ponit vix etc.* Vix exsiccatis labiis leges tulit puellis amaras. *Ara*: Hercules, interfecto Caco, aram erexit, quae semper dicta est maxima. Ita Ovid. l. 1. Fastor.

Constituitque sibi, quae Maxima dicitur, aram.
Hic ubi pars urbis de bove nomen habet.

V. 69. *Nullis.* Ab hac ara maxima voluit Hercules arceri mulieres, quod sibi olim sitienti negassent aquam. *Pater salve.* Poeta invocat Herculem, qui post mortem in caelum elatus Junoni reconciliatus est, cujus filiam Heben in caelo uxorem duxit, et librum suum commendat. *Purgatum sanxerat etc.* Quoniam Hercules orbem terrarum sua virtute a monstris sanctum et purum reddiderat ; Cures Tatii, i. e. Sabini, quorum urbs praecipua sunt Cures ipsum sanctum constituerunt. Hercules autem dicitur lingua Sabina *Sancus* quod Latini dixere. *Sanctus.* Curibus regnavit Tatius, unde Cures Tatii.

ELEGIA VIII.

Cur Jupiter Feretrius nominatus: et qui Romani imperatores, ducibus hostium sua manu occisis, opima spolia reportaverint.

Nunc Jovis incipiam causas aperire Feretri,
Armaque de ducibus trina recepta tribus.
Magnum iter adscendo, sed dat mihi gloria vires:
Non juvat ex facili lecta corona jugo.
Imbuis exemplum primae tu, Romule, palmae;
Hujus, et exuviis plenus ab hoste redis,
Tempore quo portas Ceninum Acronta petentem
Victor in eversum cuspide fundis equum.
Acron Herculeus Cenina ductor ab arce,
Roma tuis quondam finibus horror erat.
Hic spolia ex humeris ausus sperare Quirinis
Ipse dedit, sed non sanguine sicca suo.
Hunc videt ante cavas vibrantem spicula turres
Romulus, et votis occupat ante ratis:
Jupiter, haec hodie tibi victima corruet Acron,

V. 1. *Jovis Feretri.* Acronem Ceninensium ducem in praelio quum Romulus obtruncasset, spolia ex eo relata, ferculo ad id facto in Capitolium detulit: ibique templum, quod primum fuit Romae, Jovi consecravit quem Feretrium dixit, auctorque fuit suis posteris, ut ab hostibus opima spolia capta eo deferrentur. Opima spolia erant, quae regibus vel ducibus hostium in praelio cesis sua manu detraherent duces, et in templo Jovis Feretri suspenderent. *Arma trina.* Prima opima spolia obtulit, et suspendit Romulus, Acrone interempto: secunda Cornelius Cossus, Tolumnio Etrusco occiso: tertia Claudius Marcellus, obtruncato Virdomaro Gallorum Rege; nec alii, dum Romanum stetit imperium, opima spolia retulisse leguntur.

V. 5. *Imbuis*: tu offers primus exemplum opimorum spoliorum, qui Acrona Ceninensium ducem, ut Sabinas mulieres raptas repeteret, in Romanas portas irruentem obtruncasti, urbem Ceninam cepisti, et Acronis spolia Jovi consecrasti.

Voverat, et spolium corruit ille Jovi.
Urbis virtutumque parens sic vicere suevit,
Qui tulit aprico frigida castra lare.
Idem eques et frenis, idem fuit aptus aratris,
Et galea hirsuta comta lupina juba.
Picta nec inducto fulgebat parma pyropo:
Praebebant caesi baltea lenta boves.
Cossus at insequitur Vejentis caede Tolumni,

V. 18 *Qui tulit.* Qui quamvis haberet apricam et tepidam domum, algida tamen castra toleravit. *Galea*, et fuit illi galea ex pelle lupi ornata hispida crista; et galerus ex pelle lupi; pelle lupi ornata hispida crista erat illi pro galea, ital. *servivagli di celata.* Alludit ad lupam Romuli nutricem, cujus *fulvo tegmine*, ut ait Virgilius lib. 1. Aen. utebatur, eoque insigni nutricis gaudebat.

V. 21. *Fulgebat*, neque pictus clypeus coruscabat, inducto, illito colore pyropi, ardentis aeris. Pyropus enim ex Plinio metallum est, sive aes ductile, quod non funditur, sed malleo in laminas tenuatur: vel mixtura trium partium aeris, et quartae auri. Si vero pyropum pro gemma accipiamus, hic erit verborum sensus; neque in ejus brachio coruscabat pictus clypeus, distinctus appositis immissis carbunculis, vel pictus instar carbunculorum, *d' incastrati carbonchii.* *Pyropo.* Mihi certum est pyropum vocari ab antiquis etiam rutilantis gemmae speciem, alio nomine carbunculum. Vide Henricum Stephanum in Thesauro tom. 3. p. 622. *V. Caesi*, coria caesorum boum illi suppeditabant flexilia baltea. *Caesi*, vel mactati in sacris vel alias caesi, *P.* Balteus, in singulari numero fere masculini generis, in plurali vero communis, cingulum militare, quod aliquando ab humero dextro sub sinistrum brachium descendens, transversum pectus cingit, ital. *tracollo*; saepius medium hominem ambit zonae modo bullis aureis, argenteisve, aut auratis distinctum, a quo arma dependent

V. 23 *At*, post Romulum autem sequitur Cossus, occiso Tolumnio Vejente, quum magni operis, ingentis laboris erat posse superare, debellare Vejos. *Cossus.* Aulus Cornelius Cossus Tribunus militum Tolumnium Vejentium regem in bello propria manu occidit; ejusque spolia solemni pompa Jovi Feretrio post Romulum obtulit: Liv. l. 4. Caussa belli fuit quod Fidenates, colonia populi Romani ad hunc, Tolumnium, occisis Romanorum legatis, defecerant. Quare Romani

Vincere quum Vejos posse laboris erat.
Necdum ultra Tiberim belli sonus : ultima praeda
Nomentum, et captae jugera terna Corae.
Et Veji veteres et vos tum regna fuistis,
Et vestro posita est aurea sella foro.
Nunc intra muros, pastoris buccina lenti
Cantat, et in vestris ossibus arva metunt,
Forte super portae dux Veius adstitit arcem;
Colloquiumque sua fretus ab urbe dedit.
Dumque aries murum cornu pulsabat aheno,
Vineaque inductum longe tegebat opus;
Cossus ait : Forti melius concurrere campo,
Nec mora fit, plano sistit uterque gradum.
Dì Latias juvere manus : desecta Tolumni
Cervix, Romanos sanguine lavit equos.
Claudius Eridano trajectos arcuit hostes,
Belgica cui vasti parma relata ducis
Virdomari ; genus hic Rheno jactabat ab ipso,
Nobilis e tectis fundere gaesa rotis.

ulturi injuriam, bellum et Fidenatibus et Vejentibus Tuscorum populis intulerunt: quamvis magni laboris erat posse Vejos debellare; nam non ultra Tiberim Romani bellum umquam protraxerant nec ultra Nomentum, et Coram, parva quidem oppida prope Romam.

V. 27. *Veji veteres*. Vos Veji licet gens antiqua, et Volscorum regna, quamvis in aurea sella duces vestri jus dicerent, nunc, i. e. post bellum cum Romanis, inibi pastor fistula canit, et arva metit agricola *Dux Vejus*. Lartes Tolumnius adlocutus est ducem Romanum Cossum. *Vineaque*. De Vinea machina belli, et ariete satis nota sunt quae adfert Vegetius l. 4. c. 15. *Forti*, scil. viro *Lavit equos*; tinxit Romanos equos. *Claudius*. Claudius Marcellus Consul Virdomarum Gallorum Insubrium ducem in praelio occidit, ac tertia opima spolia Jovi Feretrio obtulit.

V. 40. *Parma*. Scutum breve, ac rotundum, ital. *Brocchiero*, *targa*. *Virdomari*. Virdomarus dux Gallorum, vel potius Gaesatarum, qui fuerunt populi Galliae Togatae, quae Aemilia dicta est (ubi nunc *Bononia, Forum Cornelii*, et *Ravenna*) qui dux insignis erat vibrandis gaesis, i. e. hastis longis e sublimi curru. *Guesa* vocabulum Gallicum. *Illi virgatis*. Ipsi Virdomaro, cui virgatae

Illi virgatis jaculantis ab agmine bracis
Torquis ab incisa decidit unca gula.
Nunc spolia in templo tria condita: causa Feretri
Omine quod certo dux ferit ense ducem.
Seu quia victa suis numeris huc arma ferebant,
Hic Feretri dicta est ara superba Jovis.

erant bracae, ex agmine spicula vibranti, torquis inflexa ex amputato collo decidit. A longis *bracis* dicta est Gallia *Bracata*, quae postea Narbonensis.

ELEGIA IX.

Sub nomine Corneliae e vivis ereptae scripta est haec epistola ad L. Aemilium Paullum Censorem maritum: quem monet ut a lacrymis et querelis temperet, utpote nihil profuturis; ipsique filios, quos omnes reliquit superstites, commendat.

CORNELIA AD PAULLUM.

Desine, Paulle, meum lacrymis urgere sepulcrum:
Panditur ad nullas janua nigra preces,
Quum semel infernas intrarunt funera leges,
Non exorato stant adamante viae.
Te licet orantem fuscae deus audiat aulae,
Nempe tuas lacrymas litora surda bibent.
Vota movent superos: ubi portitor aera recepit.

CORNELIA. Haec Cornelia fuit filia Scriboniae, quae nupsit Augusto, eique filiam Juliam genuit: unde constat Juliam Augusti filiam, et hanc Corneliam ex eadem matre Scribonia fuisse sorores, ut mox in commentis.

V. 6. *Litora surda.* Ripae fluminum inferorum, quae non modo surdescunt, sed omnium rerum oblivionem faciunt ut lethe. *Portitor*, Charon: postquam accepit annulum (quod in ore mortuorum pone-

Obserat umbrosos lurida porta rogos:
Sic moestae cecinere tubae, quum subdita nostrum
Detraheret lecto fax inimica caput.
Quid mihi conjugium Paulli, quid currus avorum
Profuit? aut famae pignora tanta meae?
Num minus immites habui Cornelia Parcas?
En sum quod digitis quinque levatur onus.
Damnatae noctes, et vos vada lenta paludes,
Et quaecumque meos implicat unda pedes.
Immatura licet, tamen huc non noxia veni,
Det pater hic umbrae mollia jura meae.
Aut si quis posita judex sedet Aeacus urna,
In mea sortita vindicit ossa pila,
Assideant fratres, juxta et Minoia sella, et
Eumenidum intento turba severa foro,
Sisyphe, mole vaces: taceant Ixionis orbes:

batur) atra porta occludit coercet elapsos e rogis. *Umbrosos rogos*: de umbris et manibus capiendum; umbram ipsam, quae modo rogum effugit, audacius Poeta rogum nominat.

V. 9. *Cecinere.* Tubae funeribus divitum, ut tibiae pauperum adhiberi solebant. *Detraheret lecto fax.* Intelligit rogum, quem ultima fax subjectis ignibus incendebat. *Currus avorum.* Oriunda erat de gente Cornelia, ex qua duo Scipiones Africani cognominati.

V. 14. *En sum.* Significat, se esse redactam in cinerem, ita ut una manu possit gestari, et sustineri. Idem Propertius alibi: *Maximaque in parva sustulit ossa manu.* *Noctes.* Sermonem convertit ad infernas tenebras, et paludes Stygias, protestaturque, se innoxiam periisse. *Pater,* Pluto. *Aeacus.* Jovis filius judex inferorum. Urna notat sortitionem, qua Judicum nomina, atque etiam suffragia in urna versabantur. *Sortita pila.* Adludit ad consuetudinem Romanorum, qui sorte caussas ordinabant, et sortitione nomina Judicum in pilis seu calculis et tabellis inscripta ducebant.

V. 21. *Fratres.* Aeaci fratres et consiliarii, Minos scil. et Rhadamantus. *Juxta.* Et circa Minois thronum tres Eumenides furiae, quae ante fores Orci sedent, appareant foro attento. *Sisyphe.* Sisyphus filius fuit Aeoli, qui quum Atticam latrociniis infestaret, a Theseo occisus est; eo ad inferos supplicio plectitur, ut quum immane

Fallax Tantaleo corripiare liquor.
Cerberus et nullas hodie petat improbus umbras,
Sed jaceat tacita lapsa catena sera.
Ipsa loquar pro me: si fallo, poena sororum
Infelix humeros urgeat urna meos.
Si cui fama fuit per avita tropaea decori,
Afra Numantinos regna loquuntur avos.
Altera maternos exaequat turba Libones,
Et domus est titulis utraque fulta suis.
Mox ubi jam facibus cessit praetexta maritis,
Vinxit et adspersas altera vitta comas:
Jungor, Paulle, tuo sic discessura, cubili,
In lapide huic uni nupta fuisse legar.

saxum in montis verticem volutet, quum ad summum exstulerit subito deorsum relabatur. De Ixione, de Tantalo, et de Cerbero dictum est alibi. Dicitur Tantalus, et *Tantaleus*.

V. 27. *Sororum*. Belidum, seu Danaidum, quae in inferis finguntur in pertusum dolium aquam immittere. *Afra regna*, Regna Africana, Carthago nimirum, et Numidia devicta, testantur Scipiones quos dictos fuisse Africanos, et Numantinos. Hi Scipiones fuerunt Corneliae Majores paterni. *Libones*. Corneliae nimirum mater Scribonia dicebantur, quae ex Libonum familia, et gente oriunda erat. E Scriboniorum gente erant Largi, Curiones, Drusi, Libones. *Exaequat* jactat pares his Libones, avos maternos. *Domus*, Gens Corneliorum et Scriboniorum; ac familia Scipionum et Libonum nixa est et freta suis imaginibus et monumentis, quibus inscriptiones adjici solent, *P.*

V. 38. *Praetexta*, hinc postquam praetexta cessit, locum dedit conjugalibus taedis. *Cessit*, quasi venientibus nuptiis abierit, et decesserit honoris caussa. Toga communis habitus fuit et marium et feminarum, sed praetexta honestorum, toga viliorum; quod et circa mulieres servari solitum, *P.* Praetexta deposita, rectam tunicam (a texturae ratione ita dictam) induebant novae nuptae, et die nuptiarum. *Altera*, diversa vitta, nempe matronalis, maritalis adstrinxit comas diverse comtas. De vitta et coma nuptiarum vide Eleg. 3. hujus libri. *Adspersas comas*. Sponsae crines aqua adspergebantur nuptiarum die. *Jungor*, fio particeps et socia tui tori, abitura e lecto et

Testor majorum cineres tibi Roma, verendos,
Sub quorum titulis Africa tonsa jacet:
Qui Persen proavi simulantem pectus Achillis
Et tumidas proavo fregit Achille domos:
Me neque censurae legem mollisse, nec ulla
Labe mea nostros erubuisse focos.
Non erat exuviis tantis Cornelia damnum:
Quin et eram magnae pars imitanda domus.
Nec mea mutata est aetas: sine crimine tota est:
Viximus insignes inter utramque facem.
Mi natura dedit leges a sanguine ductas;
Ne possim melior judicis esse metu.
Quamlibet austeras de me ferat urna tabellas;

domo tua non divortio, sed morte, *P. Lapide*, in marmore sepulcri mei legetur a praetereuntibus, me uni tantum viro nupsisse. Laus haec est pudicitiae mulieris. *Tonsa*, prostrata.

V. 39. *Qui Persen*. Testor eum qui Persen, seu Perseum vicit. Intelligitur Aemilius Paullus Macedonicus, ex cujus gente ipsius Corneliae maritus Paullus. *Simulantem pectus*. Mentiebatur animos Achillis proavi (nam ab Achille genus ducebat) non referebat vero virtutem ipsius. *Et fregit domos tumidas*. scil. superbientes propter Achillem proavum.

V. 41. *Mollisse*, me neque postulasse, ut censurae severitas et disciplina, severae censorum leges mitigarentur, nec Lares nostros ulla mea macula, aut crimine, pudore affectos fuisse. Ad Censores pertinuit civitatis moribus advigilare, et quidquid uspiam a rectae disciplinae norma alienius deprehenderetur, in id inflictis ignominiae notis animadvertere, et luxui frenum injicere; qua de caussa etiam *Magistri morum* sunt nuncupati. Erant etiam censoriae leges de re uxoris. Vide Cic. 2. Orat. *Erubuisse*, quasi moveantur dii Penates vitiis, aut virtutibus familiae, P. *Damno*. Cornelia non fuit detrimento, dedecori tam insignibus victoriis et triumphis: quia etiam fuit magna pars illustris domus, imitanda tamquam exemplum, *Pass*. Uxor pars domus, quia ubi Paullus dominus, etiam Cornelia domina. *Imitanda*, unde exempla virtutum petenda, *P.*

V. 46. *Utramque facem*. Inter facem nuptialem, et sepulcralem, hoc est toto connubii tempore. *Quamlibet*. Quamvis urna ferat de me severum suffragium, nullam feminam castam pudebit sedere mecum apud inferos.

Turpior adsessu non erit ulla meo.
Vel tu quae tardam movisti fune Cybebem,
Claudia, turritae rara ministra deae:
Vel cui, commissos quum Vesta reposceret ignes,
Exhibuit vivos carbasus alba focos.
Nec te, dulce caput, mater Scribonia, laesi,
In me mutatum quid, nisi fata velis?
Maternis laudor lacrymis, urbisque querelis,
Defensa et gemitu Caesaris ossa mea.
Ille, sua nata dignam vixisse sororem
Increpat: et lacrymas vidimus ire deo.
Et tamen emerui generosos vestis honores,

V. 52. *Claudia*, Claudia Vestalis, quum in nefandi criminis suspicionem venisset, ut innocentiam comprobaret, navem cum sacris omnibus, et simulacro Cybebes matris Deorum, quam multa hominum millia vado Tiberis adhaerentem trahere non poterat, cingulo suo sola traxit. *Vel cui.* Aemilia vestalis virgo accusata, quod ejus incuria Vestae ignis defecisset, Deam deprecata est, ut opem sibi ferre vellet; vestisque carbasinae partem in aram frigidam injecit, quae repente emicante flamma coepit ardere. *Scribonia.* Fuit mater Corneliae haec Scribonia, quam uxorem duxit Augustus; ex eaque Juliam filiam suscepit. Scribonia nupta fuerat duobus viris consularibus, et ex altero fuerat mater. Unde colligitur, Corneliam natam fuisse Scriboniae ex illo viro consulari, ex quo fuit mater.

V. 57. *Laudor*, ad meam laudem redundant lacrymae matris, et publicus urbis luctus, et gemitus Caesaris me mortuam defendit. *Defensa*, quasi suspicione alicujus culpae perstricta sit Cornelia, quam tamen Caesar falsam ostenderit, qui et ejus morti illacrymarit, et praedicarit dignam quae filia sua esset, P. *Ille*, scil. Augustus. *Increpat*, cum sensu quodam doloris commemorat, dicit me sororem uterinam filiae suae Juliae fuisse dignam, quae essem sua filia. Soror Juliae fuit Cornelia, quum ambae ex matre Scribonia natae, licet ex diverso patre. *Vidimus*, umbra mea sensit, P. *Ire*, huic deo. scil. Augusto, cui viventi divinos honores Romani concesserunt, manasse ex oculis lacrymas: novi, scio.

V. 61. *Generosos honores*, quoniam ea stola matronalis, vel palla, cum qua matres plurium liberorum ad rogum gestabantur, generosarum seu nobilissimarum propria fuit,

Nec mea de sterili facta rapina domo.
Tu Lepide, et tu, Paulle, meum post fata levamen,
Condita sunt vestro lumina nostra sinu,
Vidimus et fratrem sellam geminasse curulem;
Consule quo facto, tempore, rapta soror.
Filia tu specimen censurae nata paternae,
Fac teneas unum, nos imitata virum.
Et serie fulcite genus: mihi cymba volenti
Solvitur, aucturis non mea fata malis.
Haec est feminei merces extrema triumphi,
Laudat ubi emeritum libera fama rogum.
Nunc tibi commendo communia pignora natos:
Haec cura et cineri spirat inusta meo.

V. De sterili, nec rapta sum de domo sterili, quum ad Paulli domum virgo deducerer; nec de domo sterili me rapuit mors ad sepulturam; nam et Cornelia stirps, et Aemilia ambae fecundae; haec autem et per me liberos habuit, *Id. Lepide*, tu, o Lepide,tuque, o Paulle, filii mei solatium estis mortis meae immaturae: in vestro complexu, in vestro sinu, oculos mihi meos clausistis, supremo pietatis officio erga matrem, *Brouk* Paullus hic L. Aemilii Paulli Censoris, et Corneliae filius, et Lepidus frater in Augustum conjurarunt. Sveton. in Augusto cap. 19. Velleius lib. 2. Plutarch in Antonio.

V. 65. *Sellam geminasse curulem* significat Cornelia fratrem suum Consulem iterum fuisse renuutiatum eo tempore, quo prematura morte functa est. Sella curulis tribus tantum magistratibus concedebatur, Aedili, Praetori, Consuli. *Tempore*: hic est, opportune, tempestive, *V. Specimen*, tu autem o filia, quae ita sancte nata es, ut censuram patris tui tuis exprimas moribus, imitare matrem tuam, et in uno solo matrimonio aetatem tuam exigito, *Brouk.*

V. 69. *Serie*, et numerosa prole familiam sustentate; ital. *mantenete*. *Mihi volenti*, scil. non invitae Charontis cymba solvitur, malis tot mea fata adaucturis. *Feminei triumphi* Post mortem celebritas famae, ac laudatio in funere mulieribus est triumphi loco.

V. 73. *Nunc*, postremo scilicet, trado in manum, P. *Cura*, haec liberorum cura vivit adhuc impressa et penitus infixa cineribus etiam

Fungere maternis vicibus pater: illa meorum
  Omnis erit collo turba ferenda tuo.
Oscula quum dederis tua flentibus, adjice matris:
  Tota domus coepit nunc onus esse tuum:
Et si quid doliturus eris, sine testibus illis;
  Quum venient, siccis oscula falle genis.
Sat tibi sint noctes, quas de me, Paulle fatiges;
  Somniaque in faciem credita saepe meam.
Atque ubi secreto nostra ad simulacra loqueris,
  Ut responsurae singula verba jace.
Seu tamen adversum mutarit janua lectum,
  Sederit et nostro cauta noverca toro;
Conjugium, pueri, laudate, te ferte paternum,
  Capta' dabit vestris moribus illa manus.
Nec matrem laudate nimis: collata priori
  Vertet in offensas libera verba suas.
Seu memor ille mea contentus manserit, umbra,
  Et tanti cineres duxerit esse meos;
Discite venturam jam nunc lenire senectam,
  Caelibis ad curas nec vacat ulla via.
Quod mihi detractum est, vestros accedat ad annos.

meis, mihi etiam mortuae. *Sat tibi*, sint satis tibi noctes, Paulle quas mea causa male habeas, et nocturna simulacra in somnis meam figuram imitantia, quibus fidem saepe habes. Ital, *Ti basti di passare in duolo le notti per cagion mia.*

V. 85. *Adversum*. Lectum novercalem vocat adversum, quia fere semper noverca inimica est privignis. *Mutarit*. Janua dicitur mutare lectum quae videt alium adversum lectum in locum prioris, nova scil. uxore domum ducta, *Scalig*. *Nostro toro*, qui noster fuit, P. *Seu memor*, sive illi non oblito nostri etiam post fata, satis sit sola memoria quondam uxoris, *Id*. *Duxerit*, et tanti pretii aestimaverit mei memoriam, ut propter illam caelebs quod vitae reliquum est vivere constituat *Brouk*. *Cineres*, manes, *P*.

V. 93. *Discite*. Ex hoc etiam tempore adsuescite patris obsequio, quem querulum, morosum, et difficilem reddet senectus; nullus modus officii praetereatur cura ndi patrem vestrum senem, et caelibem.

Prole mea Paulum sic juvet esse senem.
Et bene habet: nunquam mater lugubria sumsi;
Venit in exsequias tota caterva meas.
Causa perorata est: flentes me surgite testes,
Dum pretium vitae grata rependit humus.
Moribus et caelum patuit: sim digna merendo,
Cujus honoratis ossa vehantur equis.

V. 97. *Bene habet*, gratulantis suae fortunae est, et boni eventus, *P.* ital. *è buon per me*; *per me andò bene*; nunquam ego mater indui lugubria (*da duolo*) vestimenta. Omnis turba meorum liberorum prosecuta est meum funus. *Perorata.* Finita est mea ad judices oratio. *Humus*: humus hic ponitur pro patria et honore sepulturae quasi exsequiarum pompa sit defunctis pretium et merces vitae.

V. 101. *Moribus et caelum patuit.* Bonis moribus ad caelum via aperitur, et meis meritis sim digna etc. *Honoratis equis.* Honoratos vocat equos magno ornatu funeris decoratos, quibus efferri proceres, et magnates consueverunt. Alii legunt *honoratis aquis*, per quas scil. Charon matronarum manes vehit in Elysios.

LAUS DEO.

REIMPRIMATUR

Fr. Dom. Buttaoni O. P., S. P. A. Mag.

REIMPRIMATUR

A. Ligi Archiep. Icon. Vicesgerens.